CONTRA THEOLOGIAM SCHOLASTICAM DE POENITENTIA, LIBRI TRES, IN QVIBVS OMNES FERE LOCI DOCTRINAE Christianæ comprehenduntur, & multa perniciosa Sophistarum commenta refutantur, ex quibus facilè deprehendes præstigias, Sophismata & errores Thomæ & aliorum Sententiariorum.

AVTORE CHRISTOPHORO HOFFMAN, CONCIONATORE Aulico Iohannis Friderici primi, Ducis Saxoniæ, Electoris nati.

ITEM

INITIO ADDITVM EST SCRIPTVM PIVM ET ERVDITVM DE Pœnitentia, continens refutationem præstigiarum de satisfactionibus recens excogitatarum, hoc tempore contra quosdam Sophistas & anguillas ualde utile.

AVTORE PHILIPPO MELANTHONE.

Cum Indice.

Viuo ego, dicit DOMINVS DEVS, Nolo mortem impij, sed ut cõuertatur impius a uia sua & uiuat. Ezech. xxxiij.

Venit autem filius hominis, (qui est Christus Iesus, precium pro peccato & morte,) uocare peccatores ad pœnitentiam. Matth. ix.

FRANCOFORTI EX OFFICINA PETRI BRVBACHII, ANNO DOMINI M. D. LIII. MENSE MARTIO.

PHILIPPVS MELANTHON Lectori, S. D.


RAECIPVVS in Christiana doctrina locus est de pœnitentia, quem quia Deus hoc tempore repurgauit, ac restituit Ecclesiæ suæ ueram de pœnitentia doctrinam, nemo tam fero, nemo tam ferreo pectore esse debet, qui non agnoscat, DEO pro tanto beneficio gratias agendas esse. Nõ possunt enim, ne aduersarij quidem ipsi negare, doctrinam de pœnitentia, antea non solum obrutam, sed prorsus sepultam fuisse flagitiosis erroribus, qui partim obscurabant peccatum, & confirmabant uanissimam hypocrisin operum, partim tollebant e conspectu ueram & firmam consolationem, & portum conscientiæ, uidelicet, doctrinã de fide. Etsi autem nouum genus Sophistarum exoriatur, qui inextricabiles labyrinthos & errores, in superiorum temporum doctrina, astute dissimulẽt, ac tolerabiliores interpretationes affingant, tamen quia hac calliditate non student turbatas conscientias sanare, sed ueterem impietatem defendere & confirmare, multum prodest, ut absurde & impie dicta Sententiariorum, uelut perspicua ueteris impietatis testimonia publice extent. Humanitatis quidem est, aliena errata non odiose exagitare, & eos qui recte sentire cupiunt, intempestiua ueteris mali exprobratione nõ perturbare. Sed si errores ita excusantur, ut nõ tam uetus superstitio confirmetur, quam noua pernicies Ecclesiæ afferatur, certe in prospectum producendi, & conspicui reddendi sunt, ut imperiti discant, quid cauere, quid uitare debeant. Quanquam autem Pontifices, Tyranni, & eorum satellites hanc puriorem Euangelij doctrinam, quæ rursus immensa DEI misericordia illuxit, crudeliter persequantur, tamẽ nos meminerimus officij, quod Deo debemus, Filium Dei, ut Psalmus iubet, pio osculo reuerenter excipiamus, hanc doctrinam grato pectore amplectamur, eamque uelut depositum bona fide conseruemus. Ad quam rem spero hos commentarios plurimum profuturos.

Vale.

DE POENITENTIA PHILIPPVS MELANTHON.



N Ecclesiis nostris Dei beneficio præcipuè extat illustris explicatio Doctrinæ de Pœnitentia, sicut maximè necessarium est eum locum notissimum esse in Ecclesia, quia complectitur summam Euangelij, & monstrat præcipuũ beneficium filij Dei: imo ut initium fuit Ecclesiæ receptæ in Paradiso doctrina de Pœnitentia: ita semper eodem modo in Ecclesia sonare hæc uox debet usq; ad resurrectionem.

Et intelligi facilimè poterit huius doctrinæ summa, si primum exemplũ aspiciatur, ibi primum arguitur peccatũ uoce Dei: & non dubium est accusante Deo, & sonante ipso tristissimam accusationem horribiliter expauescere humanam naturam. Ita primum extitit contritio tunc in primis parentibus. Et quid sit contritio, quomodo fiat, in eodem exemplo conspici potest. Accedit ibi & confessio peccati, quia reuera coram Deo oportet hanc confessionem fieri, nos reos esse & iustè puniri.

Deinde sonante promissione recipiuntur Adam & Eua: hæc est absolutio, qua audita, accenditur fides, qua agnoscunt se recipi per misericordiã propter semen promissum: & in corde noua consolatio, est inchoatio nouæ obedientiæ, quæ iam placet Deo: ita facta est integra conuersio. Imponuntur & pœnæ, uidelicet mors, & aliæ calamitates huius uitæ, quia Deus etsi remittit culpam, & aufert mortem æternam, tamen propter iusticiam aliquas pœnas imponit: & ut ipsius iusticia, & ira aduersus peccata conspiciantur, totum genus humanum horribilibus miserijs in hac uita onerat. In his pœnis tamen promittitur Ecclesiæ consolatio, ut tunc Deus ipse uestit primos parentes pelle detracta ab ouicula, qua imagine significatum est futurum, ut nouis corporibus uestiamur, & quidem sumptis ab agno Christo.

Hanc totam historiam prodest sæpissime cogitare, ut hoc ipso exemplo nos de omnibus partibus pœnitentiæ seu conuersionis cõmonefaciamus. Item ut inde discamus tunc inchoatum esse ministerium Euangelij, in quo semper una uox sonat arguens peccata, & offerens remissionem propter filium.

Verùm non tantum in hac recenti ætate Monachorum obscurata fuit doctrina de pœnitentia multis labyrinthis, & falsis opinionibus, sed etiam uetustis seculis, quando Canones satisfactionum creuerũt hac superstitiosa persuasione, quòd mererentur remissionem peccatorũ, tunc quoq; magnæ tenebræ fuerunt. Sed in disputationibus recentioris ætatis, plus fuit inextricabilium quæstionum, & omnino silentium fuit de fide accipiente remissionem peccatorum. Ideo non dubium est fuisse necessariam explicationem ueræ doctrinæ de pœnitentia, quam in Ecclesia semper extare perspicuam necesse est, & quam singuli homines quotidie in inuocatione totam cogitare debent. Credo autem rectè & perspicuè explicatam esse in

nostris Ecclesiis, & de ea sententia, quā in Locis complexus sum, nihil muto.

Cùm autem Synodus Bononiensis ordine de partibus fecerit decreta, quorum alia ambigua sunt, alia aperte falsa, dicam breuiter de singulis partibus, nō ut plus sit intricatarum disputationum, sed potius ut euoluta doctrina planius intelligatur.

DE CONTRITIONE.

OMitto rixas de causis contritionis. Si sint ueri, & non simulati pauores & dolores intuētes iram Dei aduersus pctā, & accedat fides, quę facit ex timore seruili filialē, dico esse ueram contritionē, & assentior has causas cōcurrere, uerbū Dei arguens peccatū, & Deum hoc uerbo incutientē terrorem, & mentem cogitantē de ira Dei, & uoluntatem, & cor serio expauescens, & dolens ꝙ offenderit Deū. Talem aliquā contritiōem dico necessariam esse, ut sæpissimè scriptum est, 2. Corinthior. 7. Contristati estis ad pœnitentiam.

Esaiæ 66. Ad quem respiciā nisi ad humiliatū, & contritum spiritū & trementē sermōes meos. Et Ezech. 20. Displicebitis uobis in cōspectu uestro.

Ac uarię possunt esse occasiones inchoandi dolorem, ut aliter uocatur Zacheus, aliter Paulus, aliter Manasses, aliter mulier peccatrix. Sed in omnibus necesse est existere pauores, & dolores: & uarij dolores miscentur, quos subtiliter discernere non est opus; ut alij disputârunt de amore iusticiæ, & timore pœnæ. Imo uult Deus pœnas metui, & esse eas uelut uocē diuinam commonefacientē totum genus humanū de ira aduersus peccatū, ut testantur maledictiōes in lege, quæ ꝓpter has duas causas additę sunt legi.

Primum, ut sciamus opus esse iusticiæ Dei, quòd peccata puniunt tantis calamitatibus. Deinde ut sciamus has ipsas calamitates esse uocem legis commonefacientem nos de pœnitentia.

Sic passim Prophetę loquuntur de calamitatibus, ut in Psalmo: Propter iniquitates corripis filios hominū. Displicent Deo horribiliter securę mentes, non considerantes iram Dei, aut etiam elatæ inani fiducia suæ sapientiæ, suę iusticiæ, aut potentiæ, sicut Paulus ad Ephesios inquit impios esse ἀπηλγηκότας, id est, sine dolore uiuere. & Ieremias: Erubescere nescierūt.

Quare sciamus temulentā uitam in ocio & uoluptatibus ualde periculosam esse: & Deus præcipuè suam Ecclesiā subiecit cruci, qa præcipuè in Ecclesia uult conspici iram aduersus peccatū, cùm eam mundus negligat.

Hæc sententia de contritione, nihil obscuri continet: loquor enim de ueris doloribus qui sentiuntur, suntq́ in alijs minus, in alijs magis acres: ut Ezechias inquit: Sicut leo contriuit omnia ossa mea, &c. Hęc tantū admonitio adiungatur, ut sine obscuritate discernātur timor seruilis, & filialis, seu dolor Iudæ & dolor Petri. Timor seruilis est uerus pauor sine fide. Sed timor filialis fit, cùm ad pauorem accedit fides, qua cùm incipit cor accedere ad Deum, & accenduntur initia fidei, & spei, subijcit se Deo, & prędicat eius iusticiā, iuxta illud: Tibi Domine iusticia, nobis autem confusio, &c.

Cęterum hęc duo necessario reprehēdenda sunt in doctrina Monachorum de contritione, quòd quærunt sufficientem contritionem, & deinde affingunt horribile mendacium, hanc sufficientem cōtritionem mereri remissionem peccatorum; nec dicunt de fide gratis accipiente remissionem propter mediatorē. Hi errores sunt magni, & tetri. Quid est enim quærere

sufficien-

sufficientem contritionem: Nulli dolores ullius creaturæ, quantumuis ma gnæ, pares sunt iræ Dei, ut dicitur: Deus ignis consumens est, nec possunt compensare peccatum: & quo magis crescit dolor sine fide, eo magis merguntur animi in mortem & exitiū. Ideo necesse est hos errores taxari.

In altero errore, etiam deploranda & detestanda est cæcitas, cùm dicūt contritiōem mereri remissionem peccatorum, ubi transferunt in nostrum opus honorem debitum filio Dei: & Paulus toties inculcat particulā gratis, qua excludit, ut sæpe dictum est, nō contritionem & cæteras uirtutes, non cogitationem de ira Dei & de promissionibus, &c. sed excludit dignitatem, seu opinionem meriti. Deinde quantæ tenebræ sunt, q nō solum nihil de fide in doctrina pœnitentię dicunt, sed etiam pertinaciter negant opus esse hac fide: credas tibi ipsi remitti propter mediatorem, &c. qua promissionem tibi ipsi applices. Ac relinquunt mentes in perpetua dubitatione: quia inquiunt, nescis an contritio fuerit sufficiens, ideo semper dubites an tibi data sit remissio. Hæc imaginatio prorsus est Ethnica.

Nos contrà, his erroribus opponimus uocem Euangelij, & dicimus oportere aliquam esse cōtritionem, id est, ueros pauores, & dolores intuentes iram Dei, qui in alijs magis, in alijs minus acres sunt: sed non pendet ex horum magnitudine remissio, uerùm oportet accedere fidem, qua tibi ipsi credas remitti gratis propter mediatorem. De hac fide dictum est: Iustificati fide pacem habemus apud Deum: & si hæc fides, & fiducia filij Dei non accenditur, mens non intuetur filium Dei, non ducit propiciatorem esse. Necesse est autem teipsum agnoscere filium Dei, & hunc ei proprium honorem tribuere, ut tibi ꝓpiciatorem, & intercessorem, & summū sacerdotem esse statuas. Hunc honorem nō ei tribuunt Diaboli, qui etiā norunt articulum, remissionem peccatorum uidelicet donari alijs, non sibi. Itaq; donec homo tantū hanc generalem sententiā credit, alijs remitti non sibi, nondum tribuit uerum honorem filio Dei, nec sibi applicat promissionem.

Itaq; luceat in Ecclesia discrimen legis & Euāgelij, & sciant omnes propriam esse Euangelij promissionem, quę ostendit mediatorem filium Dei, & promittit propter eum gratis remitti peccata: & in hanc promissionem uniuersalem singuli nos in ueris doloribus includamus, & sciamus mandatum Dei esse, ut filium Dei audiamus, & ei tribuamus honorem propiciatoris, & promissionem amplectamur.

Cùm igitur hoc modo sustentamus nos cogitatione promissionis, & filij Dei, accenditur fides, & causæ concurrentes sunt, uox Euangelij, & spiritus sanctus, & mens cogitans promissionem, & uoluntas, ac cor non repugnans, sed expetens consolationem diuinam, & assentiens promissioni, cùm quidē et à spiritu sancto adiuuatur, et inter tristes gemitus erigitur cō spectu filij Dei, quem statuit non frustra factum esse uictimam: & hac fide credis non tantum alijs, sed tibi ipsi propter filium Dei gratis remitti.

Cùm hæc fides accensa est, iam & contritio fit timor filialis, & sacrificium, iuxta illud: Sacrificium Deo gratum, spiritus contribulatus, &c. Cor irascitur peccato: dolet Deum offensum esse, alios læsos esse: dolet Ecclesiam pollutam esse: dolet scandala excitata esse: dolet spiritum sanctum in multis contristatum esse: dolet attrahi pœnas familiæ, & cæteris: dolet impediri pœnis aliorum inuocationem, & alia necessaria officia. Deniq; innu-

merabiles causæ magnorũ dolorum concurrũt. Ita dolens se subijcit Deo, fatetur esse iustam iram Dei, & petit ueniam: & cùm fide reuera incipiat acquiescere in filio Dei, certo accipit remissionem peccatorum. Ac discamus hanc esse uoluntatem Dei, ut acquiescamus in promissione, & statuamus nos sic recipi, & donari remissionem peccatorum, idq; agit minister: in absoluendo applicat singulis promissionem.

Simul etiam cùm in tali contritione homo se subijcit Deo, & fide eum inuocat, & incipit acquiescere in mediatore, datur reuera spiritus sanctus, & inchoatur noua obedientia: id est, uoluntas iam habet bonum propositum, agnita misericordia Dei incipit eum diligere, & inuocare, & non fugit, ut fugiunt Cain, Saul & similes.

Dixi quomodo fiat conuersio, scilicet concurrentibus his mutationibus. In homine primum fit contritio, cùm cogitatione iræ Dei expauescunt corda, & uero dolore afficiuntur ropter ppeccata. Deinde fit consolatio, qua fide accipitur remissio, & corda incipiunt acquiescere in Deo propter mediatorem, & rursus inchoant obedientiam, & spem uitæ æternæ. Hæc ita fieri manifestè testatur experientia omniũ piorum in Ecclesia, quorũ testimonium non contemnendũ est: ut Dauid expauescit primũ, inquiens: Peccaui Domino. Deinde erigitur consolatione, credẽs absolutioni: Non morieris, Dominus abstulit peccatum tuum. Et Esaię 38. rex Ezechias describit pauores: Quasi leo cõtriuit oĩa ossa mea, &c. Postea & consolationem: Proiecisti post tergum omnia peccata mea. Et scripta piorũ ut Augustini & Bernhardi congruunt. Longa est concio Bernhardi docentis coniungi oportere cõtritionem & fidem: Dicat quisq; in pauore suo, uadam ad portas inferorum, ut iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc est uera fiducia, quæ ad pauores accedit, cui misericordia non denegatur.

Sic & Prophetæ, & Apostoli de conuersione concionantur, ut Paulus in hac ipsa Epistola coniungit mortificationem & uiuificationem. Ac ualde prodest moneri iuniores, hæc uocabula propriè de uera conuersione ad Deum intelligenda esse, & reijciendam esse interpretationem eorum, qui detorserunt Pauli dicta ad Hypocrisin, ad ritus Monachorum, & ad talia puerilia exercitia. Sed Pauli sententia perspicua est obseruanti pondera uerborum: Estis mortui peccatis, & circumcisi circumcisione non manufacta, exuendo corpus peccatorum carnis.

Hæc de contritione dicuntur, postea de fide qua fit cõsolatio inquit: Simul resuscitati estis per fidẽ, qua Deus est efficax, qui uiuificauit uos cum Christo. Deinde utranq; sententiã rursus illustri figura pingit: Condonans oĩa peccata, delens chirographum, q̃d per decreta cõtra nos est, quod erat contrarium nobis. Tunc aũt conspicitur chirographum scriptum in cordibus aduersari nobis, cùm agnoscimus in ueris doloribus nos reos esse. Hoc dictum ad contritionem pertinet. Deinde ad fidem pertinet quod additur, deleri hoc chirographum suspensum de cruce facta condonatione.

Hæc interpretatio de conuersione, est simplex, uera & propria, quam quidẽ obseruare prodest, & ut Pauli sententia nobis obuia sit, & ut teneamus testimonium de his duabus mutationibus in conuersione, de mortificatione & uiuificatione, id est, de contritione & consolatione, quę fit per fidem, qua tibi ipsi credis remitti peccata propter mediatorem.

Hacte-

HActenus recitaui quid in doctrina de contritione retineri necesse sit, & quid taxari oporteat: dixi item doctrinã de fide speciali, qua TIBI credis remitti, adiungendã esse, de qua suprà in refutatione Articuli præcipientis dubitationem, copiose dictum est.

Cùm autem hæc nostra sententia sit ipsa uox Euangelij, inde usq; à prima cõuersione Adę & Heuę sonans in uera Ecclesia, et nihil sit obscuri, aut intricati in hac nostra explicatione, facile erit iudicare decreta Synodi Benoniensis: & ne quis dicat me fugere iudiciũ Ecclesię Dei, non dubito prouocare ad iudicia omniũ piorum, qui non sunt rudes exercitiorũ pœnitentiæ.

DE CONFESSIONE.

NEcesse est iunioribus exponere & uocabula, & mores uetustos. Olim in Ecclesia consuetudo fuit lapsos ac reos talium scelerũ, quę alijs nota erant, nõ recipere, nisi signa manifesta emendationis præcessissent. Ideo certi ritus erãt, quorũ nomen fuit publica pœnitentia. Stabat homicida uel adulter corã Episcopo, & narrabat delictũ suum, ut Episcopus modũ castigationis indiceret, q̃ uocabať satisfactio, Græci modestius noiarunt ἐπιτίμια, id est, notas seu castigationes. Cùm enim alia delicta alijs modis punirenť, seu (ut ita dicam) notarentur, exponi delictũ opus erat, ut modus pœnę indiceretur: post eam castigationem sequebatur absolutio.

Et initio hic ritus probabiles causas habuit. Fuit enim disciplina instituta, & ut explorarentur uoluntates redeuntium ad Ecclesiam, an serio promitterent emendationem, & ut his exemplis alij commonefacti maiore cura uitarent lapsus. Nondum affingebatur opinio, hæc spectacula mereri remissionem peccatorum, sed postea hanc opinionem indocti addiderunt, et ritus satisfactionum cumulârunt.

Ab hac ueteri consuetudine confessio intelligitur enumeratio delictorũ singulorum, cùm olim tantum delicta alijs nota recitarentur: postea uerò decreta facta sunt de omnibus delictis etiam arcanis.

De hac enumeratione singulorum, necesse est erudiri cõscientiam, nec iam de illa uetusta disciplina primæ Ecclesiæ, & de atrocibus delictis, quæ alijs nota sunt dicimus. Semper enim inde usq; ab initio mũdi, ritus fuerũt certi excommunicationis in Ecclesia, & receptionis emendatorũ. Et optaremus ea grauitate quæ decet Ecclesiam, administrari excommunicationẽ & receptionẽ. Et ut sæpe aliâs dictum est, retineantur in Ecclesia generalis confessio & petitio absolutionis, quia ministeriũ priuatæ absolutionis nequaquàm frustra institutum est, ut infrà copiosius dicam: & semper fuit in Ecclesia generalis cõfessio, ut de summo sacerdote in Lege dicitur: Teneat uictimam, & confiteatur peccata populi. Et in Nehemia dicitur; Filij Israël cõueniebant in ieiunio, & confitebanť peccata sua. Et de auditoribus Baptistæ dicitur: Baptizabantur in Iordane, confitentes peccata sua.

Hæc non erat singulorum enumeratio, sed in genere confitebantur se reos esse, ut decet esse uocem piorũ tribuentẽ Deo iusticiã in nobis accusandis, & gloriã iusticię, ꝑpter missum filiũ, ut Daniel clamitat: Tibi Dñe iusticia, nobis autem confusio faciei. Item: Tua est propiciatio. Et hæc ipsa generalis confessio & petitio absolutionis, testatur in Ecclesia recipi lapsos.

Sed alia disputatio est de enumeratione singulorũ, multorũ aut omnium delictorum, ac prẹsertim arcanorum: hîc taxandi sunt tres errores. Primus,

quòd finxerũt hanc enumeratiõem mereri remiſsionem, ꝑpter pudorem.

Secundus error, quòd aiunt recitationem neceſſariam eſſe, ut indicetur ſatisfactio.

Tertius error, quòd neceſſaria ſit enumeratio, et quòd remiſsio pendeat ex conditione enumerationis, quia dicunt diuinitus præceptam eſſe.

Hæ tres opiniones falſæ ſunt, & obſcurant gloriã filij Dei, & ſunt laquei conſcientiarũ, ut conſtat multos ambigentes an ſatis purè confeſsi eſſent, in magnis mœroribus fuiſſe. Talis dubitatio fidem & inuocatiõem impedit, & aut deſperationem, aut Epicureũ contemptum adfert. Neceſſe eſt igitur & ueritatem conſpici in Eccleſia, & uulnera conſcientiarum ſanari.

Manifeſtum eſt autem in arcana confeſsione, enumerationem omnium, uel paucorum delictorum non eſſe præceptam iure diuino, quia nuſquam uoce Chriſti, aut Prophetarum, aut Apoſtolorum præcipitur. Et enumeratio ſingulorũ eſt impoſsibilis, quia ualde multa ſunt errata & delicta ſingulorum, quę nec intelligunt, nec meminerunt, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Ideo certum eſt conſcientias nequaquàm onerandas eſſe ſingulorũ enumeratione, & nequaquàm pendere remiſsionem ex enumeratione.

Hanc doctrinam neceſſariam eſſe pijs, manifeſtum eſt, quia triſtiſsima carnificina excruciarentur, ſi putarent ſingula nominatim recitanda eſſe, nec remitti peccatum ſine illa anxia recitatione.

Nunc autem de hac quæſtione non diſputabo prolixius, cùm manifeſta ſit ueritas, et ante hanc ætatem ſaniores ſcriptores ita iudicauerint, enumerationem ſingulorum non præcipi iure diuino, ſicut aperte inquit Panormitanus: & Chryſoſtomus in enarratione Pſalmi 50. dicit: Si pudet alicui dicere peccata, dicito ea quotidie in anima tua, non dico ut confitearis conſeruo tuo, ut tibi exprobret, dicito Deo qui ſanat ea. Nec eſt in Græca Eccleſia hic mos enumerationis arcanorum.

Omitto autem hoc loco refutationem argumentorum, quibus aduerſarij oſtendere conantur, neceſſariam eſſe enumerationem ſingulorum, & iure diuino præceptã. Nam alibi de eis ſatis dictum eſt. Ac ſciunt ipſi aduerſarij ſe has præſtigias offundere oculis & animis populi, non quòd ſic ſentiant, ſed ne hunc neruum ſuæ potentiæ amittant.

Cęterùm ſentio generalem confeſsionẽ retinendã eſſe, cùm petitur abſolutio. Sicut enim in Nehemia ſcriptũ eſt: Confitebãtur peccata ſua: ita decet aliquã uocem eſſe uerè dolentiũ, qua fateanť ſe reos, et ſe Deo ſubijciãt, & ei laudem iuſticię tribuãt, quòd iuſte dãnet peccata, & iuſtè nos puniat, ac rurſus tribuant ei laudem miſericordię, agant gratias quòd ꝑpter filium receperit genus humanũ prolato admirando decreto ex arcano ſinu. Deinde petať abſolutio, quę eſt uox miniſterij Euangelici priuatim applicans remiſsionem petenti, cùm filius Dei dixerit: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: & poſuerit in nobis ſermonem recõciliationis: ego mandato filij Dei annuncio tibi uocem Euangelij remittentem peccata, & tibi ipſi peccata remitti à Deo pronuncio propter filium Dominũ noſtrum Ieſum Chriſtum, crucifixũ pro nobis, & reſuſcitatum. Ac præcipio tibi, ne aſperneris mortem filij Dei, quæ pro te, & reliquis credentibus fuit ſacrificium placans iram æterni Patris, ſed uerè credas ꝑmiſsioni Euangelij, & ſtatuas te recipi à Deo, cùm credis tibi ipſi propter hunc mediatorem remitti.

Hanc

Hanc absolutionem sciamus non esse uocem humanæ autoritatis, sed diuinæ, sonantis in ministerio Euangelij, sicut Dauid ualde cumulasset sua peccata, si non credidisset uoci Nathan: DOMINVS ABSTVLIT PECCATVM TVVM. Ita peccant omnes, qui in pauoribus, & in pœnitentia nolunt absolutioni credere, & eam consolationem admittere nolunt, nec redeunt ad inuocationem, nec se fide & spe erigunt.

Hic etiam necesse est taxari hunc errorem Monachorum, quòd dixerũt absolutionem irritam esse, si non sit sufficiens contritio. Sed sciant pij oportere fieri conuersionem, sicut iusiurandum inquit: Viuo ego nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Oportet igitur aliquam esse contritionem, & non retineri propositum peccandi: & accendatur fides, & sit deinde bona conscientia, id est, propositum, non faciendi contra conscientiam. Hęc cùm adsunt, certissimum est absolutionem ratam & firmam esse, quam quidem fide oportet accipi, quæ non potest simul esse cum proposito delinquendi: & fides intuetur filium Dei, propter hunc statuit iuxta promissionem gratis remissa esse peccata, non propter contritionem, aut gradus contritionis, aut confessionem, &c.

Vt autem aliâs sæpe dixi, nequaquam abolenda est priuata absolutio, quia manifestissimum est promissionẽ Euangelij, & multis & singulis applicari posse: & de singulis manifestè loquitur concio in capite 18 Matthæi: Quoties remittã: septuagies septies: q locus uerè, & rectè de ministerio absolutiõis intelligitur. Et dictũ: QVORVM REMISERITIS PECCATA, REMITTVNTVR EIS, de multis et singulis rectè intelligi certũ est.

Deinde & exemplum consideretur: hic mos priuatim absoluẽdi, multum conducit ad retinendum intellectũ Euangelij proprium, quòd Euangelium cõtineat promissionem remissionis peccatorum. Est & illustre testimonium, q post Baptismum lapsi conuerti possint, & conuersi recipiendi sint, & absoluendi, ac rursus fiant heredes uitę æternę. Hæc causa ualde mouere pias mentes debet, ut ament & tueantur priuatam absolutionem, & suo exemplo eius conseruationem adiuuent.

DE SATISFACTIONE.

IN hâc distinctione partium pœnitentiæ, nomen satisfactionis, ut in hoc loco usurpatum est, nõ significat compensationẽ Deo pro culpa satisfacientem, & placantẽ iram Dei, quæ satisfactio pprie per filium facta est. Nec significat satisfactionem forensem, qua debitor soluit pecuniã, quam debet, aut is qui alium iniuria affecit, sibi ignosci orat. Nam hæc forensis satisfactio, est opus debitum, & pertinet ad contritionem, ac bonum propositum. Vt raptor alienę coniugis, si nõ reddit marito coniugem, manet adulter, & est sine contritione, & sine bono proposito. Ita debitor non uolens soluere cùm possit, manet fur, & regula uera est dextrè intellecta: Peccatum non remittitur, nisi ablatum restituatur.

Sed hanc tertiam partem pœnitentiæ nominant satisfactionem Canonicam, quę olim erat publicũ spectaculum, in quo stabant certo loco agentes pœnitentiam, & seruabant ieiunia aliquot dierum aut mensium ante absolutionem, & palàm ostendebantur populo tanquàm rei & lugentes, ut extaret signũ non simulatæ pœnitentiæ, & ut alij his exemplis commonefacti, diligentius regerent mores ne laberentur. Horum rituum initio mo-

dus aliquis fuit, & abfuit superstitio: nemo cogitabat se mereri hoc spectaculo remissionem culpæ, uel pœnæ, sed exemplũ erat utile disciplinæ, pertinens ad politiam Ecclesiasticam.

Non dubium est autem hos ritus, quibus rei atrocium delictorum uelut notati ostendebantur populo, ortos esse à primis patribus. Semper enim fuit ceremonia aliqua excommunicationis inde usq; à Cain, & manserunt uestigia apud Ethnicos, sicut de Cain dicitur, signum ei additum esse.

Ita postea rei homicidiorũ, gesserunt signa reatus in uestitu, donec reciperentur, ut scirent alij hos esse pollutos & fugiendos. Nam excommunicati, erant exclusi à societate sacrorum, mensæ & multorum officiorum. Nemo unà cibum capiebat, donec ille homicida, uel incestus gerebat signa reatus, & erant certa uerba excommunicationis, quæ uocabantur Diræ, Græcè ἀραί. Sic Orestes uagatus est in Græcia, abstinens ab aliorum conuictu, ac gerens signa reatus, quæ postea ei adempta sunt, cum in iudicio absolueretur. Et multa talia exempla recitantur, ut Adrasti apud Herodotum, qui ad Crœsum uenit gerens signa reatus.

Cùm autem huius uetusti moris uestigia essent adhuc in populo Iudaico, & gentibus non omnino barbaricis, recepta est hæc disciplina etiam ab Ecclesia, fuitq; initio modus earum ceremoniarũ, sed postea superstitio addidit remissionẽ peccatorum dari propter hanc castigationem. Hæc opinio auxit has mulctas, adeo ut tandem intolerabiles essent. Rursus igitur laxatæ sunt, & hoc uocabant Episcopi indulgentias, id est, remissiones talium spectaculorũ, de quibus Canones præceperant, Ita paulatim illa uetera spectacula cessarũt, nomen mansit satisfactionis nõ intellectũ à populo.

Sed fatentur Monachi satisfactiones nõ mereri remissionem culpę. Vt autem aliquid tribuerent mulctis, finxerunt non remitti pœnã æternam, nisi propter compensationem pœnarũ purgatorij, uel aliarum temporalium. Dixerunt igitur satisfactiones mereri remissionem pœnarum purgatorij, uel aliarum pœnarũ huius uitę. Hic prudentia in iudicando adhibenda est.

Primum autem necesse est nosse definitionem satisfactionis Canonicæ, quam ipsi tradunt.

Satisfactio Canonica, est facere opera non debita, id est, non mandata lege Dei, sed opera supererogationis iniuncta ab Episcopis, uel ministris, ut mereantur remissionem pœnæ purgatorij, uel aliarũ pœnarũ huius uitę.

Nunc consideret lector, de quibus materijs in hoc loco dicendum sit, scilicet de impletione legis, de discrimine operum quę Deus præcepit, & aliorum quæ Deus non præcepit, de remissione pœnæ æternę, de discrimine remissionis culpæ, & remissionis pœnarum temporalium, de causis pœnarum temporalium, & afflictionum in Ecclesia, &c. Has materias rectè & uerè explicari necesse est. Ideo hunc locum de satisfactione repeto.

Secundo, semper iungi oportet remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, estq; unum & idem beneficium filij Dei gratuitum, tollere culpam & tollere mortem æternam: ac tollere culpam, est placare iram Dei.

Cùm igitur pœna æterna sit sentire horrendam & inenarrabilem iram Dei manentem, sicut Ioannes inquit: ira Dei manet super eum, sciamus culpam & pœnam æternam simul tolli propter solum mediatorem filium Dei, non propter ullam nostram compensationem. Ideo Oseæ 13. dicitur:

Ero

Ero mors tua ô mors, & pestis tua inferne. Et Paulus: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati Lex. Deo autem gratia, qui dat nobis uictoriā per Dominū nostrum Iesum Christum. Ideo certissime statuendum est fide propter filium Dei simul remitti culpam, & tolli pœnam æternam gratis, id est, sine nostra compensatione.

Hæc consolatio luceat in mentibus, nec languefieri fidem sinamus cura nostrarum satisfactionum, ac certo statuamus non adferendas esse in illud arcanum iudicium Dei, (ubi angimur de ira Dei, uel morte æterna) nostras satisfactiones, sed solum sacrificium filij Dei intuendum esse, huius sanguine credamus deleri culpam, & tolli pœnas æternas: hic satisfecit iusticiæ Dei, ut Ioannes inquit: Hic est propiciatio pro peccatis nostris, nec pro nostris tantum, sed pro totius mundi peccatis.

Et triumphi descriptio ad Coloss. sit in conspectu, ubi Paulus diserte inquit, uictorem filium Dei, à seipso domitas, & captas potestates inferorū, ducere in Triumpho. Huius triumphi gloriam non transferamus in nostra opera. Firmissime igitur hæc consolatio tenenda est: Fide iustificati pacem habemus apud Deum, id est, certum est iram Dei placatam esse, & nos liberatos esse à pœnis æternis. Quare non sunt conscientiæ turbandæ imaginatione Monachorum de Satisfactionibus.

Tertio, manifesti errores sunt in doctrina Monachorum de satisfactionibus cum alibi, tum hîc quoq;, quòd fingunt opera non mandata à Deo, esse cultus Dei, & mereri remissionem culpæ & pœnarū. Vt certis diebus abstinere à carnibus, &c. Talia opera immediate hoc fine facta, ut per ea Deus honore afficiatur, uocant cultus. Contra quam persuasionē tenenda est regula uerissima: Frustra colunt me mandatis hominū. Hoc unum argumentum etiam satis firmum est ad refutandas satisfactiones, de quibus Monachi loquuntur, quæ quidem eo maiore cura taxandæ sunt, quia persuasio de satisfactionibus ualde auxit traditiones humanas, & confirmauit opinionem, quæ fingit opera non mandata à Deo, cultus Dei esse.

Est autem cultus Dei, opus à Deo mandatum, & factum in agnitione, & fide filij Dei, cuius operis principalis finis est, seu mediatus, seu immediatus, ut Deus honore afficiatur. Omitto iam quæ de impletione legis in hac materia Monachi dixerunt.

Quarto, etsi uerissimum est, remissionem pœnæ æternę nunq̃ diuellendam esse à remissione culpę: tamen necesse est discerni remissionem culpę, à remissione pœnarum temporaliū huius uitę. Nam Ecclesia propter multas causas cruci subiecta est, quas semper in conspectu esse oportet, quarū aliæ sunt impulsiuæ, aliæ finales, aliæ παροξυντικαί, id est, irritatrices.

Prima est, cùm propter lapsum primorum parentū tota posteritas rea sit & immunda, subiecta est morti corporis, & alijs ærumnis Ecclesia Dei, sicut reliquum genus humanum.

Secunda, cùm mundus interiorē immundiciem humani cordis, dubitationes de Deo, neglectionem Dei, & multas uiciosas flammas cupiditatū, non ducat esse res à Deo damnatas, & contemnat iram Dei: Ecclesia magis premitur, quia uult Deus in Ecclesia conspici iram suam, & uult in nobis omnibus pœnitentiam crescere. 1. Petri 4. Iudicium à domo Dei incipit. Item Salomon: Filium quem diligit, corripit.

cup

Tertia causa, quia Diabolus maiore odio filij Dei, & Ecclesię ardet, ideo rabiosius grassatur in Ecclesia: conatur multos euertere; excitat hæreses, & facit uarias dissipationes. De hac causa dictum est in Genesi: Serpens mordebit calcaneum eius.

Quarta, sæpissime singulares aliquæ calamitates, pœnæ sunt certorum delictorum, quas Deus ideo irrogat hominibus, quia & iusticię Dei est punire peccata, & uult Deus in hac uita in aliquibus exemplis conspici iram suam, & iustum iudicium aduersus peccata, & uult reuocari lapsos ad pœnitentiam. Sic Dauid propter adulterium & proditum Vriam eiectus est ex regno. Manasse abducitur in exilium: & de uniuersi populi exilio, & urbis Ierosolymę excidio inquit Ieremias cap. 22. Et dicent unusquisq; proximo suo, quare sic fecit Dominus? & respondebunt, eo q reliquerunt pactū Domini Dei sui, & adorauerūt deos alienos. Et Mich. 7. Iram Domini portabo, quia peccaui ei. Psalm. 88. Visitabo in uirga iniquitates eorum.

Quinta causa, ut adflictiones sint testimonia doctrinæ, ut Ieremias, Baptista, non propter peculiaria delicta interficiuntur, sed propter alias causas, ut ærumnæ testentur eos serio sic sentire ut docent, quia ueritatem anteferunt uitæ, & omnibus commodis corporum.

Sexta causa, ut adflictiones sint testimonium immortalitatis. Cūm enim Deus illustribus miraculis ostēderit sibi placere Abel, Paulum, & similes, & tamen sinit eos interfici, necesse est restare aliud iudicium.

Septima, ut fiamus similes imaginis filij Dei.

Octaua, etiam ubi non sunt externa delicta atrocia, tamen Deus uult in multis interiora mala, superbiam, admirationem sui, carnalem securitatem emendare ut dicitur: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discerem iustificationes tuas.

Nona causa, ut appareat sanctos uniuersam obedientiam præstare principaliter propter gloriam Dei, non tantū propter suas utilitates, ut in Psalmo dicitur: Hæc omnia uenerunt super nos, nec obliti sumus te.

Decima, ut adpareat Ecclesiā non humanis consilijs & præsidijs, sed ab ipso filio dei capite & duce Ecclesiæ diuina potentia colligi, defendi & seruari, & in nostra infirmitate conspiciatur præsentia filij Dei propugnantis nos contra Diabolum, 2. Corinth. 4. Circumferimus Thesaurum hunc in uasis testaceis, ut excellentia potentiæ sit Dei, & non ex nobis.

Cūm igitur multæ diuersæ causæ sint, cur Ecclesia subiecta sit cruci, nō imaginandum est omnes calamitates certorum delictorum pœnas esse: & satis commode distribuuntur afflictiones in quatuor genera. Aliæ sunt τιμωρίαι, id est, pœnæ certorum factorum, ut exilium Dauidis, uel supplicia politicum homicidarum, quæ etiamsi sunt pœnæ, non tamen merentur remissionem culpæ, aut pœnæ æternæ, sed sunt signa irę Dei aduersus peccatum, uel testimonia iusticiæ Dei irascentis peccato.

Aliæ sunt δοκιμασίαι, id est, exercitia utilia ad frenandos pios, & ad confirmandam fidem, ut ærumnæ Ioseph.

Aliæ sunt μαρτύρια, id est, testimonia doctrinæ, & immortalitatis, ut Abel, Hieremiæ, Pauli, & similium neces.

Aliæ sunt λύτρα, id est, precium pro aliorum peccatis. Tale autem est sola mors unius filij Dei, Sic Matth. 20. nominat suam passionē ipse filius Dei,

qua

qua uoce admonemur de re maxima uidelicet, non ſine admiranda diſputatione, de collatione iuſticiæ & miſericordiæ Dei, remiſſa eſſe generi humano peccata, quomodo uidelicet Deus ſimul & iuſtus, & miſericors eſſet. Eijciamus enim ex mentibus noſtris ſtultas opiniones humanas, quæ ſomniant Deum ut lentum Patremfamilias, ſeu ut Stoicum non iraſci peccato, imo iuſticia Dei uerè & horribiliter iraſcitur omnibus omnium peccatis, ut dicitur: Deus eſt ignis conſumens.

Fuit igitur diſputatio de collatione iuſticiæ & miſericordiæ, quam nulla creatura explicare potuiſſet, ſed miranda deliberatione diuina res ita dijudicata eſt, ut ira in filium deriuaretur, & cæteris hominibus propter filium parceretur. Nam neceſſe fuit Deo uel per obedientiam, uel per pœnam æquiualentem ſatisfieri.

Huius mirandæ deliberationis cauſas diſcemus in uita æterna, nunc beneficium ipſum uult nos agnoſcere Deus, & uult nos utrunq; cogitare, ingentem eſſe miſericordiam, quòd genus humanum receptum eſt, & ſimul ueram & ingentem iram aduerſus peccatum, quòd pœnam & compenſationem tantam interuenire oportuit.

Huc pertinet uetus argumentum dignum conſideratione.

Miſericordiæ eſt parcere, ſed iuſticię eſt immutabiliter ſeruare legem, requirere obedientiam, uel pœnam æqualem.

Deus non ſolum eſt miſericors, ſed etiam iuſtus. Non igitur remittit ſine compenſatione, ſeu ſatisfactione.

Reſpondeo: Concedo totum argumentum. Non facta eſt remiſsio ſine ſatisfactione, ſcilicet perſoluta per filium Dei: ſola obediẽtia filij Dei eſt ſatisfactio, & æquale precium pro noſtris peccatis, & ſacrificium placans iram Dei, ſicut & Eſaias inquit: Ponet animam ſuam hoſtiam pro peccato. Hanc uictimam uult Deus aſpici, & iram & miſericordiam conſiderari. Nec tribuendus eſt hic tãtus honos, uidelicet eſſe λύτρον ſeu ſatisfactionem pro peccatis, ullì hominum iuſticiæ.

Neceſſe eſt igitur taxari errores de Canonicis ſatisfactionibus, ſparſos in Eccleſiam horribili cæcitate. Manifeſte falſum eſt remitti pœnam ęternam propter Canonicas ſatisfactiones: manifeſte falſum & hoc eſt, poteſtate clauium tolli pœnas temporales non impoſitas arbitrio miniſtrorum, ſed communes illas uagantes per totum genus humanum propter iram Dei uel ꝑpter confeſsionem, ut morbos, bella, inopiam, & ſimiles, quæ ſunt aliâs δοκιμασίαι, aliâs τιμωρίαι, aliâs μαρτύρια. Hæc genera nihil ad poteſtatem clauium pertinent, id eſt, poteſtas clauium nec imponit, nec remittit.

Etſi autem uitandæ obſcuritatis cauſa nolo recitare omnes labyrinthos huius materiæ, tamen quædam argumenta refutabo, quæ nunc excogitãt aliqui aſtutè, ut errores prætextu aliquo ſtabiliant.

Primum eſt hoc: Eccleſia piè facit iubens quærere mitigationem pœnarum, & modum oſtendens.

Certiſsimum eſt autẽ propter bona opera mitigari pœnas temporales.

Igitur Eccleſia rectè facit, iubens facere certa opera.

Reſpondeo ad Maiorem. Eccleſia rectè facit iubens quærere mitigationem pœnarum, & modum oſtendens ſcilicet traditum in Euangelio, non excogitans nouos cultus. Veriſsimum eſt autem mitigari pœnas tota con-

uersione & bonis operibus à Deo mandatis. Clamet Ecclesia sicut filius Dei, & sicut uox spiritus sancti semper clamat: Agite pœnitentiam. Item: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.

Item: Si peccata uestra fuerint ut coccinum, eritis candidi sicut nix. Si eritis in tristissimis pœnis, & uelut homicidæ in supplicio conspersi cruore, tamen Deus mitigabit pœnas, deterget cruorem. Item: Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad uos.

Hæc inchoatio nouæ obedientiæ, meretur mitigationem pœnarum tẽporalium, & de his operibus à Deo mandatis intelligatur MINOR, non affingantur alia opera seu cultus non mandati à Deo. Quare si in conclusione addatur, Ecclesiam rectè facere indicentem alia quædam opera nõ mandata à Deo, insidiæ sunt in conclusione, & neganda est consequentia, quia plus est in cõclusione, quàm in præmissis. Ecclesia rectè facit præcipiẽs totam conuersionem, & bona opera mandata à Deo, sicut mandata sunt: nõ rectè facit fingens homines lege iustos esse, & alia noua opera facienda esse tanquam supererogationis, quæ sint precium ad cõpensandas pœnas.

Cæterum de criminibus populo notis, antea dictum est, Ecclesiam cùm recipit lapsos, posse exempli causa, publicè commemorare delictum & pœnitentiam, & adiungere aliquã piam obiurgationem & adhortationẽ, &c.

Obijcitur & Pauli dictum: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur. Ergo si Ecclesia puniret, Deus parceret nobis, & mitigaret calamitates publicas & priuatas.

Speciosum argumentum est, sed prudenter discernenda est uera castigatio ab hypocrisi. Totum argumentum uerum est dextrè intellectum. Si nos iudicaremus, id est, castigaremus seu emendaremus uera conuersione, id est, si uero dolore cruciaremur, quod Deum offendimus, quòd nostris scandalis turbauimus spiritum sanctum, quòd nobis & Ecclesiæ cumulauimus miserias. In tali conuersione, fides, spes, inuocatio & noua obedientia uerè impetrarent mitigationem pœnarum, ut supra dictum est. Et Iohel inquit: Conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quia bonus est, & remittit pœnas.

Cùm igitur Paulus inquit: Si nos iudicaremus, &c. ueram pœnitentiam seu ipsam conuersionem ad Deum intelligit, nec de alijs operibus non debitis loquitur, de quibus scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominũ. Et sine uera conuersione nulla opera Deo placent, quia Deus requirit obedientiam cordis, id est, uerum timorem, ueram fidem, spem acquiescentem in promissione Dei, ueram inuocationem, iuxta illa dicta: Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & ueritate.

Item: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Nec plus ualent coram Deo ieiunia non conuersorum, aut aliæ pœnæ, quàm ualuerunt lacerationes corporum, quas faciebant sacerdotes Baal, & quales hodie dicuntur facere Turcici sacerdotes, qui ritus omnes ad hanc regulam pertinent: Frustra colunt me mandatis hominum.

Hæc de satisfactionibus hoc loco dixisse satis sit. Nam & alibi eadem doctrina sæpe exposita est, sed necesse est totam doctrinam de pœnitentia, sæpe in Ecclesia repeti, ut omnibus notissima sit, & semper sit in conspectu,

spectu, quia in omni inuocatione quotidie cogitanda est. Semper enim ob-strepit inuocanti hæc tristis concio: Peccatores Deus non exaudit.

Huius obiectionis refutatio sumenda est ex doctrina de poenitentia, ui-delicet non audiri peccatores, non agentes poenitentiam, sed agenti poeni-tentiam mandatum est, ut credat se propter filium Dei gratis recipi & acci-pi, ac placere eius inuocationem. Hanc fidei lucem non sinamus extingui falsis opinionibus de satisfactione Canonica, sicut sæpe in Ecclesia ualde obscurata est etiam uetustis temporibus: & cùm extinguitur hæc lux fidei recipiuntur opiniones Ethnicæ & Turcicæ, quæ fingunt remitti culpam p-pter satisfactiones humanas, sicut nunc quoq; docent Turcæ, remitti periu-rium diuiti, si decem pauperibus præbeat uestem: & homines non præmo-niti, facilè capiuntur illa operum specie. Ideo tales opiniones maiore cura refutandæ sunt, & simul corda excitanda ad ueram conuersionem, quæ si-ne ulla dubitatione impetrat auxilium Dei & mitigationem præsentiũ calamitatum, ut dictum est. Et pro hac luce doctrinæ Deo gratias agamus, & gratitudinem declaremus in confessione & studio conseruandæ huius pu-ritatis.

FINIS.

CLARISSIMO

VIRO D. GREGORIO PONTANO Doctori Iuris, Cancellario Ducis Saxoniæ Electoris, Ioannes Brentius S. D.



LVCET inprimis in politijs sapiētia ac bonitas Dei, qui cum tueri institutam a se ciuilem societatem uelit, subinde dat præstantes uiros, qui sapientia & uirtute fulciant aut restituant respub. Ita Solon Atticā ciuitatem cōcussam dissensionibus ciuiū rursus erexit. Et Augustus legibus, iudicijs, præsidijs, tranquillitatem Imperij Romani muniuit. Nec in tāta humani generis contumacia perfici hæc possunt sine ingenti labore, ac cœlesti auxilio. Quare præcipuum in terris decus est in eo munere fœliciter uersari. Sed ad id accedit longe maius ac grauius onus, cū tales gubernatores, non tantum ciuilia negocia regunt, ut Solon & Augustus, sed etiam propugnant ueram Religionem, quales fuerunt Ioseph, Esaias, Ieremias, & Daniel, qui cum intelligerent Politias debere esse hospitia cœlestis doctrinæ, ad curam regendorum Imperiorum, alterā maiorem adiunxerunt, ut relligiones emendarent. Ea uero illis ingentia certamina ac pericula peperit. Nam Diabolus ardens horribili odio DEI, facit impetū aduersus tales uiros, ubicunque potest, & instigat furijs tyrannos & Epicureos sapientes, ut summa immanitate odij, & armis illos persequantur. Itaque nullum est maius onus, quàm ueræ religionis professio, ut cum cæterorum piorum supplicia, tum præcipuè filij DEI adflictiones & cruciatus testantur. Hos cum cęteri mortales, tum uero maxime principes mundi, & qui ignari pietatis, sapientia excellunt, quid aliud quàm καθάρματα ac piacula esse sentiunt? Propter hos arbitrantur DEVM toti rerum naturę irasci, propter hos negare terram fruges, & solem ac lunam pallescere, clamitant, Ideoq; quantum possunt, annituntur, ut eos funditus deleant. Nec profecto pij, qui hæc perspiciunt, perferre odia possent, nisi diuinitus erigerentur, ac uiderent se organa & milites esse filij DEI bellū gerentis ἄσπονδον cum Diabolo. Cum autem & te, Pontane, uideamus in simili munere, ut Esaiam, aut Danielem uersari, hoc est, ad gubernationem reipublicæ adiungere doctrinæ cœlestis propugnationem, conuenit, ut gratias DEO agamus ꝙ dat nobis gubernatores reipublicæ non solum sapientes, sed etiā pios, ac uota faciamus ut filius DEI, qui donatus est nobis, destruat opera Diaboli, te in sanctissimo munere tuo adiuuet. Quoties te stantem in corona principū & dicentem CHRISTI caussam contra tyrannos uidi, subijt animum imago Danielis sedentis inter leonum agmina, & cum de odiorū ac periculi magnitudine cogitaui, tum uero erexi animum meum ijs consolationibus, quę nobis diuinitus propositę sunt. Propheta DANIEL significat multo etiā difficiliora certamina nobis impendere his postremis temporibus, quàm qualia ueterum fuerunt, sed magna consolatio nobis pro-

posita

posita est, quod spiritus sanctus expresse uocat pios ad hanc militiam, ne assentiantur Pontificibus impijs, qui in Ecclesia defendent εἰδωλομανίας, prędicit futura esse certamina ingentia, testatur DEO placere labores nostros, promittit etiam auxilium. Quare, quod facis, excelso animo contemnas odia & furorem sapientum Epicureorum, tibique gratulare hanc uocationem, quod in hanc stationem diuinitus collocatus es, qua nulla est in uita augustior, in qua tibi prælucent exempla summorum uirorum, Esaię, Ieremiæ, & similium, teque ad perferendos labores hortantur, in qua custodes habes angelos, ac ducem filium DEI, qui conteret caput serpentis, cũ quo præliatur. Cum autem scirem te pijs & eruditis scriptis maximè fauere. Scis enim & eos, qui docent suos labores debere cum uestris coniungere, ac curare, ut extet & ad posteros perueniat doctrina Euangelij recte explicata, uolui, ut auspicio nominis tui hæ conciones de Pœnitentia, à D. Christophoro Hoffman, eruditè & pie scriptæ, in publicum ederentur. Sperabam enim fore, ut tuo nomine plures ad lectionem inuitarentur, simul etiam uolui extare significationem obseruantiæ & meæ & aliorum, quam tibi debemus. Et quia precibus adiuuare ἀγωνιζομένους τῷ εὐαγγελίῳ debemus, studium nostrum in hoc ponimus, ut te DOMINO nostro IESV CHRISTO commendemus, quem oro, ut te Ecclesiæ & reipublicæ seruet incolumem. Bene uale.

Cultus

Operum

P.

Q.

R.

COMMENTARIORVM DE POENITENtia, Liber Primus, in quo de uera pietate, & uero DEI cultu.

QVAE SVMMATIM IN PRIMO LIBRO de Pœnitentia doceantur.

PARS PRIMA, CONTINET POEnitentiæ definitionem, in qua est operis totius fundamentum.

PARS SECVNDA, HABET EXpositionem de uera contritione, priore pœnitentiæ parte.

PARS TERTIA, DE FIDE ET IVSTIficatione scripta est: seu, de consolatione quæ fit per Euangelium, posteriore pœnitentiæ parte.

PRAEFATIO



PRAEFATIO IN QVA

DE OCCASIONE ET ARGVMENTO SEquentis libri de pœnitentia.



SCRIPSIT de pœnitentia Longobardus, sed cōsarcinatis fere ex patribus sententijs, & mutilatis. Atque hunc secuti sunt Scholastici Theologi, quibus similiter peruersum ac demens consilium fuit, scribendi & coaceruandi commētarios in Longobardum, potius quam scripturę sentētiam enarrandi. Et erat quidē melius atq; utilius, illos prorsus tacere, per quos uidelicet factum est, ut scripturæ sententiam de Christiana pœnitentia diu ignorauerimus, quam uel nominum eorum recordari: si ita extirpari & sepeliri possent. Sed quoniam nunc regnant, ne dicam grassantur in totius prope orbis Ecclesijs: & illæ nō possunt a sordibus doctrinæ repurgari, nisi de corrupta per istos Theologos Ecclesiastica & Christiana doctrina admoneātur: pertrahendi sunt in iudicium, & de prophanata pœnitentiæ doctrina conuincendi ac damnandi.

Longobardus.

Scholastici Theologi.

Igitur pœnitentiæ quidem fecerunt tres partes: Contritionem, Confessionem & Satisfactionem. Sed omnino, si quid boni in illis partibus erat, id totum uanissimis commentis, uel philosophiæ rationis, aut pharisaicarum traditionum fœde contaminauerunt & corruperunt. Nam primum docent, ut homines pœnitentiam eliciant sua industria: & deinde addunt, quod his operibus sibi gratiam saluationis mereantur. Quo non solum pœnitentiam recte nō docent: uerum etiam Euangelium, quod concionatur de fide placati & reconciliati nobis Dei, remissi peccati, donatæ iusticiæ & ui

Scholastici de pœnitentia quid doceant.

uitae aeternae, prorsus obscurant atq; excludunt. Ac libet ea de re paucis praefari, ut lectori consilium meum, quod contra istorum dogmata, pro ueritatis & gloriae Christi assertione, in hoc meo scripto secutus sum, plane aperiam. Sic enim melius intelliget, quam necessarium sit, omnibus modis & omnium uiribus, prophanatam Ecclesiasticam doctrinam, rursus per Sanctae scripturae iudicium & sententiam repurgare.

Contritio Scholasticis quid.

Proinde contritio, seu cōpunctio cordis prima est, quam Scholastici definiunt dolorem uoluntarie pro peccatis assumptum: & illi, sicut alijs operibus nostris, tribuunt meritum gratiae & remissionis peccati. Verum haec de contritione persuasio, est inanis & ficta rationis cogitatio & merum hominis somnium: nec simpliciter aberratur in eo a Scholasticis. Primum enim, quia contritionem elinguunt esse rationis opus, quae est opus Spiritus sancti in nobis: quod suis in locis clare demonstrabimus & euincemus. Deinde quod operi nostro tribuunt meritum remissionis peccati, quae donatur gratis, propter solum Christum, his qui promissioni gratiae credunt. Quare ita sentiendum est, & sic confirmandae erunt Ecclesiae, quod uera contritio & uerus animi dolor, in quo est uera detestatio peccati propter Deum offensum, non fit nostra industria: sed contingit dono Dei, aliud plerunque agentibus & conantibus nobis. Nec meretur remissionem peccati, sed seruit ad humiliationem nostri ueram coram Deo: in primis autem ad deprimendam, impiam illam, & superbam ac uanam persuasionem, seu opinionem, de merito & dignitate iusticiae rationis coram Deo. Denique, si quibus illa uenit, sine fide gratuitae remissionis peccati, eos protrudit ac mergit in perpetuam desperationem: & sic uitae aeternae salute priuat. Tantum abest, ut cum alijs operibus legis, meritoria saluationis esse possit.

Confessio Scholasticorum quam sacramentalem uocant.

Porro Scholastici suae opinatae contritioni, secundo loco addunt Confessionem oris: qua parte intelligunt confessionem delictorum, quae a contritis fiat. Et licet, sit aliqua delictorum confessio necessaria, quam pij faciāt coram Deo & hominibus, tamen Scholastici, belli doctores, hanc solam nobis praedicant, pro qua facienda Romani pontifices, etiam edicto requirunt a nobis certam omnium delictorum nostrorum enumerationem, usq; ad minutissimas cogitationes cordis. Porro istam scrupulosam, difficilem, imo impossibilē confessionem delictorum, iubent fieri pontifices a singulis coram priuato sacerdote, uel semel in anno: ut uide

as ni

as nihil quam hypocrisim, in hac quoque parte, ab illis doceri, & requiri. Scholastici autem hanc non minus quam contritionem maximi meriti esse, pro depulsione peccati fingunt: ipsamque uocant Sacramentalem, cum prorsus sine omni mandato Dei doceatur, atrox, uiolēta, pharisaica, & multis modis impia & indigna Christianis, quod in quodam alio opere, propitio Christo Iesu, dicam & ostendam.

Tertio loco agunt de satisfactione operis. Et cū potuissent hac parte Scholastici, de exteriore poenitentia, quæ est quędam perpetua nouatio uitæ, & studiū pertinax, ut ita dicam, declinandi a malo & faciendi bonum, dicere: quod tolerabiliter satisfactio uocari posset. Non quia illo pro peccatis, aut poenis peccati satisfiat: Sanguis enim Iesu Christi filij Dei emundat nos ab omni peccato & liberat ab æterna morte. Sed quia in eo nonnihil satisfit uoluntati Dei: qui uidelicet illam poenitētiam a nobis requirit. Nam a Christo & Apostolis docetur: adeoque ab omnibus Prophetis. De qua Germani sic dicimus: die beste bues nicht mer thō. Optima poenitentia, est noua uita. Qua nimirum receditur a peccato, & implendæ uoluntati Dei homines sese dedunt. Hæc inquam utilia & necessaria, cum potuissent hac in parte Scholastici tractare, maluerūt tamē suo more ineptire, quia iubent, ut satisfactionis nomine quędam opera a confitentibus requirantur: scilicet, quibus satisfaciant iusticiæ diuinæ, punienti alioqui nostra peccata. Porro hic nugantur, de quibusdam operibus non pręceptis a Deo, quæ etiam indebita uocant, nempe, certam eleemosynam, certas precationes, & certa ieiunia. Item, peregrinationes, redemptiones missarum pro uiuis & mortuis: denique emptiones indulgentiarum, omnium pulcherrimas, & utilissimas, non poenitentibus, cætera intelligis. Sed illis tamen non tribuunt meritum remissionis peccati: quia peccata remitti dicunt per contritionem & confessionem: sed meritum remissionis poenæ, non æternæ illius, sed in purgatorio persoluendæ. Quanquam ne hoc figmēto euitare possunt, quin arguantur, quod Christi gloriam obliterent & opprimant.

Satisfactio operis Scholasticorum.

Opera indebita Scholasticorum.

Vides lector, quæ sit libido, iudicantium sine scripturis de uolūtate Dei, & uera ac debita pietate. Existimāt Scholastici, quod homines bene operando, plus facere queant, quam sit omnibus a Deo præceptum: cum diuinis mandatis nemo satisfacere possit, & illa nusquam ocium nobis relinquant, in quo possemus alienis & non præceptis uacare. Sed huius exactiorem discussionem reseruo in

aliud opus. Satis est hic tenere, quod etiam ipsis Scholasticis testibus hæc pars pœnitentiæ non est nisi friuolum & audax rationis commentum & somnium: & prorsus nulla autoritate uerbi Dei docetur. De quo certe in Ecclesia ita pronunciare oportet, ut Christus pronunciat. Matth. xv. producto testimonio ex Esaia: Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longe est a me. Sine caussa autem (μάτην, uane ac frustra) colūt me: docentes doctrinas mandata hominum.

Hæc fere est summa Theologiæ Scholasticę & rationis de pœnitentia, breuiter ac paucis dicta. Ex qua liquet primo, quod in ea tota nullam faciunt de Iesu Christo mentionem. Quanquam non potuerunt illius mentionem facere: uidelicet, in dogmate quod rationis uiribus totum subiacere putant, & illius obedientia hominem sibi gratiam & salutem mereri. Denique, super hæc grauissima incommoda doctrinæ accedit, quod mandatum Dei de agenda pœnitentia, uanis hominum commentis, ne quid durius hic dicam, maxima sui parte contaminauerunt. Ex quo iudicare est, per quem spiritum prodierit in mundū, atque regnet in illo, quid agat, adeoque quam dextre pro Christiana doctrina a magnis quibusdam, utriusque potestatis defendatur: quo tamen nihil quam obliteratur, opprimitur & negatur Euangelium de gratia redemptionis nostræ per Christum, fides uera extinguitur, & solæ doctrinæ & mandata hominum extolluntur & magnificantur. Hæc impia dogmata, quia a multis hoc tempore reuelati denuo nobis Euangelij gratiæ & salutis nostræ per Christum, pertinaciter in Ecclesia, plurimis in locis, retinentur, confutari debent, a quibuscunque tandē hoc fieri potest, quantuliscunque uiribus doctrinæ. Nam Iesu Christo, Domino & seruatori nostro, hanc confessionem ueritatis & suæ gloriæ omnium primo, deinde toti Ecclesiæ, uel periculo huius animæ debemus.

Antichristi Spiritus.

Ostendi paucis, quæ res dederit occasionem mihi, cur animum induxerim de pœnitentia scribere: quod hoc tempore post aliorū grauissimos & sanctissimos labores eo libentius faciam, quia blasphemi homines multi, contra claram Euangelij lucem, ab excusandis & uindicandis erroribus suis, tam crassis quam impijs, nullo modo desistunt: in tantum inanes fidei, & alieni a spiritu Iesu Christi. Nunc dicam de argumento huius libri, cuius tres feci partes: & in prima quidem exposui, quid sit pœnitentia, qualiter maxime clare ac perspicue doceri debeat. Deinde adieci aliquos

Argumentū primi libri de pœnitentia.

quot quæstionum tractationem: quas oportet ubique nosse & tenere, semper in promptu habere; tanquam principia quædam quæ gubernent discentis animum in Christiana doctrina. Nec uisum est alio magis idoneo loco posse eas explicari, quam in ea parte, quæ exponit quid sit pœnitentia. Est enim in illis quæstionibus uelut enarratio quædam & confirmatio definitionis: quod suis in locis cognoscetur, et aptius & maiore fructu, quam hic dici possit. In reliquis duabus partibus egi de contritione & fide: nam & pœnitentiæ has duas principales partes ad præscriptum sacrarum literarum dedi: quibus deinde adieci tertiam illam de fructibus pœnitentiæ, seu externa nouitate, operibus in Christiana resipiscẽtia debitis. Sed illi postremæ tractationi dabitur proprium uolumen, si modo his meis inceptis & conatibus fauerit Iesus Christus. Nolo enim, ut primus liber in nimiam molem excrescat.

Et hæc de argumento futuri operis: in quo etiam separato uolumine pharisaicam doctrinam, de pœnitentia, perstringam. Iam summatim ac paucis percurram, quid omnino oporteat in Christiana pœnitẽtia a nobis spectari. Sane enim uerax & Christiana pœnitentia, hoc est, uerax resipiscentia & cõuersio hominis peccatoris ad Deum, nulla est, nisi quam Deus in peccatore, per uerbum suum & spiritum sanctum operatur. Vnde Christianis, quærentibus gloriam Dei, & suam æternam salutem, quam maxime commendata esse debet uerbi Dei prædicatio & doctrina: cũ legis, tum Euangelij. Nam contritionẽ, ueram illã, quæ non habet simulatos terrores, nõ fictum odiũ peccati, sed in qua est cognitio peccati uera, & a quo liberari homo peccator ueraciter cupit, efficit & operatur in nobis Deus, per legis diuinæ prædicationẽ, & per comminationes illas damnationis impiorũ. Hac uero animi nostri indicibilibus terroribus ita concutiuntur & cruciantur, ut nihil minus uelle, nihil minus amare queant, quam sic conteri. Sed necesse est ita humiliari & ad desperationem salutis redigi: quia Deus non, quã uere humiliatos, cõsolatur, nec sanat nisi contritos corde. Hanc ergo, quam amarius odimus & peius fugimus, ipsa morte, securi hypocritæ fingunt rationis uiribus elici a nobis posse. Deinde, quæ desperationem meditatur, & blasphemat Deum, dicitur pacem operari, gratiam & uitam æternam mereri.

Necessitas et usus uerbi Dei in Ecclesia.

Pœnitentia Christiana.

Sed per Euangelium Deus operatur in conscientijs nostris pacem, promissione remissionis peccati gratuitæ, reconciliationis, iustitiæ & uitæ æternæ, per Christum: quatenus in illum, per hanc

Euangelij promissionē, credimus. Neq; enim aliter sanat deus cor impij & pectoris contritū et cōterritū, nisi hac consolatione per Euangeliū: cuius apud Scholasticos & in ecclesia papistarū altissimū silentium est. Neq; aliter a condemnatione æternæ mortis seruamur: tametsi poenas mortis, multis alijs medijs hypocritæ quærāt effugere, sed hoc inaniter & frustra. Porro, quando fidem concipimus per Euangelium, tunc oritur demum uerax odium in nobis et displicentia de peccato, & Deo per peccatum offenso: nimirum tanquam quædam gratitudo. Ipsa uero pax conscientiæ, de qua dixi, est fidei fructus ille, qui animum peccatoris, alioqui male affectū, sanat, serenat & tranquillat, & prohibet ne in desperationem labatur, adeoq; firmissima spe æternæ salutis munit: denique omnem illam perturbationem, de qua dictum est, discutit & tollit. Tam est necessaria Euangelij prædicatio, in poenitentiæ doctrina. Doctrinæ uero hominum plane nihil ad rem faciunt: nisi quod egregios hypocritas efficiunt, & a salute æterna alienant.

Poenitentia Christiana habet motus spirituales.

Sed hæc Christiana poenitentia de qua loquor habet præterea motus alios spiritualissimos glorificandi Deum: & in omnibus cōsilijs, conatibus, dictis & factis illū colendi. Nam & confessio delictorum pia inde nascitur: nimirum nō ex sola contritione, sed etiā ex fide, in qua est indubitata spes & certa fiducia accipiendæ remissionis peccati per Christum. Et sic quidem est uoluntarium hominis opus, non uiolentum: nō modo confessio delictorū, uerum etiam tota poenitentia & conuersio ad Deum: sed in quo agit atq; efficax est Spiritus sanctus. Neq; habet opus confessio illa, ut per edicta pōtificum ab inuitis extorqueatur: quæ sola utilis est & pia: quia sua sponte faciunt eā homines pij: siue illa sit opus corā Deo, siue coram hominibus. Dixi autem supra, impiam esse, quæ ab inuitis & nolentibus extorquetur.

Sic tota reliqua uitæ nouitas, & uere opera bona, sunt quidam effectus huius Christianæ poenitentiæ. Nec existimare debemus, quod remissionem peccatorum illis mereamur. Hæc enim per aliud nobis donatur: nempe, per mortem unigeniti filij Dei Christi.

Remissio peccatorum cur sit gratuita.

Si tamen Euangelio, quo nobis hæc maxima beneficia Christi nomine offeruntur, credimus. Et gratuitam esse hanc cōdonationem delictorum nostrorum, hoc maxime arguit, quod promissionū suarum Deus nobis tam preciosum pignus dedit: uidelicet, filium suum, qui incarnatus, passus, mortuus, excitatus a morte, & regno æterno glorificatus, nos redemit a peccato & a morte: adeoque est

perfectissima

perfectissima iusticia nostra, & uita, salusque æterna.

Quare oportet nos de meritis iusticiarum nostrarum plane desperare, & aliunde saluationem expetere. Nisi enim dedisset semet ipsum Christus precium & satisfactionem pro nostris peccatis in mortem: & nisi gratis hoc beneficiũ nobis impendisset, nemo omnium nostrum saluus fieri potuisset. Neque tamen prodest illa redemptio, nisi illis qui credunt: & saluationem hanc sui agnoscunt gratuitam esse.

Hunc ergo Canonẽ sequi debebunt, Ecclesiæ doctores perpetuo in pœnitentiæ doctrina: uidelicet, ut post conscientiæ dolores & terrores illos in contritione, post reuelationem peccati & iræ Dei, admoneant discentes consolationum Euangelij, & reconciliationis erga Deum, quæ facta est omnium nostrum per Christum. Nam tunc demum doctrina de bonis operibus secure tradi potest & fœliciter disci, quãdo homines de uera in Christum fide prius sunt edocti. Ceterum pessime consulunt infirmis & perturbatis sensu & cognitione peccati mentibus, qui homines non mittũt nisi ad operum suorum merita & satisfactiones. Nihil enim prorsus medetur afflictæ conscientiæ, nisi æstimatio ineffabilis precij uulnerũ Iesu Christi. Sicut propheta testatur: Et noticia sui seruus meus iustus, multos iustificabit: ipse enim portabit peccata ipsorum. Hæc uero notitia non est alia quam quæ fide per promissionem Euangelij adprehenditur: de redemptione nostri, & æterna salute per Christum. Sed spiritu constat, nõ litera cuius: laus ex Deo est.

SEQVITVR PARS PRIMA, IN QVA DE *pœnitentiæ definitione.*

Elenchus capitum primæ partis, libri primi, de pœnitentia.

Quid sit poenitentia CAPVT I.

SCripturus de poenitentia, efficiam ante omnia, ut illius quandā certam, ab hoc initio, seu descriptionem, seu definitionem, constituam & proponam: quam deinceps in toto opere sequar. Deinde alias quasdam illius circunstantias & accessorias quaestiones, ut in eam doctrinę partem, aut sua sponte incidunt, aut casus in illam inferunt, pro uirili & mediocritate mea diligenter explicabo.

Proinde, eruditi grammatici, qui graecae linguae noticiam profitentur, deducunt poenitentiae nomen, a sensu retractando, & cura in melius mutanda: siue, a resipiscendo, mutataq; sententia. Ac certum est plane, rem quae in sacris poenitentiae nomine docetur, huic nominis significationi prorsus conuenire. Nam uerax resipiscentia, qua cogitata & facta priora retractamus, adeoq; in melius mutamus, complectitur utiq; totam renouationem: non illam internam cordis solum, sed etiam externam factorum. In qua iam est non solum dolor tristiciaq; commissi, & sui mali sensus quidam, horror, fuga, ac displicentia earum rerum, quae nobis paulo ante arridebant & placuerunt: Verum etiam fides in Deum per Christum, qua cor contritum & perterritum cognitione peccati & irae Dei, rursus accipit firmam consolationem: ut posit in poenitentiae debito instituto homo retineri, adeoq; per externam sui emēdationem fructificare: sine fide enim nemo unquam pie dolebit de prioribus actionibus prauis: neq; poterit serio & perseueranter uitam suam omnem in melius mutare.

Contritio.

Fides.

Externa renouatio.

Porro huic nominis proprietati respondet apud Hebraeos cōuertendi uerbum, quo usi sunt cū alij prophetae, tum Ezechiel in poenitentiae praedicatione. Sicut cap. xviij. ubi ait: Si impius egerit poenitentiā ab omnibus peccatis suis, uitā uiuet et nō morietur. Itē: Cōuertimini & agite poenitentiā. Et ibidē: Reuertimini et uiuite. Nā in illis omnibus locis, idem uerbū est in hebrgo, ab eadē radice ut uocant,

ut uocant, & origine deductum. Quod significat non ita pœnitere proprie, ut qui dolent solum de impie, scelerate, flagitiose, & turpiter admissis: quemadmodum Iudas pœnitentia ductus est ac doluit, ille qui prodidit Christum: Verum etiam, ut quibus sic displicent sua errata, delicta, iniquitates & peccata, ut ex toto corde sese ad Deum conuertant, fiducia gratiæ concepta, resipiscant ac redeant in uiam. Qualis fuit pœnitentia Petri, qui postquam peccatum et temeritatem suam blasphemam agnouisset, ita doluit ac fleuit amare, ut tamen fiduciam gratiæ non abijceret: deniq; fide in Christum concepta, pœnitentiæ fructum optimum fecit. Neq; enim possibile est, uere & ex animo ad Deum conuerti, & cum fructu, qui decet filios Dei, nisi eos in quibus est fides placati nobis Dei patris, & remissi peccati nostri per Christum. *Impiorum cōtritio.* *Piorum contritio.* *Caussa totius nouitatis.*

Ad hunc ergo modum uerbi hebræi etymologia, significationi græcæ dictionis pulchre consentit: & ipsa adeo res, quæ in sacris literis, ut dixi, pœnitentiæ nomine docetur, aptissime quadrat. Germani uocant, Bues thon: cum id quod audacter, flagitiose & scelerate, item minus iuste, minus prudenter aut pie admissum est, seuerius castigatur, cohercetur, comprimitur & emedatur. Quod si quando fit, in erratis nostris & delictis contra Deum admissis: et quidem ex amore iusticiæ, probitatis, & uoluntatis Dei, tunc profecto recte dicimur & pie agere pœnitentiam. Sed amor ille, non aliunde exoritur in homine, uerus ac firmus, quam per fidem in Christum: non enim cognosci a nobis Deus fœliciter potest, nisi per fidem in Christum: multo minus amari posset, sine hac fide: ut nihil agere intelligas, qui pœnitentiam sine fide prædicant: nisi quod animas mactant & perdunt. *Ioan.10.14. &c.*

Qui hæc inspiciunt diligenter, & consyderant attente, illi intelligunt profecto, pro Spiritus prudentia, pœnitentiam non esse aliud, quam uitæ nouandæ studium: quod ex fide oritur, eius qui beneficia erga se Dei per Christum recte agnouit. Tristitia utique & dolor, quem gignit peccati uera cognitio, & metus atq; terror iudiciorum Dei: sed ad quem lenien dum & sanandum consolatio per Euangeliū accedit, de remisso peccato & placato deo per Christum. Hæc cum fide adprehēditur, accedit et animat hominis cor, ad Deum redamandum: & ad externæ iusticiæ pium, uerax ac firmum studium præstandum. *Pœnitentia.* *Tria in pœnitente.*

Hæc simplex & uera pœnitentiam agendi ac docendi ratio & uia est: e qua tam exorbitant qui nos docent, pro Christiana *Scholastici Theologi.*

poenitentia frigidissimas attritionũ & contritionum hypocrises, ut alia incōmoda falsæ & impię doctrinæ taceam. Ac fingunt remissionẽ peccati, illis operibus nos mereri: profecto tam nō Christiane q̃ qui Christianũ nomẽ atrocissime ꝑsequuntur, et Ecclesiam Dei misere lacerant atq; deuastant. Quæ enim nocentior pestis inuadere Ecclesiam posset, quam est impia, mẽdax, fallaxq; doctrina? Vere poenitentiam agens, non delet, non extinguit, poenitentiam agendo, sua peccata: quia remissio peccati donatur gratis nobis propter Christum. Sed ad agendam poenitentiam accedens, primũ non est ignarus sui mali, in quo fuit & est propter peccatũ: hoc est, condemnatiōis atq; iræ Dei, quæ irrogantur, per legem, propter peccatũ. Qua re prohibetur, ne de iusticijs suis, superbe, arroganter, & pręsumptuose sentiat: qui optimus est, & pręclarissimus fructus contritionis. Deinde, nec immemor est beneficiorum gratiæ, in quæ uocatus ac receptus est, per promissionem Euangelij, propter Christum: quæ cum fide adprehenditur, uetat ne in desperationem salutis corruamus, quin potius quam certissimi & prorsus securi, æternæ salutis efficiamur. Deniq; hanc promissionem gratiæ caussam habet, uitę suæ in melius mutandæ: quia totus in eo est, ut Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, in omnibus studijs et factis suis glorificetur. Satis nouit, iam non opus esse sibi merito alio remissiōis peccati & uitæ æternæ, quã accepit ac possidet per Christum. Nam si quis mereri uelit hoc gratiæ beneficium per sua opera, is blasphemus est, in autorẽ ęternæ salutis, Iesum Christũ. Christus enim redemit nos a peccato & a morte: adeoq; ab ęternis maledictionibus legis: deniq; perfectissime nos deo patri reconciliauit.

Vere poeni- tens.

In hac poenitentia, seu resipiscentia, prima est contritio cordis: acerbus & uehemẽs dolor, qui oritur quidem, ut sæpe dixi, per ueram cognitionẽ peccati, quam lex mōstrat. Hęc enim est contritionis doctrina: accusans peccata & uicia nostra, & sententiam illam mortis, quę lata est cōtra peccatores, cōfirmans. Et ideo promissio gratię ad illam accedere debet: quam nos oportet per fidem adprehendere. Euangeliũ enim est iustificationis et salutis æternę doctrina: Et liberat a peccato & æterna morte, quatenus qui audiunt Euangelium, in Christum filium Dei credunt. Quia contritio per se nulli posset prodesse: imo eum, in quo est sola, semper deijcit in desperationem. Sed per Euangelij consolationem erigimur in spem salutis æternæ: propter filium Dei Christum, in quem credimus. Quapropter cum poenitentiæ doctrina, annunciatio

Poenitentiæ partes.

Euangelij

Euangelij semper debet coniungi: nec Euangeliũ sine pœnitentia doceri debet. Quanquã sunt, qui uideri uolunt multũ Euangelici esse, cum tamen pœnitentiæ prædicationẽ uix unquam attingant: quales non possunt non pernitiosi esse Ecclesijs doctores. Debemus enim per legem doceri de inmundicijs nostris & peccatis: ut humiliter de nobis sentiamus. Per Euangelium autem gratiæ saluantis admoneri, quæ obtigit nobis propter Christum: ut credentes iusticiam, uitam & salutem habeamus. Nam iusticiæ nostræ sunt reuera imperfectæ & immundę, & ea caussa semper opus habent gratuita remissione peccati corã Deo. Deinde nec potest animum seu uoluntatem pœnitendi, aut fructum pœnitentię firmum atque integrum impetraria nobis, præterquam sola gratiæ fides. Deniq; hac ipsa fide grata sunt & accepta opera nostra corã Deo: ut maxime sint imperfecta. Quia ignoscitur his apud Deum, propter Christum, qui in hunc seruatorem suum credunt. Rom. viij.

Sed iam aliquot exempla prædicatæ in literis sacris pœnitentiæ, docendi gratia subscribam. Tam igitur Prophetæ & Ioannes Baptista, quam Christus & Apostoli, sicut ostendi, pœnitentiam & Euangeliũ gratiæ docuerunt. Ezech. xxxiij. Viuo ego dicit Dominus: nolo mortem impij: sed ut conuertatur impius a uia sua & uiuat. Pœnitentiam requirit, & conuertẽti se a uia sua praua pollicetur gratiam & uitam. Imo nisi hęc spes proposita esset pœnitenti, quid prodesset homini illa conuersio? Deus igitur gratis ignoscit peccata: his qui fide promissæ & oblatæ gratiæ conuertuntur & pœnitentiam agunt. Rursus Matth. iij. & iiij. Pœnitentiam agite: adpropinquauit enim regnum cœlorum. At regnum cœlorum, est regnum illud gratiæ & salutis, donatæ a Deo contra tyrannidem peccati & mortis: beneficio filij sui, Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Quapropter ignoscit nobis, & remittit gratis peccata nostra, quatenus in Iesum Christum credimus: deinde disponit nobis regnum & uitam æternam, per Iesum Christum. Proinde hæc tam tãtæ gratiæ effusa benignitas, debet utiq; impetrare a nobis, ut pœnitentiã agamus. Eo namq; erudimur a gratia: Tit. ij. Nõ profecto ut iusticiam & uitã, seu regnũ, per opera mereamur: sed ut Deũ ꝓ gratia glorificemus. Nã sunt certe ingrati et increduli, qui nullis tãtis beneficijs gratiæ, ad agendã pœnitentiã possunt accẽdi. Qui uero per opera pœnitentiæ iusticiam & regnũ mereri uolunt, negant gratiam & seruatorẽ Christum. Quanquam quid sunt immundæ & mẽstruatæ iusticiæ nostræ, ad æternæ gloriæ regnum?

Exẽpla prædicatæ in sacris pœnitentiæ.

Ergo si quando ad poenitentiam per gratiam uocamur, præcipua est utiq; gratiæ prædicatio, & laus gratiæ: qua adprehensa per fidem, ad poenitentiam agendam, seu uitæ nouitatem, animos nostros præparare debemus: id quod Marci primo multo significantius dicitur: Postquã autem traditus est Ioannes, uenit Iesus in Galilæam, prædicans Euangelium regni Dei, dicens: impletum est tẽpus, & adpropinquauit regnum Dei: poenitentiam, agite: & credite Euangelio. Nihil habet enim in uniuersum Euangelij annunciatio, quam gratis remitti nobis peccata nostra, et donari iusticiam, uitam æternam, & liberationem ab æterna morte propter Christum, si in illum credimus. Hanc enim unam conditionem adposuit Euangelium, ut gratiam fide recipiamus. Quod si opera nostra conditionaliter requireret, iam liceret, imo necesse esset, operibus fidere: ac posset homo contra gratiam gloriari. Sed non-

Conditio in Euangelio proposita.

tie scriptura docet, ne confidamus nisi in Deum, & Seruatorem Iesum Christum: adeoque exclusam esse meriti operum nostrorum gloriationem, ne, quam in Domino & gratia, gloriemur. Deinde poenitentiæ prædicatio, non est proprie Euangelij, sed legis doctrina: ideoq; non alligatur ad operis nostri poenitentiam, gratia Euangelij, sed gratis propter Christũ donatur. Quanquam per Euangelium doceatur, quomodo sit grata Deo poenitẽtia nostra: nempe, si per fidem gratiæ, & per nomen Iesu Christi præstetur.

Proinde, ut Euangelij gratia, nõ relinquit ociosos, aut sine poenitentia, eos qui uere crediderunt Euangelio: Ita non potest ferre istos blasphemos, qui meritis operum suorum præmium iusticiæ & salutis deberi contendunt. Sed istius impietatis tamen, habemus & autores & professores in Ecclesia, Papistas & Scholasticos Theologos. Cæterum prædictis exemplis prædicatæ in literis sacris poenitentiæ, similes sunt, omnes illi Prophetarũ & Apostolorum loci, qui usquam extant de poenitentiæ, conuersionis & operum nostrorũ, prædicatione. Velut ille, qui est Ezech. xviij. Conuertimini & agite poenitentiam, ab omnibus iniquitatibus uestris: & non erit uobis in ruinã iniquitas. Proijcite a uobis omnes iniquitates uestras, in quibus præuaricati estis: & facite uobis cor nouum, & spiritum nouum. (Hæc est uidelicet, Resipiscentia illa, siue immutatio & renouatio mentis: quæ in Euangelio μετάνοια adpellatur. Quæ cur præcipiatur, cum sit in nobis Spiritussancti opus, nẽpe, renouatio cordis, suo loco dicam.) Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Reuer-

timini

timini & uiuite. (Hæc est gratiæ prædicatio, gratuito indignis oblata: quæ nulli tamen unquam profuit, nisi per fidem promissi redēptoris Christi recepta). Non ergo patres illi per suas cōtritiones extinguere potuerunt, aut uoluerunt sua peccata: neq; per ulla alia opera sua iusticiæ diuinæ satisfacere. si qui eorū pœnitētiam unq; pie egerunt, cōuersi ab impietate, erroribus et iniquitatibus suis ad Deum, sed per promissionis fidem, sese in misericordiam Dei coniecerunt, & per nouitatem uitæ Deum glorificauerunt, gratias agentes.

Exempla prædicatæ ab Apostolis pœnitentiæ, infra quædam subscribam. Vnde igitur sunt nobis ortæ, istæ uanæ & stultæ doctrinę, de attritione, proxime disponente ad contritionem: et de contritione præparante hominem ad gratiam? Et huiusmodi prodigiosa somnia alia & monstra doctrinæ, de meritis iusticiarum nostrarum? Velut, de enumeratione omnium delictorum nostrōrū coram homine sacerdote: sine qua nemo saluus fieri possit? Itē de satisfactionibus operum nostrorum, quibus peccati pœnas diluamus? Non enim sunt natæ ex uerbo Dei, sed originem habent ex Pharisaica opinione de carnalibus iusticijs, & ex Christi ignorantia, et spiritu Antichristi: qui quantū in se fuit, conatus est Christum sepelire. Qualem ludum præluserunt Iudæi, quando Christum reiecerunt et interfecerunt, dicentes: Nolumus, ut hic regnet super nos. Nam isti quoq; conabantur Christi nomen, quantum in se erat, abolere. Præualuit ergo spiritus Antichristi in illis, qui Christum, aut ignorauerunt, aut contempserunt. *Spiritus Antichristi*

Ergo piarum mentium est, istas impietates delyris Monachis relinquere: et reliquo ocioso uulgo infeliciū iusticiariorum. Nam hoc uitæ nouandæ studium, quod dixi in Christiana pœnitentia præstandum esse, tum demum gratum est & acceptum corā Deo, quando est in pœnitente fides remissi peccati, reconciliati & placati Dei, per Christum: quæ sine contritione quidem, horribiliter concutiente cor peccatoris, haberi non potest. Sed contritio non ideo est, quæ homini gratiam iustificantem & saluantem mereatur. Nō enim contingit remissio peccati per opera nostra: sed gratis propter Christum, solumq; ijs qui in eum credunt, nec ullo alio medio quam per fidem. Nempe, si credant, quod solius Christi beneficio accipiant omnium delictorum suorum remissionem & æternam salutem. Etenim mors Christi est illud precium, & ea satisfactio, qua tollitur a nobis peccatum, & reatus, seu pœna peccati,

mors æterna. Si tamē in Christum credimus: quia nullos alios salvat gratia. Quare impossibile est hominem, sine fide in Christum seruari posse: & ea fides gloriationem meriti & dignitatis operum nostrorum penitus tollit. Ad hæc, ipsi iusticiarij, quo plura operantur opinione merendi gratiam, eo grauius peccāt, & iram Dei subinde grauiorem incurrunt. Tantum abest ut per opera sua saluari a peccato aut morte possent.

Sunt igitur eijciendi ex ordine doctorum Christianorum, qui homines, pro impetranda saluatione, ad operum suorum merita, & ad satisfactiones suas, quæ hac in re nullæ sunt, a gratia & Christo relegāt. Vt qui iam multis seculis, pœnitentiā sine fide in Christū docuerunt. Non enim nostra pœnitētia saluamur, sed propter Christū: qui factus est nobis sapientia a Deo, & iusticia et sanctificatio & redemptio. Nō reijcimus prorsus illas pœnitentię partes, quas Scholastici Theologi fecerunt: quod ex præfatione mea, & ex omnibus, quæ hactenus dixi, satis liquet. Sed hoc agimus, ut recte doceantur: in primis, ne Euangelio, Christi gloriæ, & fidei Christianæ, repugnent. Pœnitentia enim, in qua est fides, quam docui, bona est: & Deus respicit eam, probās atq; acceptans. Quæ tametsi non mereatur iustificationem & saluationem: tamen haud dubie accipit a Deo, multa corporalia & spiritualia præmia, dum hic agimus in terris: & alia ingentia præmia in cœlis. Item, multorum grauium malorum & calamitatum, in corporalibus, spiritualibus & æternis, uel fugam, uel mitigationem operatur.

Præmium & merces.

Pœnitentia effectus Spiritus sancti.

Cæterum hæc omnia, quæ iam dudum de Christiana pœnitentia loquor, sic accipi debent, ut intelligantur effectus esse, a spiritu sancto profecti. Nam in regno Dei per Christū, cuius administratio est spiritualis & sancta, spiritu sancto agimur, docemur, uiuificamur, cōsolationem capimus, gubernamur, & in uniuersum perficimur, adeoq; in perseuerantia boni operis retinemur. Neque enim aliter dulcescunt nobis mandata Dei: (sunt enim reuera crux quædam uniuersæ carni: quam omnes homines & horrent & fugiunt.) nisi per magistrum spiritum sanctum. Quare hunc gratiæ spiritum Christus quoq; promeruit nobis. Nec datur ad principium operis meritorij: sed ut opus iusticiæ absoluat, hoc est, purificet corda, creans fidem & pacem in conscientijs: & donans ueram obedientiam legis, qua sancti ex fide glorificent Deum patrem & Iesum Christum: non qua sentiant, agant & uiuant, contra gloriam Dei, contra fidem & Christum. Quarum doctrinarum

tamen

tamen nondum pudet Papistas.

Ergo, ut tandem colligamus nos, uera pœnitentia est opus in nobis & effectus Spiritus Sancti: quo propter peccatum & commissa praua ex animo dolemus: sed per fidem in Christum, remissionem peccati, iusticiam & saluationem accipimus: ac denique iuxta Petri uerbum, non desiderijs carnis, sed uoluntati Dei, quod reliquum est temporis in carne, uiuimus. Nam hæc tria semper spectari in iusta pœnitentia debent: nempe, contritio, fides, & nouitas uitæ. Hæc enim nouitas est proprius effectus fidei, hominis pacificati per Euangelij consolationẽ: ideo poni ac numerari debet in fructibus pœnitentię dignis. Nam etiam complectitur illos omnes, quotquot in lege, aut ullis scriptis Prophetarum & Apostolorum prædicantur.

Vera pœnitentia.

Tria spectanda in uera pœnitentia.

Quare non satisfacit in pœnitentiæ doctrina, quod ex Longobardo citatur: pœnitentia est uirtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus: & plangenda ulterius committere nolumus. Siue illud: pœnitentia est quædam dolentis uindicta, puniens in se quod commisisse dolet. Nam has sententias cum truncatas citet Lõgobardus ex patribus: & qui eũ secuti sunt Scholastici Theologi & Summistæ: præterita ac tacita fidei doctrina, quam nulli Christiani doctores negligere potuerunt: obscurant Christi gloriam, et blasphemi sunt in gratiam, et insigniter iniuriã faciunt patribus sanctis, quibus imputant quod nunquam docuerunt, aut certe non ita docuerunt ut Scholastici, Longobardus & Summistæ. Vnde, qui hac mutilata dicta acerbe urgent, Euãgelij doctrinam penitus abolent: nec aliud possunt docere, nisi Pharisaicam quandam speciem operum bonorum, quæ quilibet hypocritæ simulare possunt. Veram pietatem non possunt docere, sed abominabilem superbiam, arrogantiam & præsumptionem: ac tãdem conijcere homines in blasphemantem desperationem, quando ipsis uere reuelantur, in cordibus suis, peccata sua.

Doctrina aduersariorum qualis.

Matt. c. 23.

Nos igitur istas impietates deseramus: & in pœnitentię doctrina ponamus quidem contritionem: sed mox adijcientes Euangelij consolationem, ad erigendum & confirmandum fidem: denique huius effectum, totius uitæ renouationem. Hæc doctrina nihil intricatum habet, nihil falsi, uel impij dogmatis: quod facile intelligent, quicunque Spiritum Christi habent. Quid enim tam simplex & apertæ ueritatis esse potest, quam cum dicitur: pœnitentis esse, timore Dei, & fide per Christum, cõuerti ad Deum, recedere

a malo, & operari bonum: denique, de die in diem fieri meliorem, & quid obsecro aliud hactenus docemus? Nam his paucis uerbis, & contritionem comprehendimus, & fidem misericordiæ & iustificatoris Christi, & totius uitæ nouitatem. Hæc uero est perfecta renouatio, tota iusticia, pœnitentia interior & exterior, caussa & effectus, plenitudo totius Christianæ uitæ. De qua hunc in modum scribit Paulus, ad Ephe. cap. iiij. Deponite uos secundum pristinam conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini autem spiritu mentis uestræ (hoc est, μετανοεῖτε, nimirum, acti per fidem gloriæ gratiæ Dei & nominis Christi, quam alijs locis docet. Quę cui contingit non potest statuere, quod per opera sua saluationem acquirat) & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iusticia & sanctitate uera.

ALITER TRACTATA POENITENTIæ definitio.

NVLLI debet molestum esse, si docendi causa, rem eãdem, hoc est, pœnitentiæ descriptionem, si non clariore expositione, quod sane libenter præstaremus, tamen adhuc copiosiore & firmiore illustrare conemur: præsertim his temporibus, obscuratæ in tantũ & pœnitentiæ doctrinæ, & annunciationis Euangelij. Deinde quia sunt multi impostores, qui non desistunt simplices dementare, & alienare a fide Iesu Christi: ut nihil fere satis, de causis renouatæ Ecclesiasticæ doctrinæ, dici queat.

Igitur docui, quod in pœnitentiæ doctrina, siue malis dicere, in catholica Christiana, debeat comprehendi tota resipiscentia: hoc est, interna renouatio omnium primo: in qua est & contritio uera, & uera in Christum fides, quam deinde sequi debet renouatio externa, hoc est, obseruatio mandatorum Dei, internæ iusticiæ effectus ac fructus. Nam opera nostra per se, & sine fide in Christum, qualiacunque eorum & quantacunque operamur & præstamus, Deo non possunt placere: multo minus meritoria esse remissionis peccati et uitæ æternæ. Comparata enim ad iudicium Dei, & ad legis perfectam exactionem, habent perpetuam quandam imperfectionem: ut non modo nõ meritoria, uerum etiam damnabilia sint coram Deo. Quantum enim immundiciæ hæret in carnali natura? & quot putas esse homines, qui non cessant & non sunt negligentes, in opere bono? ut maxime flagitia & scelera uitent ac fugiant? Porro autem fides, sine peccati & iræ Dei cognitione, quæ

Opera sine fide non sunt meritoria.

horribiliter

horribiliter terret, sauciat, concutit, conterit, & cruciat animum peccatoris, non potest haberi. Denique contritio sine fide, desperatio est: quia cogit hominem spem salutis totam a se abijcere. Adeo hæc tria, contritio inquam, fides, & externa pœnitentia, seu externa obedientia erga legem, quæ credentes sequatur, natura sua cohærent in sanctis, & sunt coniuncta. *Contritio sine fide.*

Proinde, cum pono internam renouationem in pœnitente, sentio ueram pœnitentiam ex cordis fontibus nasci: ubi est omnium primo, uerus Dei timor. Ex quo oritur uera contritio: per quam peccator serio improbat peccatum, impia consilia, instituta, & facta sua praua. Quam internam nouitatem necesse est creari in nobis per spiritum sanctum. Nam qui affectus sint nobis congeniti, quantumque abstrahant nos, a uero & perfecto Dei timore, & in summa, legi Dei aduersentur ac pugnent, nemo pius potest ignorare: cum omnes in pugna aduersus peccatum id experiantur. Deinde testatur sacra scriptura, neminem coram Deo uere, siue ex corde, iustum esse: Deum & spiritualia amare. Gen. vi. & viij. Rom. iij. vij. viij. i. Cor. ij. & innumeris alijs locis.

Valet igitur hæc prima pars, non eo solum, ut principium pœnitentiæ intelligamus a Deo esse, quemadmodum medium, finis & tota perseuerantia: uerum etiam ad hypocriseos & simulatæ pietatis detestationem, accusationem & damnationem. Hypocritæ enim mirabili arte & dolo simulant omnia: scilicet, tam odium peccati, quam iusticiæ amorem. Non faciunt enim suas abominabiles iusticias, nisi ut ab hominibus credantur iusti esse: sicut istis a Christo exprobratur, Matth. vi. & xxiij. aut certe, qui inter istos creduntur meliores esse, ut infernum fugiant, & cœlum sibi mereantur. Sed est ne hoc Deo seruire, uel potius seipsum in Idolum sibi conuertere: & Deum omnibus modis contemnere? Non enim propter uoluntatem Dei, sed hoc affectu & opinione prodeunt in opus, ut saluationem sibi mereantur. Sed ita ne Christiana pietas excolitur: hac inquam, coacticia & simulata iusticia? Istis mercenarijs spiritibus gehenna debetur, uice mercedis a Deo. Hanc pœnitentiam ipsi quoque Scholastici Theologi, qui saniores inter eos extiterunt, improbant: ut Bonauentura. Scribēs enim in iiij. sent. dist. xiiij. ait. Sed in hac uiuit et regnat mala uoluntas. Ideo Deus eam non acceptat: nec quis sic pœnitens inuenit gratiam, uel ueniam. *Hypocrisis omnis aliena à pœnitentia* *Bonauētura.*

Secundo, quando fidei in Christum facio mentionem, signi

fico beatam pœnitentiam non consistere solum in timore quem lex docet: sed uel maxime in fide misericordiæ Dei, quæ nobis impetrata est per Christum. Qua circunstantia iterum duo hominum genera eorum noto, qui non pie, aut Christiane pœnitent. Primum enim eos, qui cognito peccato suo uere, intantum dolent, ut etiam desperent de gratia: sicut Cain, Saul, Iudas, & horum similes. Deinde alteros istos, qui suis carnalibus iusticijs Deum placare uolunt: de quibus hactenus satis multa. Certe iudicium Dei, reuelatum conscientiæ, nemo diu sustinere potest: quin ruat in desperationem. Deinde, qui iusticijs rationis fidunt, carent ac destituuntur gloria saluifica Dei. Denique ut priores oderunt Deum, & uellent potius non esse Deum, quam se comprehensos in peccato, & puniri: ita isti alteri mallent obsequi cupiditatibus suis, quam legi parere, & nihil faciunt nisi sui caussa, ut paulo ante dixi, in quibus spiritus Christi non potest esse: tristi & rebelli animo agunt & operantur omnia.

Duo genera hominum impie pœnitentium.

Tertio, quando adijcio, externam nouitatem sequi ex uera contritione & fide, testificor ꝙ uerax pœnitentia etiam externos fructus internæ nouitatis pariat. Quæ pars ualet primum contra eos, qui Dei cognitionem iactant, quam sibi inesse tamen nullo spiritus fructu declarant. De quibus est illud Pauli, ad Tit. i. Deum profitentur se nosse, factis autem negant: cum sint abominabiles, & immorigeri, & ad omne opus bonum reprobi. Ideoque & Ioannes Baptista præcipiebat, facere fructus dignos pœnitentiæ: ut istam hypocrisim, quantum in se doctore erat, & præcone pœnitentiæ, aufferret atque elideret. Sunt enim perpetuo, qui pœnitentiam simulant uerius, quam agunt: quorum commertia & æqualitatem, homines pij cauere debent. Nihil prodest enim, imo noxium est, Deum ficta pietate colere.

Simulatores pœnitentiæ.

Iam etiam eos ferit hæc postrema nota, qui relinquentes uerbum Dei, indies nouos ritus colendi Deum, insolenter comminiscuntur, et de nouis iustificationibus superbe præcipiunt, alijsq; suas doctrinas & mandata facere proponunt. Quasi non sit abunde satis nobis a Deo præceptum: Nam certe mandatis dei nemo unquam satisfacere potest. Aut quasi Deus doctrinis & mandatis hominum pie coli possit: ita faciunt enim, iuxta cogitationes suas, ex Deo, uanum, ridiculum & stolidum Idolum. Quare ut priores isti hypocritæ, nihil eorum facere seu operari curant, quæ Deus præcepit,

us præcepit: ita isti plus facere, quam præceptum est, quod nemo bonus paterfamilias apud homines ferre ac pati posset, & omnes sani improbarent, conantur. Nec satis habent, nisi etiam alios secum in istam impietatem & hypocrisim pertrahant: sicut hoc tempore Pontifices Romani, Monachi & omnes papistæ. Nam & Sophistæ in pœnitentiæ doctrina, de quibusdam indebitis operibus, ut uocant, præcipiunt: de quibus suo loco dicam. Monachi autem, suas confictas hypocrises appellant statum perfectionis, quasi religiosius, sanctius, ac perfectius quicquam posit a nobis præstari, quam est omnibus a Deo præceptum. Denique nullam utilitatem habent traditiones hominum in Ecclesia: neque rebusp. prosunt. Ac satis apertum est, me loqui de istis traditionibus, quæ finguntur cultus Dei esse: & omissæ, imputantur hominibus in mortalia peccata: Seruatæ autem, in opus iusticiæ, quod gratiam a Deo mereatur. In quorum utroque sunt immensæ blasphemiæ. Christiani sciant, uerum Dei cultum consistere in uero timore Dei, in uera fide Iesu Christi, adeoque mandatorum Dei obseruatione. *Status perfectionis.*

Vt igitur istas noxias pestes, quibus doctrina uerbi Dei contaminatur, & authoritas labefactatur, per leues homines, ut inquam omnes caueamus, munire debemus conscientias nostras hac Christiana doctrina, quæ prædicat pœnitentiam & fidem. Illam, ut facta praua deseramus, & iusticiæ operibus dediti simus: Hanc, ut cognita misericordia Dei, a desperatione & præsumptione conseruemur. Veram autem pœnitentiam docent præcepta Dei: sed fidem, docet Euangelium de Christo propiciatore.

Sed in fine rursus dico, quod non est uerax pœnitentia, in quã nulla uerax cognitio peccati peruenit: ut est in eorum opinionibus, qui se arbitrãtur, per opera sua diuinis legibus satisfacere. Cæca impietas, legem Dei, spiritualissimam doctrinam, & de sanctissimis motibus præcipientem, de cordis puritate, confidit implere per Pharisaicas, mortuas & uiolentas iusticias carnis: quam ipsi etiam sancti, & quorum corda a spiritu sancto imbuta & tincta reguntur, perfecte facere in hac uita nunquam possunt, ut copiose docetur Rom. vij.

Deĩde nõ est felix pœnitẽtia, ut maxĩe pctm̃ tuũ uideas & agnoscas, & ueris terroribus ĩtus cõcutiaris: nisi etiã fides placati Dei sit ĩ te, remissi peccati & donatę salutis ęternę, ꝑpter Christũ: nẽpe quę

peccatorem, in iam dictis pauoribus, erigat, consoletur, ac seruet a desperatione. Denique pro pœnitentia Christiana haberi non debet, quo nullum peruenit uitæ nouandæ studium: nulla emendatio suiipsius, & nulla opera bona, de quibus in suo loco, cum Dominus dederit, copiose scribam. Apparuit enim gratia Dei, erudiens nos, &c. Tit. ij.

Literæ occidens.

Sunt autem non pauci, qui neque legem non intelligere uidentur: neque Euangelio non credere, sed in præstanda operum iusticia sunt nimis tardi: & eo ipso se produnt, quod uix tenuem literæ noticiam in spiritualibus habent: ueræ contritionis, & ueræ fidei inanes. Indulgent autem desyderijs carnis: de quibus Paulus scribens, affirmat, quod regnum Dei hæreditate accipere nequeant. Porro, horrendum est uidere, quam sint eorum multi, qui hoc tempore noticiam Euangelij & Christi profitentur: quos hortari atque monere consilium est, ut rem recta secum æstiment uia, & gloriæ Dei & suæ ipsorum saluti melius consulant, neque errent & decipiantur, quia nulli flagitiosi saluationem accipere queant. Legant autem capite ad Col. iij. quæ uitia fugere debeant, & quæ opera bona præstare. Quanquam in Apostolicis literis nusquam non occurrant.

RVRSVS ALITER EXPLICATA Pœnitentiæ definitio.

ET hæc quæ pro describenda pœnitentia huc usque a me dicta sunt, iam dudum sufficere poterant: nisi utile esset, uel potius necessarium, animos nostros hac Christiana doctrina copiose munire. Nunquam enim futurum est aliter, quin sicut factum esse uidemus, Satan perpetuo excitabit fanaticos spiritus, per quos Christiana doctrina obscurabitur. Addam igitur prædictis quædam alia, pro iuuandis partibus nostris, contra aduersarios: simul, ut quoad fieri potest, clarissime doceam, & ab huius operis initio firmius ac solidius fundamentum ponam.

De fide & operibus.

Proinde duo hoc in loco explicanda sumam: doctrinam fidei, quam præit contritio: & externam pœnitentiam, siue externã nouitatem. Et quanquam istæ partes cohærent & sint connexæ inter se: tamẽ docendi gratia illas separabo. Quia poterit seorsim de fide, & seorsim de operibus bonis dici, & discerni inter se illę partes: queadmodũ discernitur effectus a causa, opus ab artifice, Et ab arbore fructus. Pœnitentia em̃, in qua est uitæ nouandæ studiũ, causam habet

ſam habet fidē. Quare ſic diſcernendo potero facilius demonſtrare, quę ſit in doctrina, atque adeo in Chriſtianę uitæ profeſsione, pars nobilior: & diſerte explicare, cui rei proprie acceptam ferri oportet, omnem noſtram ſalutem.

Ergo fidei doctrina eſt, quoties docetur & explicatur, quomodo iuſtificatio & ſalus nobis unice propter Chriſtum contingat: nec eſt quicquam melius aut ſanctius in homine, ſiue denique beatius, quam hac fide præditum eſſe. Hac enim glorificatur Deus in Ieſu Chriſto uere: & homo glorificator liberatur ea re a peccato & ab ęterna morte. Sicut ſcriptū eſt: dedit eis poteſtatē filios Dei fieri, his qui CREDVNT in nomē eius. Et iterū: Qui CREDIT in filium Dei habet uitam ęternam. Oportet igitur longiſsime abeſſe, eos qui credunt Euāgelio, ab hac impia opiniōe, qua plærique operibus ſuis tribuunt, meriti iuſtificationis & ſaluationis gloriationē. *Fides.*

Proinde in pœnitentiæ prædicatione, quæ eſt operum doctrina, & obediētiæ noſtræ erga legē, docetur quidē, quæ bona opera præſtari a nobis debent: ſed ea opera intelligi debent ſic grata eſſe Deo, quando ex fide fluant. In renatis enim per fidem in Chriſtum ſequi debent. Nam illa obedientia non debemus ſpectare in hūc phariſaicum finem, qui operibus noſtris tribuit meritum gratiæ: ſed hunc Chriſtianum, qui ſtatuit Deo ſeruiendum eſſe, gratis, in gloriam eius, per Ieſum Chriſtum. Sic enim ſunt ſpirituales hoſtiæ opera bona, acceptæ Deo, per Ieſum Chriſtum. *Opera.* *Rom. 12.* *1. Pet. 2.*

Sic uero conſiderata opera bona, & ſeparata a fide, ſunt longe infra dignitatem fidei. Nam fide adprehendimus Deum, miſericordiam Dei, Chriſtum ſeruatorem, iuſticiam & ſalutem: ut nemo perinde ſui magis eſſe poſsit, atque hæc ampliſsima gratiæ dona, modo credat. ij. Pet i. per quam, (gloriam & uirtutem Dei) precioſæ & maximæ promiſsiones exhibitæ ſunt: ut per eas fiatis diuinæ naturæ conſortes, fugientes corruptionem, quæ in mundo eſt. i. Ioan. i. Quod uidimus & audiuimus annūciamus uobis: ut & uos ſocietatem habeatis nobiſcum: & ſocietas noſtra ſit cum patre & filio eius Ieſu Chriſto. Operibus autem, nos Deo quaſi de noſtris opibus aliquid reddimus: nempe confeſsionem & gratiarum actionem, & quæcunque ſunt illa quæ præſtari a nobis poſſunt. Sed quantulum obſecro hoc eſt, (in comparatione ad ampliſsimam gratiam illam, quam a Deo accipimus.) quod ipſi Deo reddimus: præſertim in tanta immūdicia naturę, et imperfectione obedientiæ noſtræ? Merito ter quaterque maledicimus eos, qui *Comparatio dignitatis fidei & operū*

opera nostra tam insolenter prædicant, ut illis tribuant meritum condigni.

Cum igitur ad hunc modum discernimus pœnitentiam a fide, tunc est effectus seu fructus fidei. Sic autem discernit Christus ipse, Lucæ. xxiiij. Oportebat Christū pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes Gentes. Quod si pœnitentiam quidam aliquando pro contritione usurpant, (quod fere fit hoc tempore, ab his qui de pœnitentia scribunt.) perspicuum est, ipsam tunc præcedere fidem. Quare huius mihi semel est admonēdus lector hoc loco, quod ubicunque de fide in Christum loquor, ibi me semper prærequirere ueram contritionem, & uerum timorem Dei. Adhæc, in sequente collatione, me pœnitentiæ nomen ita accipere, ut Christus usurpat: nempe, pro externa nouitate, & obedientia illa nostra in operibus bonis. In quo sequemur talem pœnitentiæ descriptionem, quæ de solis bonis operibus agat: ut cum præcipitur, de abstinentia omnium carnalium delitiarum, crapulæ, ebrietatis, auariciæ, ambitionis, contentionum, simultatum, odiorum, ueneris, ocij, rapinæ, calumniarum, & similium a Deo prohibitarum. Item cum docetur studium pacis, obedientiæ & dilectionis, seu operum misericordiæ erga homines. Sed hic obseruandum est, quod illa pœnitentia, quorumcunque sit operum bonorum, non potest esse uere bona, & accepta coram Deo, nisi per fidem nominis Christi præstetur.

Pœnitentia, pro externa nouitate.

Vide ergo quā circumspecte hæc ab Apostolis prædicetur, ne quid operibus nostris arrogent, quod illis non debetur: non enim uolunt Christi gloriam abolere, sicut papistæ. Paulus ad Romanos xij. sic scribit: Obsecro itaqꝫ uos fratres, per misericordiā Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium uestrum. (hæc scribit figurate, de mactandis cupiditatibus prauis.) Et nolite conformari huic seculo: sed renouamini in nouitate sensus uestri, (hoc est μετανοεῖτε) ut ꝓbetis quæ sit uoluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta. Vide reliqua totius capitis: Imo usqꝫ ad finem totius Epistolæ. Nam quicquid de operibus bonis scribit, id totū pertinet ad iam dictas hostias spirituales, & sacrificia Deo accepta.

Pœnitentia a Paulo prædicata.

Sed adijciamus aliud exemplū, ij. Cor. v. Pro Christo legatiōe fungimur, tāqꝫ deo exhortāte per nos, obsecramus ꝑ Christo, recōciliamini Deo. Eū enim qui nō nouerat peccatū, pro nobis peccatū

fecit,

fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei in illo. Adiuuantes aũt exhortamur, ne in uacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim, tempore accepto exaudiui te: & in die salutis adiuui te. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Ne quam usquam demus offensionem, &c. Item, Tit. ij. Adparuit enim gratia Dei, & saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiẽs nos ut abnegantes impietatem, & seecularia desyderia, sobrie, iuste & pie uiuamus in præsenti sęculo. &c. Vides ergo, quam Apostolus ille caussam prædicet melioris uitæ: uidelicet, illam amplitudinem & immensitatem gratiæ, quæ certe non sinit nos in proposito operis mali permanere, nisi non credimus Euangelio.

Pluribus exemplis non habemus opus. Ac possunt illæ suauissimæ exhortationes corda nostra emollire & uincere, ut officium faciant, nisi prorsus saxei simus, & duriores adamante. Ergo uera fides semper fructificat: si tamen occasio operandi detur. Non enim affectat electicia opera, sed oblata arripit: id est, arripit oportunitatem bene operandi, quæ profecto nusquam abest. Quando enim nõ datur occasio exercendę dilectionis? Videlicet, ut dones egeti, des mutuũ poscenti a te. Et in summa, in bonis operibus excellas: castigando carnem, inuocando Deum, confitendo & gratias agendo. Vnde de istis hypocritis, quibus data est occasio bene operandi, ipsi uero arripere illam contempserunt, dicitur: discedite a me in ignem æternum. Esuriui & non dedistis mihi manducare, &c. Matth. xxv.

Per hanc collationem cernimus propius, ut dixi, discrimẽ fidei & operũ: hoc est, beneficiorum gratiæ, per quæ sola iustificamur, quatenus credimus: & obedientiæ nostræ, qua Deum iusti & uitæ æternæ hæredes, glorificamus. Nam salui facti per gratiam non possumus non ita uiuere, ut honori est Deo, & filijs Dei dignum: Sicut Paulus docet Ephe. ij. Gratia enim estis saluati, per fidem, & hoc non ex uobis: Dei enim donum est, non ex operibus: ne quis glorietur. (Et sequitur.) Ipsius enim sumus factura, creati per Christum Iesum ad opera bona, quæ præparauit Deus, ut in illis ambulemus. Qui ergo sine pœnitentia manent, & sine operibus bonis, arguunt profundam incredulitatem in se latere: etiamsi iurent se fidei in Christum participes esse. Creat enim ad opera bona Deus, perinde ut Christi beneficio saluat, eos qui Euangelio credunt. Nam eos ipsos & ad pœnitentiam uocat. Matthæi iiij. & ix. Lucæ xxiiij. Creat autem opera & efficatia spiritus sancti: quem

Creati ad opera bona.

quisquis non habet, non potest esse Christi. Rom. viij. Considera
autem apud temetipsum, qui posint esse fructus spiritus sancti: &
uide de illis agentem Paulũ Gal. v. Ro. xij. Col. iij. Ephe. iiij. v. &
i. Cor. xiij. Attẽde etiam, quod Gal. v. ait: Qui autem sunt Christi,
carnem suam crucifixerunt, cum affectibus & concupiscentijs.

Hæc dixi, non ꝙ sentiam Christianos protinus perfectos esse:
siue quod desperandum sit de eorum salute, qui alicubi labuntur.
Sed ne blandiantur sibi qui secure & ociose stertunt in diem, &
nullo modo curant carnem suam frenare: quin etiam non ueren-
tur sceleribus se polluere. Quales nec Christiani esse, nec uitæ eter
næ hæredes fieri possunt. Infra autem satis copiosi erimus in conso
latione de lapsis, qui semper recipiuntur in gratiam: modo redeun
tes ac reuertẽtes per pœnitentiã, serio agant, quod agere uideri uo
lunt, hoc est, pœnitentiam agant uere, & credãt in Christũ, ut dele
antur sua peccata. Nam uerum est quidem, quod etiam si quis labi
tur & peccat, tamen aduocatum habemus apud patrẽ, Iesum Chri
stũ iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Hoc tamen,
non ut concupiscentijs carnalibus laxemur: sed ut ab ultima despe
ratione retrahamur.

Igitur satis clare hactenus docui, cur æque sit necessaria homini
ad salutem pœnitentia, ut gratię fides. Tam enim operibus bonis,
quam fide pura uult Deus a nobis glorificari: etiamsi gratis & abs-
que meritis operum nostrorum largiatur nobis tum remisionem
peccati, tum uitã æternã. Licet stupidi, uel potius malitiosi quidã,
huius spiritualis & sanctæ doctrinæ non sint capaces. Sed placet
Deo in nobis, fides gratiæ suæ: placet etiam obedientia nostra, seu
opera bona, quæ ex hac in Deum fide præstantur. Amat enim ar-
borem bonam, cum fructibus bonis. Ideo docendum ac discendũ,
ante omnia, quomodo persona reconcilietur Deo propter Chri-
stum: nempe, si in illũ credat. Postea quomodo opus illius placeat:
& quorsum sit faciendum. Nam & carnem frenare & proximo ser
uire, & quicquid est operum bonorum ac totius pœnitentiæ præ-
stare debemus, intuentes in solam uoluntatem Dei: non ut nobis
seruiamus, sed ut Deum & Iesum Christum glorificemus. Placẽt
autem opera & iusticię nostræ deo propter Christum: per cuius no
men ignoscit nobis Deus, si quid immundiciæ in carne habemus:
aut minus perfecte facimus, quod iusi sumus facere: ne modo ui-
uamus sine omni studio nouandæ uitæ.

Finis operũ bonorum.

Quid multis? Nemo nisi per fidem iustificatur & saluatur. Cre-
dentes

dentes autem necesse habemus uoluntati Dei parere, & melius uitae institutum sumere, Deumque pro gratia glorificare. Sed illa tamen necessitas talis est, ut si homini per fidem iustificato iam migrandum sit ex hac uita, iusticia operum nõdum perfectę pręstita, (sicut a nemine unquam perfecte praestari potest) non possit eum ab ingressu regni cœlorũ prohibere: sicut nec introducit, qualitercũque pręstita. Saluatur ergo etiamsi ingẽtia peccata secũ portet: modo fide in Christum non careat migrator. Deus enim cum iustificat & saluat, nõ respicit iusticias nostras: sed suae misericordiae amplitudinem, eamque praestat credenti in Christum. Quod exemplo istius facinorosi, qui cũ Christo crucifixus est, testatissime liquet. Luc.23. Nam hinc migrans de operum iusticia certe non potuit gloriari, tametsi agente in eo gratia, fidem suam egregie exerceret: per quã unam assecutus est remissionem peccati, & introitum in paradisum regni Dei.

Attamen quandiu hic uiuimus, postulat factae nobis gratiae ratio, ut promptissima obedientia poenitentiam agamus, & obseruatione mandatorum Dei omnem uitam nostram in melius mutemus. Hoc enim pertinet ad exercitium fidei & illius confirmationem: quia his pietatis studijs crescit & confirmatur fides: quemadmodum ab his, qui concupiscentijs carnalibus indulgent, & flagitiose uiuunt amittitur. Neque enim possunt tales Spiritum sanctum retinere. Vnde & Paulus dicit: nos fide iustificari, quae est efficax per dilectionem. Idem ad Timotheum scribens, ait: Finis praecepti est charitas, ex corde puro, & conscientia bona, (quam, quomodo possent retinere, qui carnaliter uiuunt?) & fide non ficta.

Sed & haec summa est totius sanctae scripturae. Ex literis enim Prophetarum, si sustuleris duo illa, quae fuerunt cęrimoniarum & politicarum obseruationum, populo Iudaico traditarum, pro tempore nondum reuelati regni Dei in Christo Iesu: reliqua pręter doctrinam, de gratiae & misericordiae Dei fide, Item de uitae nostrae poenitentia & nouitate, nihil continent. Nam eatenus semper ualuit iusticia coram Deo, quatenus pręstita est per gratiae & reconciliationis, seu gratuitae ignoscentiae delictorum nostrorum, fidem: & in ijs operibus excelluit, quae proprie faciunt ad iusticiam Spiritus, hoc est, ad uitae nostrae emendationem & nouitatem: & summatim decalogo Mosi comprehenduntur. Id liquet ex illo Hoseę, cap. vi. Misericordiam uolo, (quod Christus exponit, de beneficentia erga proximum praestita.) & non sacrificium; & noticiam

Dei magis, quam holocausta. Sic ergo bona opera Prophetæ & fidem prædicabant: sed require plura exempla, Esa. i. & lviij. Mich. vi. Hiere. vij. Ezech. xviij. &c. Nam satis est aliquorum saltem meminisse: ut teneatur certius qua forma, cum fides tum pœnitentia debeat prædicari. Nam hoc est recte & pie pœnitere: fide misericordiæ dei, præstitæ propter Christum, necp desperare in peccato: necp meritum iusticiæ propter opera sua sibi arrogare: sed gratuito obsequio, obseruationi mandatorũ Dei, studere. Et hæc pro pœnitentiæ definitione plus satis.

Vera & pia pœnitentia.

POSSE LAPSOS RESVRGERE: ITEM, DE ORIgine & caußis impij erroris, quo cœpta est negari remißio peccati lapsis.

Cap. II.

NON ab re erit, præmissa pœnitentiæ definitione, mox explicare, de quo uideam dubitatum esse, etiam a nonnullis ueterum Theologorum: uidelicet, An qui post susceptum baptismum lapsi sunt in peccatum, possint iterum resurgere, consequi remissionẽ peccati apud Deum, & Ecclesiæ sanctæ denuo reconciliari atcp incorporari. Et, num hoc semel duntaxat in uita: aut quoties tali recõciliatione opus habere uideantur. Quid enim æque incertum est in hac uita, atcp perseuerantia in opere bono? Qui hodie stat, cras labitur, ruit, cadit, & perit miserrime, penituscp euertitur: id quod exemplis quotidianis, proh Deum immortalem, plus satis cognitum & perspectum habemus. Quis enim non uincitur aliquando peccati tentatione? Videmus præterea alios frangi metu & terrore persecutionum, egestatis, ignominiæ & mortis. Alios impatientia & dolor in corporalibus alijs calamitatibus euertit: ut nephanda et scelerata designẽt. Alios rursus uincit ira, odiũ, auaricia, ambitio, curæ huius sæculi: & his similes alij affectus impij & motus carnales in natura, qui hominem in diuersum trahunt, et fere in grandia scelera mergunt. Denicp quot putas esse homines, qui in bono opere nunquam deficiant & inculpate agant? Sed hoc quoque labi est, & peccare contra uoluntatem Dei. Verũ quis horribiles istos, deplorandos & miserrimos casus in Christiano orbe omnes dicere posset? Fuerunt tamen, qui lapsis arbitrati sunt, non concedendam esse secundam reconciliationem: aut certe tertiam negãdam. Non enim sæpe peccantibus, iteratam pœnitentiam prodesse. Sic est Satan Ecclesiæ Dei infensissimus uastator, eamcp callidissimis artibus semper euertit: adeo, ut nec abscp specie pietatis illam opprimat. Isti enim, qui sic docuerunt, nonne impossibilem fecerunt

runt omnibus hominibus salutem: & Christum plane ociosum cōstituerunt.

Et ego quidem decreui in præsentia paucis ad eas quæstiones respondere: uel quia non sunt magnæ difficultatis, comparatæ ad uerbi Dei lumen: uel quia nulli esse uidentur, in quos expositæ, hoc tempore, stringantur: nisi quod tutissimum est, consilia Diaboli mature præoccupare & eius pestiferos conatus elidere, etiam prius quam sentiantur. Videmus enim illum quotidie suscitare fanaticos homines, qui olim sepultos errores, & antiquatas hęreses, denuo renouant & instaurant. Nam & ueteres Pelagiani regnant in Papistis. Concupiscentiam enim negant peccatum esse: & fingūt homines legi Dei uere obedire posse, & satisfacere naturę uiribus. Quod si uerum est, quid opus habemus gratia, Christo, & gubernatore spiritu sancto? Verū, hæc sint parerga. Sed Anabaptistæ, quantum mihi cogniti sunt, errores istos, de neganda remissione peccati, lapsis renouare & reuocare uidentur.

Proinde lapsos, in huius quæstionis disputatione, non eos solum intelligamus, qui metu persecutionis & tormentorum Christi nomen negauerunt: de quibus frequens mentio fit apud Cyprianum. Sed in summa, omnes eos, quos uicit ulla tentatio peccati: & qui a debita obedientia quocunque defecerunt. Qualia exempla, ut dixi, in hoc imbecillis naturæ statu, non sunt rara. Talibus ergo qualitercunque lapsis, post primam illam reconciliationem, quæ fit per baptismū, pollicemur Iesu Christi nomine, remissionem suorum delictorum, prorsus omnium: neque hanc semel, sed sexcenties, & omnino quoties opus habere uidentur, hac per Euangelium & Christum consolatione. Modo qui lapsi sunt, ex animo requirant hanc reconciliationem, & credant in Iesum Christū uere: deinde, ut a peccatis, nō Pharisaice, sed uere conuertantur, hoc est, libeat eis resurgere, & uitæ pœnitentiam amplecti. *Posse lapsos resurgere.*

De Baptizatis non potest dubitari, quin sit eorū propriū, & durans in omni uita, pœnitentiæ institutum, Conari enim debent, ut indies seipsis fiāt meliores, carni & desiderijs eius resistant: Itē crescant ac perseuerent in fide & in quibuslibet operibus bonis, seu exercitijs pietatis. Sed infra hæc quæstio tractabitur quoque seorsim. Cæterum eorum exemplum, qui baptizati sunt a Petro, ut refertur Act. ij. damnat istos, qui priorem exigunt pœnitentiam & absolutam quandam operum nostrorum iusticiam, quam baptismū. Nā de pœnitentia præcipiens, nō requisiuit momentaneū dolorē: imo

nec hunc durare uoluit, sed exegit ueram sui emendationem, quæ per fidem gratiæ debuit in omni reliqua uita durare. Sicut talē formam præscribit. i. Pet. iiij. Ergo qui nolūt baptizare, hoc est, ad remissionem peccati admittere, nisi prius perfecte iustos, sicut de Anabaptistis dicitur, eos certum est non tenere, neq; quid peccatum sit, neq; quid iusticia, gratia, aut Christus: neq; uidēt quorsum opus sit spiritu sancto, & nihil q̄ meras hypocrises docent. Reliquū est ergo, ut de eorum pœnitentia loquar, qui post susceptum baptismum, & adeptam reconciliationem, corruerunt: ne ignorent, se quoq; consequi posse remissionem, & Deo iterum reconciliari.

Anabaptistarum error.

Proinde est quidem arduum & magni laboris, erigere lapsum, & confirmare de gratia: non quod scripturæ testimonijs doceri nō posit, lapsos recipi in misericordiam Dei, & placari ipsis posse, ac uelle Deū, condonare & ignoscere peccata, si conuertantur, pœnitentiam agant, & in promissionem gratiæ credant: sed quia res est omnium difficillima, in conscientię iudicio, usu & experientia, plane & perfecte sentire ac credere, quod Deus sępius lapsos, & iterū pœnitētes, nunq; non recipiat in gratiā. Et expertæ cōscientię satis norunt, quā arduū sit huic tētationi resistere, quæ dictat desperandum esse de gratia, cum iterū atq; iterum fueris lapsus: ac debēt ea caussa magis cauere pij homines, ne sic labantur, ut Deum irritare uelle & cōtemnere uideantur. Securi hypocritæ & iusticiarij hæc prorsus non intelligunt: quibus ludus est, cū de his conscientiæ terroribus loqueris. Sed reuelato iudicio & ira Dei in conscientijs, coguntur desperare. Proinde ualde opus habemus certa ac firma cōsolatione per Euangeliū, quæ testetur & lapsis sua corā Deo peccata remitti. Quis est enim omniū baptizatorum tā perseuerās in opere bono, ut uideatur sibi post adeptam reconciliationem nunq; lapsus esse? nullius mali conscius?

Res difficilis lapsos confirmare.

Ergo Esa. ult. dicit Deus. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritū spiritu, & trementem sermones meos? Matth. xij. ex eodem Propheta, cap. xlij. Arundinem quassatam nō confringet: & linum fumigans non extinguet. Item psal. l. Sacrificiū Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Est enim in his sententijs generalis contio de gratia, cū ad omnes, tum ad eos diserte pertinens, qui sunt lapsi. Esaias enim populum Iudaicum his gratiæ promissionibus ita consolatus est: nimirū lapsum post primā recōciliationem, quæ fiebat per circuncisionē. Nec alio fine Christus, cum Iudæis, tum omnibus Gentibus,

eandem cõsolationem proposuit. Deniq; Dauid ipse ad hunc modum sese pœnitentem consolatus est: & per fidem gratiæ in spem salutis æternæ erexit. Quare longe certissimum est, lapsos Deo reconciliari posse: & debet hæc sententia omnibus persuasissima & certissima esse, ut Deum omnes glorificent pro gratia, & gratias agant: deniq; si forte præoccupati sunt aliq̃ delicto, a peccato & diabolo, cũ summa alacritate resurgant a peccato & pœnitentiã agãt.

Non aliter hortantur ad agendam pœnitentiã, & consolantur per fidem reconciliationis, lapsos, hi & similes loci. Esa. lv. Quærite Dominum dum inueniri potest, inuocate eum dum prope est. Derelinquat impius uiam suam, & uir iniquus cogitationes suas: et reuertatur ad Dominũ, et miserebitur eius, & ad Deum suũ, quoniam multus est ad ignoscendum. Ezech. xviij. Conuertimini & agite pœnitentiam, ab omnibus iniquitatibus uestris: & non erit uobis in ruinam iniquitas. Item: Et quare moriemini domus Israel? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus. Reuertimini & uiuite. Math. xviij. Si autem peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter se & ipsum solum: si te audierit lucratus es fratrẽ tuum: fratrem appellat, qui eandem gratiæ fidem nobiscum profitetur: &, ut nunc habet, eodem lauacro regenerationis & uitæ nobiscum lotum: sed qui iam sit lapsus a debita obedientia hominis Christiani, sed huiusmodi tamen uult officio Ecclesiæ restitui.

Ac certum est loqui Christum de illis qui in externa uitia prolapsi sunt. Nam de alijs non habet iudicium aut censuram Ecclesia: nec potest uidere, qui parum Christiane uiuant & sint corripiẽdi, nisi qui externis uitijs produnt, se iã perire, nisi reuertantur in gratiam, correptionis patientes & pœnitentiam agant. Constat ergo, quia rebellem præcipit ad iudiciũ Ecclesiæ reuocari, sicut lapsum corripi, uelle Deum ne ullum hominem negligamus, quatumuis ꝓdigiose lapsum & pertinaciter malũ: nisi eum qui recuset monita & correptiones Ecclesię. Qui tamen si quando ad se redeat & cõuertatur, iterum ab Ecclesia recipi debet: ut liquet illius exemplo, quem Paulus excommunicatum iterum absoluit. Pollicetur ergo Deus & præstat oĩbus lapsis & pœnitentibus, remissionẽ peccati.

Huc iam pertinet illa præcipua uox Christi Iesu Domini nostri, & consolantissimum Euangelium. Ioan. xx. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt. Non debent enim retineri nisi incredulis, duris et impœnitẽtibus: sed rursus illis aliquando reuersis & supplicibus ad gratiam, remit

ti. Male perdat Deus furorē diaboli, qui nō quiescit ꝑ impios grati am Dei obscurare. Sciant boni, poenitētiæ prædicationē ideo durare, ne existimēt lapsi adoptionem sui cassari aut euacuari posse: mō credant uere in Christum, & hanc fidē retineant, & post lapsum libeat eis iterum cōuerti & in uiam redire. Prædictis exēplis et testimonijs adde exempla eorꝫ qui grauiter lapsi sunt, & tamen reconciliationē iterꝫ adepti. Velut Dauidis, Manasse, & Petri. Itē Ecclesiæ quæ fuit Corinthi, & eius, quæ apud Galatas. Quin etiam ipsius Adæ exemplū nō debet remoueri a poenitētia lapsorꝫ. Nam si lapsi, recōciliari nō possent: nec Adæ recōciliatio contigisset. Christus vero ita restituit nos ī gratiā, ut iam nullius īiuria illa possit amitti: mō in fide ꝑmaneamus, ut dixi, et lapsi ad Deū per poenitentiam iterum cōuertamur. Possem multo plura testimonia in hanc sententiā ꝓferre. Quia hæc est ꝓprie ipsius gratiæ & Euangelij doctrina: Deū & peccatores & lapsos recipere, & per gratiæ fidē poenitentes ac uere cōuersos saluare. Venit enim Christus Iesus peccatores ad poenitentiā uocare, Matth. ix. Nec absoluitur hæc unico momēto: sed in omni uita Christianorꝫ: & præsertim si quando lapsi iterꝫ resurgunt & ad Deū reuertuntur. Sed reseruāda sunt quædam, usqꝫ ad eum locum, in q̄ dicendū erit, ꝙ lapsis nō semel, sed quoties opus habere uidentur, sit donanda remissio peccati, per Euangelij ministros.

Locus secundus secundi capitis de caussis erroris.

Nunc excutiendæ sunt caussæ istius impij erroris, quo primū cœpta est lapsis negari remissio peccati: Illæ igitur imputantur cuidam Nouato: a quo deinde seminatores eius erroris dicti sunt Nouatiani. Fuit autem Nouatus iste quidam Romanus presbyter: de q̄ in historia Trip. lib. viij. cap. ix. sic legit̄. Sollicitando scribebat Ecclesijs, ne eos q̄ dæmonibus immolauerāt ad Sacramenta susciperent: sed inuitarent quidem ad poenitētiam, remissionē uero Dei relinquerēt potestati, cuius solius est peccata remittere. Hactenus historiæ uerba recitaui.

Nouatus.

Ex his liquet, quod Nouatus quidem, non negauit, posse lapsos resurgere, posse cum Deo in gratiam redire, posse eis remissionem peccati contingere, si conuertantur & poenitētiam agant: sed ꝓhibuit, ne talibus ab Ecclesiæ ministris remissio peccati promitteretur. Ad hæc cēsuit, arcēdos esse a Sacramētis & cōmunione. Neqꝫ tamē quoslibet lapsos: sed eos qui imperatoris Decij tēporibus metu & terrore persecutionū, Christi nomen abnegauissent. Et sic quidē Nouatus seminaria iecit in Ecclesiā, pernitiosi & blasphemi erroris. Sed & impie hoc statuit, quod etiam sic lapsos, ut dixi, iussit ab Ecclesiæ communione arceri.

ne arceri. Nam ipsius Petri exemplum satis testatur, quibuslibet lapsis, etiam per abnegationem nominis Christi, deberi consolationem, reuertentibus & denuo conuersis ad Deum. Adde testimonium Christi, Luc. xxij. Ego rogaui pro te, (Sic. n. loquitur ad Petrū) ne deficiat fides tua: & tu aliquando cōuersus, confirma fratres tuos. Vides quod Christus uult exemplum Petri perpetuo ualere, pro erigendis & consolandis lapsis: ne reijciamus a salute, qui per pœnitentiam & emendationem sui ad Deum reuertuntur.

Sunt igitur, ut modice digrediar, lapsi iterum recipiendi ab Ecclesia: e qua se per peccatum eiecerunt. Imo Ecclesiæ est, illos ultro inuitare ad pœnitentiā & remissionis peccati fidē: sicut Christus ait, confirma fratres tuos. Quibus ergo Deus ignoscit, illi non debent a cōsolatione Euangelij & promissione remissionis peccati, a Sacramētis et cōmunione, arceri. Ecclesia. n. quicquid agit, non agit ut domina & ministra suæ uoluntatis: sed ut ministra uoluntatis Christi, qui est Dominus & caput Ecclesię & seruator eius. Huc facit illud Pauli i. Cor. iiij. Sic nos existimet homo, ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. Ecclesiæ igitur hoc præcipuum officium est, eos omnes qui quomodocunque peccatum habent et quærunt liberationem ab illo, consolari et confirmare, per Euangelij promissionem, de remisso peccato propter Christum. Denique hortari ad fidei & boni operis perseuerantiam. Nunc ad rem.

Nouati pernitiosus error & impia hæresis nimis inualuit. Nam inde exorti sunt, qui qualitercunque lapsis, spem remissionis peccati recuperandæ, penitus præciderunt. Atque isti ab Ecclesia separati, semetipsos superbissimo noīe et titulo καθαροὺς, hoc est, mundos, puros seu impollutos, appellauerunt pharisaica insania existimantes, & credi uolētes, quod nullum pctm̄ haberēt, & quod pure, munde, sancte, ac prorsus sine omni culpa uiuere possent. Et ad suum impium errorē roborandum, abutebantur aliquot scripturæ sentētijs: de quibus infra nōnihil dicetur. Primū aūt male colligebāt: Baptismū Christianorum per peccatū pollui, et ipsum spiritū sanctū eijci, inque diaboli laqueos sese uoluntarie præcipitare: ergo lapsis nulla peccata remitti. Graue equidē pctm̄, baptismū per pręuaricationē polluere ac dehonestare: ideo oībus modis cauendū uitandū et fugiendū. Sed quid Nouatiani, oīm pestilētissimi hypocritę, et gratię Dei hostes obsecro respōdere potuerunt ad exēpla illa Dauidis, Manasse, Petri et similiū? Cōstat. n. illos post recōciliationē, & acceptū spiritū sanctū grauissime lapsos eē. Dauidē uidelicet in

καθαροί.

adulteriũ & parricidiũ: Manassen ĩ infandas cędes et inumerabiles innoxiorũ, & in fœdissimã prophanationẽ unius ueri cultus Dei. Petrum denique in abiurationem nominis Christi. Et tamen illi omnes iterum recepti in gratiam fuerunt: quanquam ex illa sese eiecissent. Contaminatores quidem uerbi gratiæ & Sacramentorum facti: uidelicet circuncisionis, adeoque baptismi, quod de Petro recipiendum est: sed non euacuatores. Mansit enim gratia & dignitas uerbi & Sacramẽtorum: etiamsi illi quibus communicata fuerunt corruissent. Ita de alijs statui debet, qui per peccatum aliquando se indignos gratia fecerunt: sed per pœnitentiam et remissionis peccati fidem, ad Deum iterum sunt reuersi.

Grauiss. lapsus Petri.

Nec solum peccauit Petrus post acceptum spiritum sanctum, quãdo Christum negauit: Verum etiam cum per simulationem suam, fidem tam Iudæorum fidelium, quam gentium propemodum euertisset: & libertati Christianæ in tantum incommodaret, ut illã sub iugum Mosaicæ legis pene compulisset, quæ eo non debet uenire. Atque hinc Paulus coactus est Petro palã in facie Ecclesiæ resistere, eumque redarguere erroris & accusare. Quãquam nec sic quidem potuit Petrus gratiam recõciliationis amittere: quia fundamẽtum fidei retinebat, nec recusans auerti ab errore in quo deliquerat. Sed de quibusdam alijs argutijs, quæ Nouatianis & Catharis imposuerunt, paulo post loquemur: & præsertim in loco de peccato in spiritum sanctum, de quo iam dicemus.

OBITER DE PECCATO IN SPIRITVM SANctum: *quod est irremißibile: & peccatum ad mortem.*

CAP. III.

CAthari peccatũ in spiritũ sanctũ definierũt quẽuis lapsum post agnitã ueritatẽ et receptum baptismũ: nixi fortassis uno atque altero loco Epistolæ ad Hebræos. Nam in illa cap. vi. ita scribitur: Impossibile eos qui semel illuminati sunt, & gustauerunt donum cœleste, & participes facti sunt spiritus sancti, & gustauerunt bonum Dei uerbum, uirtutesque futuri sæculi & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam: crucifigentes sibimetipsis filium Dei, & ostẽtui habẽtes. Et cap. x. Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam noticiam ueritatis, iam nõ relinquitur pro peccatis hostia.

Non omnis lapsus post agnitam ueritatem iudicari debet, peccatum in Spiritum sanctum esse.

Sed ex his quę hactenus docui, de pœnitẽtia lapsorum, satis liquet ita sentiendum non esse, de quouis lapsu renatorum: & per consequens nec hos Epistolæ ad Hebræos locos ita accipiendos esse, quasi pœnitentibus aditum ac uiam redeundi cum Deo in gratiam præcludant. Ideo quærenda est alia definitio peccati irremissibilis in

lis, in spiritum sanctum: quę a fidei analogia & regula non aberret.

Nam si Christus Pharisæis tribuit hoc peccatum, qui secundū pręsentē Ecclesiæ statum in populo Dei fuerunt, nemo ob id docere potest, eos tunc primum amisisse spiritum sanctum, quando opera & facta Christi blasphemare cœpissent. Sed esto ut tūc demū perierit illis spiritus: nec ideo potest quisquā incredulos, & qui ueritati semper restiterunt, nunquā præditi spiritu sancto, a blasphemia spiritus excusare. Sed quod nam sit hoc peccatum exacte definire nō opinor humani iudicij esse: quemadmodum & uir clarissimus Philippus Melanthon statuit, cuius in ea re iudicium non possum non uehementer probare. Sic enim scribit in libro Locorum communium: teneatur & illa sententia, esse quoddam peccatum irremissibile, seu, ut Ioannes uocat, peccatum ad mortem. Quod nam autem sit, non pertinet ad iudicium nostrum uel Ecclesiæ. Quia illud tantum cōstituendum est a posteriori: tale peccatum nō esse in his, qui ueniunt ad pœnitentiā & fidē. Ac docet idē, ipsum quoque Augustinū eo modo de peccato in spiritū sanctum pronunciauisse. De hoc peccato uide Matt. 12. Mar. 3.

Nimis igitur audacter & impie Cathari, ac furioso errore, dixerunt quemuis lapsum post susceptum baptismum & cognitionem ueritatis, peccatum irremissibile esse. Quo omnes prorsus a pœnitētia deterruerunt: ut clarum sit huius rationē, sicut etiā peccati in spiritum sanctum, istos nunquam tenuisse. Supra enim docuimus lapsis suos erratus & peccata condonari posse. Sed isti deteriorem faciebant conditionem renatorum, quam infidelium: qui uerbum gratiæ et Sacramentum regenerationis nondum recepissent. Quasi ęquior futurus sit Deus gētibus, uix tandem in fine uitæ suæ conuersis: quam his qui frequenter conati sunt uiuere sobrie, iuste & pie, tametsi non successerit semper. Quid autem Cathari potuerunt docere, nisi quandam perpetuam & maledictam hypocrisim, & superbam gloriationem iusticiæ carnis? Perinde ut hoc tempore Anabaptistæ. Nam & isti fingunt, quod renati sine peccato uiuere possint: & ideo non baptizant quam adultos. Et peccatū originis negant esse peccatum: & multos alios prodigiosos errores docent. Sic quando de iusticia concionantur, nihil quam meras operum hypocrises docent, damnabili impietate. Sed ad Nouatianos reuertor, cum quibus si paria in oībus habēt Anabaptistę, uolo omniū maxime cū istis locutus esse. Nec.n. uidētur ulla in re ab illis posse dissentire, quod tm̄ tribuūt sibi, quod sine peccato uiuere possint. Sed reuertamur ad argutiam Nouatianorum. Dicebāt enim: quod

nulla posset pro peccatis restare uenia, polluentibus suum baptismum, & spiritum sanctum eijcientibus. Nam talibus perire omnē baptismi fructū: nec elui deinceps peccatū posse, quia secūdo baptizari non liceret. Vide obsecro audaciam & impietatem: quasi nō liceat sanctis precari, quod Christus docuit & iussit: nempe, remitte nobis debita nostra. Quod si licet, certe peccatum habent, quod illis per inuocationem ignoscitur & condonatur: nō internum solū uerum etiam externū. Quoties enim obsecro labuntur sancti in externa peccata? Iam & Eucharistiæ usus, qui nullus esse potest, quā apud eos, qui promissionem Euangelij receperunt, testatur renatos non ita cadere, ut erigi & restitui in gratiam nunquam possint. Confirmat. n. illius usus peccatores, de quotidiana remissione peccati per Christum: & significat quod adoptionē, quæ contigit per baptismum, nō possint amittere: modo retineant fidem, & lapsi ad agendam pœnitētiam resurgant. Deniq; nec desijt baptismus esse pignus gratiæ, his qui aliquando labuntur, & uidentur spiritum sanctum amittere: non magis certe, quam Euangeliū non maneat uerbum gratiæ, uitæ & salutis, his qui per pœnitentiam & fidē ad Deum reuertuntur. Tales enim habent suum baptismum, sibi in pignus & signum æternum coram Deo, suæ adoptionis.

Vsus Sacramentorum.

Hæc ergo blasphemia, quam Christus uocat peccatum in spiritum sanctum, alia ratione tantum culpam habet coram Deo, ut sit irremissibile peccatum: quam isti stolidi Hypocritæ, Cathari inquam, & Nouatiani, cōfinxerunt. Nā Pharisæi, quibus Christus uidetur hoc peccatum tribuisse, ita se gerebāt, ut qui in finalem impœnitentiam & incredulitatem corruissent. Nam & bellum gerebant cum gratia: & incontumeliam doctrinę & operum Christi dicebant: hic non eijcit dæmones nisi in Beelzebub, principe dæmoniorum. Nec iam melius uidebātur habere, quam isti qui fuerunt aliquando indurati. Sicut Ethnicus Pharao: Roma. ix. Et quidam apud Iudæos: sicut habes Esa. vi. Mar. iiij. Rom. xi. Siue qui dicuntur a Deo in reprobam mentem fuisse traditi: sicut est Rom. i. Itaq; relinquitur Nouatianos nō intellexisse, quid sit peccatum in spiritum: imo in totum, nihil quā Pharisaico more de peccato iudicare potuisse. Quare etiam necesse fuit, ut in tota doctrina de pœnitentia nihil potuerunt quam errores & perditionem seminare.

In locum Ioannis ult. de peccato ad mortem, iudicium.

IOannes discernit peccata alia, a quodā peccato ad mortē. i. Ioā. v. Nimirum non aliud intelligens, quam quod a Christo uocatur

blasphemia

blasphemia in Spiritum sanctum, & irremissibile peccatum. Igitur de illo peccato, quod dicitur mortale, siue peccatum ad mortem, non aliter pronunciamus, quam de peccato in Spiritum sanctum, de quo iam dictum est, uidelicet eos habere peccatum ad mortē, qui pertinaciter manent in impœnitentia & incredulitate. Et de talibus necesse est loqui Paulum, i. Cor. vi. Ne erretis, neq; fornicarij, neq; Idolis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, regnum Dei possidebunt. Rom. viij. Si secundum carnem uixeritis moriemini. Idem docet Gal. v. Ephe. v. &c.

Sic efficiuntur peccata mortalia, quæcunq; fiunt contra conscientiam: non facere debitum officium, & uocationi non diligenter inseruire. i. Cor. ix. Væ mihi si non Euangelizem. Nolle cognoscere uerbum Dei: siue confirmatum testimonio spiritussancti, nolle recipere, de quibus est Ioan. xv. In harenam iusticiarum suarum ædificare, relicta fidei petra Christo Iesu. Rom. ix. et x. Videre egenos, quos possis pascere ac uestire, et alia officia dilectionis in illos exercere: & tamen uiscera dilectionis claudere, & nulla istis opera dilectionis præstare. Esa. lviij. Matth. xxv. i. Ioan. iij. Verū in his omnibus retinendū est, condonari hæc omnia peccata, his qui tandem pœnitentiam agunt & credunt Euangelio: cuius habes exempla Act. ij. & iij. Quare non habet significationem peccati irremissibilis, nisi in his qui tandē non cōuertuntur: ut necessario confiteamur peccatum irremissibile: & quod Ioannes hic uocat peccatū ad mortem proprie, aliud quoddam genus esse: quod non temere definiendū est, quam supra factū, ne quis a pœnitentia absterreatur.

Imo nec quælibet Euangelij persecutio, utcunq; uideatur hostilissima, haberi pro peccato ad mortem debet: Sicut testatur Pauli exemplum: in quo hæc præcipua uicia, uidelicet, superbæ præsumptionis & obstinatæ incredulitatis & summæ contra Euangelium blasphemiæ regnauerūt. Sed sanari potuerunt: nec enim uenerat ad extremam indurationem. Cæterum operæ precium est hic subscribere, quæ Apostolus ille de conuersione sui scribit, in consolationem omnibus, qui pœnitentiā agunt, & in Iesum Christū credunt. i. Timoth. i. Certus sermo & dignus qui omnibus modis accipiatur, q; Christus Iesus uenit in hunc mundū peccatores saluos facere: quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primū ostenderet Christus Iesus omnē patientiā ad pponendū exemplū ijs, qui credituri sunt in eū, in uitā æternā.

Hanc firmam consolationem nulli Cathari poterunt nobis eripere: quin confiteātur necessario nobiscum, omnia peccata & blasphemias remitti, his qui ad Deum per fidem in Christum conuertuntur & pœnitentiam agunt. Huc pertinet & Manasse exemplū: Item hoc quod Paulus scribit. ij. Timoth. ij. iubens, ut placide & mansuete corripiamus aduersarios, (eos nimirum intelligens, qui Euangelio resistunt: in quo peccato est grauissima blasphemia.) Si quando det illis Deus patientiam, ad cognoscendum ueritatem, & resipiscant e diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipsius uoluntatem. Tale fere est illud ad Tit. iij. Hæreticum hominem post unam & alteram correptionem uitabis: & in eo spem aliquam bonam retinendam docens de saluandis per conuersionem. Quia si conuertantur peccatores, tunc etiā remittuntur eis peccata. Ezech. xviij. Mar. iiij.

Igitur ubi Ioannes uetat precari pro illo peccato, quod ipse uocat peccatum ad mortem, sentit nimirum de illo genere, quod est istorum, qui non obscuris signis produnt, se in finalem impœnitētiam & incredulitatem corruisse. Quale exemplum legimus eorū qui ueritatem resurrectionis Christi, contra testimonium conscienciæ obliterare conati sunt. Matth. xxviij. Aut quale est eorum, qui sunt hæretici incorrigibiles: Tit. iij. & apostoli Antichristi, i. Ioan. ij. & iiij. Pro quibus, ut maxime posis precari, ut ab errore & laqueis Diaboli liberentur: tamen peccati genus tale non habent, pro quo precari posis, ne habēti in peccatū imputetur. Sicut sunt alioqui multa uicia & peccata, quæ & uenialia sunt, & pro non peccatis habētur. Disimilia sunt autem prædictorum: & qui hoc tempore Euangelium Christi opprimere laborant: quales etiam contra iudicium conscientiæ non uerentur ueritati resistere. Tanta est excæcatio in istis, & ira Dei.

Eius peccati exemplum aliud legitur. ij. Timoth. iiij. Alexander ærarius multa mala mihi ostendit. Reddat illi Dominus secūdum opera eius: (uidelicet mala, in ultionē et uindictā irremisibilis peccati) quem & tu uitabis. Valde enim restitit uerbis meis. Hic non modo non precatur pro Alexandro Paulus: sed etiam mala & ultionem diuinam illi orat. Vidit enim in finalem impœnitentiam & excæcationem incidisse. Quales certe & illi fuerunt, de quibus est Hier. vij. Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis laudem & orationem, & non obsistas mihi: Quia non exaudiam te. Expende etiam, num hoc peccatum uiderit Helias, in quinqua

genarijs,

genarijs: & Helizęus in illis a quibus deridebatur: Petrus in Anania & Sapphira. Existimare enim, quod gratia & uirtute spiritusancti careant, quos Deus misit, est Deum ipsum irridere & contemnere. Quod sine profunda & grauissima cæcitate, illaq; tanquã irreparabili & inemendabili, nemo potest facere.

Sed ad Nouatianos, qui si permiserunt, recte fieri precationes in ecclesia, pro infidelibus & nondum baptisatis, ut a peccato conuertantur, credant euangelio & pœnitentiam agant: cur non etiam probauerunt pro credentium erratis precari? An Deus minus clemens est erga filios suos, quam erga alienos & filios Diaboli? Hęc dico, ut profunda insipientia eorum, qui uerbo gratię contradicunt, palpabilis fiat. Paulus secundum gratię spiritum longe aliter nos docet: ut Gal. vi. Fratres, & si pręoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, uos qui spirituales estis, talẽ instaurate mansueto spiritu: considerans teipsum ne & tu tenteris. (Audiant hęc Nouatiani & percipiant in corde, si qui usquã sunt, latent aut prodituri sunt.) Alter alterius onera portate & sic perficietis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se decipit. Et Petrus, ij Pet. iij. Nõ tardat dominus promissionẽ suã, sicut quidã existimant, sed patienter agit propter uos, nolens aliquos perire, sed OMNES ad pœnitentiã reuerti. Hoc certe est lapsos colligere, erigere & trahere ad saluationem.

Proinde Ioannes, peccatum ad mortem, non hoc censuit esse, quod Nouatiani: sed quo Christus abnegatur, quod ipse met in eadem Epistola cap. iiij. exponit. Neq; rarum erat tunc hoc peccatum in perfidis Iudęis: quod tandem regnare in Nouatianis cœpit, excludentibus lapsos a pœnitentia & a fide in Chistum, & in Papistis, qui pro impetranda peccati remissione relegant peccatores & lapsos a Christo ad immundas iusticias carnis. Nam utrunque plane non aliud est, quam sepelire Christum, & fingere frustra mortuum esse. Siue, ut Ioannes ait, negare Christũ in carnem uenisse. Nam usum Christi, cum Nouatiani, tum Papistę prorsus sustulerunt. Cuius peccati magnitudinem, si quis attendat, intelliget nihil tam extra ueniam esse, quam hoc peccatum, uidelicet, Euangelij beneficiũ benignissima liberalitate gratię nobis donatum, negare, abijcere & damnare. Et tamen dubitari non debet, quin omnes quicunque ab isto errore conuertuntur salui fiant.

Papistæ consentiunt cum Nouatianis.

IN ALIOS QVOSDAM SCRIPTVRAE LOCOS QVI Nouatianis fauere uidentur.

CItantur quidam alij loci quibus abusi sunt perfidi Nouatiani, in absterrendo lapsos a pœnitentia & remissionis peccati fide, & pręcipitando illos in desperationem, uelut ille Matt. x. Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum corã patre meo qui in coelis

est. Item: Qui non acceperit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et si qui alij his sunt similes, quales habes Luc. xij.

Sed nunquid potuerunt docere Nouatiani, quod Apostolū Petrum nunc coram patre neget Christus, quādo ipsum Christum Petrus cum hic esse negauit? Non possunt. Quare? Quia poenitentem recepit Christus. Deinde, non dixit Christus: Qui me negauerit, eum negabo etiam poenitentem. Quin omnes uocat ad poenitentiam exemplo Petri, ut supra docui, quod maxime eo ualet, ut consolationem habeant, si qui forte incidissent in hoc grauissimum peccatum abnegati Christi, ne desperēt, sed ut sciant se adhuc recipi, si in fide maneāt et poenitentiā agant.

Quare his quoque sententijs nequiter & scelerate abusi sunt Nouatiani, pronūciatis a Christo de finali perseuerātia in peccato. Quis enim ignorat, quod increduli, apostatæ, flagitiosi, & quicunque finaliter durant in perfidia & impoenitentia, saluari nequeant? sed lapsis, poenitentiam agentibus, negare ueniam, est Christum proculcare, & Euangelium euertere. Euangelio enim uniuersaliter omnes homines ad poenitentiam uocantur, proposita conditione, ut si credant in Christum, accipiant omnium delictorum suorum remissionem.

Vnde eleganter quidam ex ueteribus, cuius breue quoddam scriptum extat, attextum operibus Cypriani, ad Nouatianum hæreticum. Quę nam, inquit, est tua Nouatiane dementia, ut illa quæ ad exitium salutis pertineant tantum legas, & quę ad misericordiam, prætereas? Clamāte scriptura & dicente: Conuertimini ad me in toto corde uestro, in ieiunio, ploratione & planctu. Et scindite corda uestra, & non uestimenta. Et conuertimini ad Dominum Deum uestrum, quoniam misericors est & miserator, & multæ miserationis. Idem ait: Legimus & adoramus coeleste Domini sententiam, qua ait, negaturum se, negantem. Nunquid & poenitentem?

Ioel. 2.

Iterum ergo horribili exemplo cernere est quam foede & pernitiose errent, qui iusticijs carnis, plus tribuunt ac fidunt, quam gratię & seruatori Christo. Sed Nouatiani corruperunt prętere, quendam alium locum Epistolæ ad Ro. cap. iij. de præteritorū delictorum remissione. Nam quod Paulus simplicissime dixit, de remissione & abolitione peccati per Christum, cum non sit alia pro peccatis hostia, id isti corruptissime deprauarunt, contendentes Paulum de ijs peccatis solum esse locutum, quæ admisimus priusquam baptisati sumus, quasi quæ deinceps committimus, nō modo per eundem Christum non remittantur, sed prorsus non remittantur. Contra tot scripturæ sententias, quæ pollicentur lapsis & poenitentibus, per eandem fidem, propter Christum, qua renati sunt omnium delictorū suorum remissionē. Contra huiusmodi stolidos argutatores, si qui forte excitarentur a Diabolo, oportet

In locum ad Roma. 3. de præteritis peccatis.

corum

eorum omnium meminisse, quę de lapsis pœnitentibus hucusque dicta sunt, ijsque conscientię nostrae firmiter muniendę sunt, ne qui sinant se perturbari, & conijci in desperationem, lapsi forte post susceptũ baptismum. Quanquam satis erat in ea tentatione uincẽda, hoc unum testimonium, quod facit Christum, æternum Pontificẽ & aduocatum nostrum, corã patre in cœlis, multis locis scripturę obuium, ueluti. Ioan. ij. Filioli mei, hęc scribo uobis, ne peccetis, (sic nimirum loquitur renatis & per fidẽ nominis Christi dilectis filijs Dei.) sed & si quis peccauerit aduocatũ habemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.

Hac sententia satis certum est, ac firmũ, etiam lapsis remitti sua peccata posse, nec alia re nisi propter Christum, si pœnitentiam agant & credant euangelio. Qua propter Nouatiani cum suo Diabolico glossemate repudiandi sunt. Nam Paulus neque docuit, neque uoluit, imo nec potuit docere quod ipsi confinxerunt. Sed hoc docet, quod nullis unquam sua peccata aliter remittantur, quam grauita gratia per fidẽ in propitiatorẽ Christum. Id declaratum fuisse testatur, pręteriti peccati remissione: quã nulli per iusticias legis impetrare potuerunt, multo nimus per alias operũ satisfactiones, sicut nec ulli unquam ullius peccati remissionẽ accipient & impetrabunt, quam per fidẽ in Christũ. Hęc ita habere, liquet ex circũstantijs totius loci, qui citatur & producitur ex Paulo Roma. iij. quẽ ea caussa hic subscribam. Quia (inquit) ex operibus legis non iustificatur omnis caro, per legẽ enim cognitio peccati. Nũc autẽ sine lege iusticia Dei manifestata est, testificata a lege & prophetis. Iusticia autẽ Dei, per fidẽ Iesu Christi, in omnes et super omnes, qui credũt. Nõ enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. Iustificati per gratiã ipsius, per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatoriũ, per fidẽ, in sanguine ipsius: ut ostenderet iusticiã suam, propter remissionẽ praecedentiũ delictorum. Quę tolerauit Deus, ut ostẽderet iusticiã suam, in hoc tempore, ut ipse sit iustus, & iustificans eum, qui est ex fide Iesu.

Hæc omnia sunt tonitrua cõtra eos, qui remissionẽ peccati accipi & impetrari posse existimant, per iusticiarum nostrarum merita & satisfactiones, quæ nullis contingit, nisi gratis, propter Christum, quatenus in illum credunt. Significat autem Paulus, quod Deus præteriti peccati condonatione declaret, se esse, qui nos iustificat gratis, ut dictũ est, propter Christum. Nã qua alia re, potuisset illã iusticiã suam, h. e. iustificantẽ gratiã qua uerax, iustus, clemens, misericors & fidelis, remittit peccata, sicut pollicitus est, his qui credũt, ostẽdere & declarare, nisi præteriti peccati remissiõe? Quę enim alia remitti possent, aut quomodo remitti quę nõdum essent admissa? Neque hic cõsiderat Paulus, utrũ iustificati porro sint pec

caturi, sed docet, per quem acceperint remissionē delictorꝝ. Non ergo hinc sequit̃, nulla quę baptisati admiserūt peccata, illis remitti, sed hoc sequit̃, nullis unq̃ ulla peccata aliter remitti, nisi gratis propter Christū, si tamen in illū credant. Quēadmodum sub priore testamēto, id est, ante reuelatā gratiam, nulla remissa sunt, ne quidē per iusticias legis, sed quatenus beati patres crediderunt in uenturꝝ Christū, qui eo modo nobiscum sub gratia Noui testamēti uixerunt, i. Cor. x. Ioan. viij. &c.

Proinde nihil agit Paulus appellatione remissi pręteriti peccati, nisi declarari deū esse iustificatorē nostri, peccati condonatione, quę necesse est pręterita esse, quādocunq̧ nobis remittuntur. Gratis autē cōdonari illa significat, propter Christum, nō per iusticias nostras, quę sunt imperfectę & immundæ. Hoc quidē etiā tecte requirit, ne qui iustificati sunt porro peccent, & ne redeant ad uomitum, sicut ad Rom. vi. copiose. Nā certe, cum reconciliamur Deo, erudit nos gratia, ut sobrie, iuste, & pie, in hoc seculo uiuamus, &c. Tit. ij. Sicut etiā Petrus docet, i. Pet. iiij. Sat em̄ est nobis, q̧ anteacto uitæ tempore uoluntatē gentium patrauerimus &c. Verꝝ hęc nihil pro Nouatianis, qui lapsos poenitētes, & omnibus honestis & pijs studijs deditos, a saluatione excludebant.

Quidā dum hunc Pauli locum exponunt de peccato originis tātum, & de peccatis ante passionē Christi admissis, negant Christū perpetuū mediatorē saluationis esse. Qui contemnendi sunt, ut Nouatiani. Neq̧ em̄ melius sapiunt q̃ Nouatiani, ut ne dicā, peius illos de Christo sentire. Nā Nouatiani quidē, cōcedebant homines gratis per Christū saluari, sed lapsis nihil restare quo reconciliari possent, quia se semel a gratia Christi exclusissent. Verꝝ isti nuperi Nouatiani, excludunt Christum iustificatoris loco, et docēt saluationē quęrere per iusticias legis. Quod quomodo quadret cum doctrina Pauli, de qua paulo ante egimus, facile iudicare est. Paulus de facta recōciliatione loquit̃, neq̧ deijcit Christum mediatoris loco, per quē habemus iusticiā & saluationē, etiamsi aliquādo per imbecillitatē carnis labamur, modo fidē retineamus, & denuo per poenitentiā emēdemur.

Reliqui sunt duo illi loci Epistolæ ad Hebrę. quos supra citaui, ad quos quid respondēdum sit, recte censet, meo iudicio, uir doctissimus Philipp. MeL. in libello locorꝝ communium theologicorꝝ, de quo & supra mētionē feci. Sed si cui cōtentioso nō satisfacit, tutius est totā Epistolā reijcere, q̃ in eo recipere, quo uniuersali prędicationi poenitentiæ & remissionis peccati aduersari uidetur. Cū etiā apud ueteres de illius autoritate dubitatū sit, sicut refert̃ in Ecclesiastica historia ab Eusebio. li. vi. cap. xvi. Tametsi locū de sacerdotio Christi dignissime & sanctissime exponat. Sed nō ideo adprobari debet, si qd in ea reperias, q̄d lapsis adimat spem saluationis. Quia hoc ipsum, esset & Christū officio iustificatoris

ficatoris æterni deturbare & deijcere, & Ecclesiam in totũ deuastare. Vt necessario recipiamus, prędictorum locorum eius Epistolę, aliquã miti gationem, quam requiras, ut dixi, ex Philippi libro.

CONTRA EOS, QVI LAPSIS PECCATI REMISSIOnem, semel duntaxat ministerio Ecclesiæ concedendam permiserunt, cum ea semper reddi debeat tanquam debitum, his qui uere ad Deũ reuertuntur, etiamsi infinitis modis lapsis.

CAPVT IIII.

HActenus in confutatione contra Nouatianos, eorum sententiam repudiaui, qui lapsis remissionẽ peccati contingere posse prorsus negauerunt. Nunc etiam illi conueniendi sunt, & reuocandi ad iudiciũ ueritatis scripturæ, adeoq; erroris & impietatis conuincẽdi, q se magnis uiribus ad argumenta rationis conuerterunt, non affirmantes quidem, poenitentiã lapsorum prorsus nihil ualere, sed ęgre concedentes peccati remissionẽ lapsis. Nõ sæpe tamen, adeoq; uix semel.

Proinde isti hypocritę prędictis Nouatianis non parũ clementiores haberi uoluerunt, sed meo iudicio longe deteriores & nocentiores fuerunt. Primũ, quia neq; ignorãtia ueritatis Euangelij deliquisse uident̃, & deinde, q a ueritate euangelij simpliciores in hypocrisim & gloriationẽ operũ suorum detraxerunt, nihil secuti, q̃ argumenta rationis. Sic eñ colligebant. Si lapsis sæpius iterata poenitẽtia prodesset, gratiam prębeti occasionẽ ad peccandum. Itẽ, cautiores fieri homines, & ad pecćadum cunctatiores, si credant lapsis nõ semper remissionẽ peccati contingere posse. Et huiusmodi alia delyramẽta rationis proferebãt, quorũ & Longobardus meminit, ac reprehendit eorũ insaniam, libro quarto sententiarum, Dist. xiiij. Et his rationibus moueri hoc tempore multos, ut cõtra Euangelium sentiant, notum est satis. Sic eñ solent, qui magis adprobant operũ hypocrisim, q̃ ut Euangelij ueritas regnet. Quapropter & horũ obiectionibus nonnihil respondere consilium est, ut appareat, quod per solam Euangelij noticiam & fidẽ homines uere iusti efficiant̃, & q ea obscurata nihil q̃ in hypocrisim labantur.

Sic ergo blasphemabãt. Quis nõ semper peccaret, si semper redire posset? Nõ dico, hoc hypocritice inferri, quasi sit homini lapso in manu, quoties uelit, posse resurgere & redire, &, nõ esse q̃ solius gratię, erigere lapsum, & in fide remissionis peccati cõfirmare. Quod iure & uere dicit̃. Sed hoc dico, arguta & bellissima ratio est, & solis iusticiarijs, gratię Dei hostibus, digna. Quales fuerunt, qui ipsi quoq; Paulo, prędicanti ueritatem gratię, obiecerunt: faciamus mala, ut ueniãt bona. Sed de talibus, apostolus ille sic pronũciat, quorũ dãnatio iusta est. Nã obsecro, quã nõ rationẽ & caussam seu occasionẽ, præbuerũt isti hominibus ad peccandum, & miseris in peccato hęrentibus ad desperãdum? Non ideo solũ, quia fiduciã humanæ iusticiæ eo pacto docuerũt, uerũ etiã, quod uelut cogerent alios omnes desperare, qui nõ erant ipsis similes

hypocritę. Nā impossibile est hoīem, in hac carnali natura, nō ſępius labi. Nec potuerūt illę iuſtitię iuuare eos, qui ſibi ſtare uidebant. Quia ſiduciam in hanc ponebant: & fidei petra euertebantur.

Ergo longe decepti fuerunt iſti, per ſuas intentiones bonas. Nō intellexerunt eīn, opera noſtra per ſe nihil eſſe corā deo: non poſſe hęc iudicium dei ſuſtinere. Pſal. cxliij. Deinde nō uiderunt, quę ſit uis peccati & Diaboli, & quāta infirmitas in humana natura ad reſiſtēdum illis. Deniq; quot hoīes in cōſcientiæ agone, non ſolū ex his qui ſępius lapſi fuiſſent, uerumetiā ex ſuo genere, protruſerint in deſperatioēm. Habes ſcilicet, quomodo hoīes per ignorantiam & abſcōſionē gratię cautiores reddant ad delinquēdum. Sed audiamus diuerſam aliā rationē iſtorum Nouatianorū, æque feſtiuam, hoc eſt, inſigniter impiam, cæcam & blaſphemā. Obijciebant eīn Dn̄m uideri incitatorem mali eſſe, ſi ſemper peccantibus ſubueniret, ignoſcendo illis peccata: eiq; placere peccata, q ſemp pręſto eſſet illa cōmittētibus remittere. Iſta blaſphema cōmenta, quis uir bonus poteſt ſine ſtomacho legere uel audire? Cur non potius hāc ſequelā eliciebant: ideo nō adprobare deū noſtra peccata, q̄a ſemper remittit illa, nō ficte conuerſis a peccato. Nā hęc uerax eſt & firma ratio: ideo eīn ignoſcit poenitentibus, ut extirpet in illis, quod odit, nēpe peccatum. Nec alij efficaciter abſtrahuntur a peccato, niſi quibus gratiæ magnitudo cognitiſſima eſt.

Lombardus in ſentētijs, citato loco ex Auguſtino, niſi liber unde pducitur eſt nothus, nō mala tamen ſententia, cōtra pdictam opinionem, ita reſpondet: errant aūt. Conſtat eīn peccata diſplicere, ei qui ſemp pręſto eſt illa deſtruere: ſed ſi ea amaret, nō ſemper ea deſtrueret. In ſumma, gratia quo perfectius cognoſcitur per ueram fidē, eo pręſentius ſeruat hominē ne in ullum aliquod peccatū relabatur: & ſi forte per carnis imbecillitatē lapſus fuerit, iterū erigit illū ad glorificandū deum, qui peccata odit, & omnibus modis uult illa in ſanctis extirpari: ideo ſemper cōdonat lapſis peccata ad poenitētiam reuerſis, ut peccatū tandē in totū aboleatur. Rurſus a quibus creditur deus ſic durus eſſe & implacabilis iudex, ut lapſis nō facile ignoſcat, adeoq; uix ſemel, iſti non poſſunt quā deo iraſci, & occultis blaſphemijs fremere, donec tandē in aperta cōuitia erūpant ac deſperēt. Quē profectū ſapientię rationis debemus: quæ bonas intentiōes pro arcendo & depellendo peccato, ſed inaniter iactat.

Quare deus odit regnum peccati & Diaboli: ac deſtruit illud, eo ipſo q̄ pctōribus nunq̄ nō ignoſcit, poenitētibus illis, & oībus in gn̄e nunquā nō cōcedit ſpaciū poenitendi: ſicut & Pet. docet, ij. Pet. iij. & Paulus Ro. ij. Rurſus plantāt pctā, hypocriſim & deſperatioēm, & ad gehēnā ędificāt Nouatiani, & q̄ſcunq; ſpūs iſtorum agit. Chriſtus nullis nō eſt perpetuus ſeruator, niſi incredulis: q̄s hæc de gratia pdicata magnitudo

do lędit, sed pereant q̄ pereūt: & lędant qui lędūtur. Nos Christi bonus odor sumus deo, in his qui salui fiunt: & in his qui pereunt. Alijs quidem odor mortis in mortem: alijs autem odor uitae, in uitam. ij. Cor. ij.

Sed addam tertiā argutiam memoratorꝝ Nouatianorꝝ, uel potius ludibriū & illusionē Diaboli, qui suos arte dementat. Sic ergo dicebant: Quē cęcum bis illuminauit? Quē leprosum bis mūdauit? Quē mortuū bis excitauit? Et ex eo inferebāt, non ualere saepius iteratam poenitentiā. Sed hoc pacto etiā inferre coacti sunt, ne semel quidē ualere: si suas cogitationes attētius inspexissent. Sic ergo isti nebulones talibus delyramētis delectati sunt: ut hypocrisim operꝝ statuerēt, & pręconia gratię euerterēt & summū articulum fidei, q̄ est de remissiōe pc̄ti, prorsus perderēt atq; delerēt. Quod si tales allegorię ualerēt, nemo tā est infans, qui q̄ties liberet, nō posset spiritui gratię cōuitiū dicere: atq; ea docere, q̄bus Christianā fidē prorsus irrideret, protereret & cōculcaret: & tn̄ interim gloriaretur, se boni doctoris officio in ecclesia functum esse. Oīno uero indignę sunt istę blasphemę nugę, q̄bus a me in cōfutatione plus respōdeat.

Caeterum hęc sentētia tam parꝝ Christiana, an suffragatorē habuerit ipsum q̄q; Tertullianū, ego nō ausim affirmare. Certe in lib. quē de poenitentia scripsit, ita legitur: Piget secundę, imo ultimę spei subtexere mētionem. Ne retractātes de residuo auxilio poenitēdi, spacium adhuc delinquēdi demōstrare uideamur. Et quędam alia paulo post, etiā duriora: quę nolo referre. Quamq̄ idem autor hanc durissimā sententiā subinde nōnihil mitigat: ut uideat ipse quoq; Tertullianus, hac, ut sibi uisa est, pia astucia, rebus Christianis, paulatim in deterius labētibus, cōsulere uoluisse, sed humano consilio hoc fecit, ne quid durius in Tertullianū dicā: Cui in fidei rebus, ratiōis omnia cōsilia, suspecta esse debuerūt. Nos ergo illa oīa, quę ueritas Euāgelij habet aperte confitebimur: & opus cōuersionis nostrę, seu perseuerātię in bono, deo cōmittamus: inuicē adhortātes, ne sic uiuamus, ut gratiā dei frustra recepisse uideamur.

Igitur semꝑ patet uia & aperta ianua est, reuersis ad gratiā, propter Christū, si mō fidem retineāt, neq; fucate poenitētiam agunt: q̄tiescunq; fuerint lapsi, & q̄cunq; tpe conuertantur. Et huius Christianę & sanctissimę sentētię, habemus ueracissimū & fidelissimum testē atq; assertorē ipsummet Iesum Christū, dn̄m & seruatorē nostrum. Nā interroganti Petro, de remittenda lapsis noxa & peccatis, & quoties illa remissio fieri deberet, num septies? ita respondit. Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies: ponens numerum finitum pro infinito: & ea figura sermonis docens, quod lapsis & resipiscentibus, ministerio ecclesiae, semper sit condonanda noxa: sicut per mox sequentem parabolam explicatur. Nam quia deus lapsis ignoscit, quoties se emendant, & fidem gratiae retinent: debent etiam ecclesiae ministri poenitētes per Euangelium

Secundus locus. Caput 4.

consolari, & remissionē peccati reddere, tanquam debitum. Et uę istis qui ita non faciunt: & a gratiæ fide miseros depellunt peccatores, & abigunt.

Existimabat & Petrus clementiam quidem, in cōdonando fratribus errata & delicta eorum, sed non nimiam, exercendam esse. Verū Christus correxit hanc eius carnalem opinionem: reuocās Petrum ad diuinæ misericordię exemplum. Quam Christus alio loco ita nobis prędicat: Estote misericordes, sicut & pater uester misericors est. Remittite, & remittetur uobis. Hac ergo responsione Christi ad Petrum docemur, id semper omnibus nobis præstandum esse, ut alijs alij sua erga se errata atq; delicta condonent, pro debito perfectæ dilectionis, quæ semper ualere & efficax esse in omnibus debet: cuius est perfectissimū exemplar in deo, ut qui nobis propter filium unigenitū, Christum, semper ignoscit, quotiescunq; fuerimus lapsi, modo reuertamur ex animo.

Sic ergo docemur a Christo, nempe, ut faciles simus ad condonandum alijs sua delicta. Qua causa: ut idem rursus dicam. Non utiq; obedientiæ solum erga legem & dei uoluntatem: sed etiam fidei caussa, qua retineamus deum semper ignoscere uere conuersis. Nam regno gratiæ filij sui dilecti, ita semper reuocamur ad deum, ut intelligamus uere misericordē esse: & misericordiam illam suam erga peccatores perpetuo retinere. Nec est comparatio dilectionis nostræ erga fratres, cuius sumus debitores: erga eā, qua nobis deus beneficia sua pręstat, eaq; gratis, sed & tenuiter & imperfecte nos exercemus debitā dilectionem: quę crescere quidē in nobis debet & q̃tidie augeri, ut tandem q̃ proxime accedat, ad similitudinē dilectionis erga nos dei. Sicut quotidie p̃camur: & remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Sic est firmissima & perfectissima consolatio huius loci, citati ex Mat. sententię Christi, pro poenitētibus lapsis: quod in opere suo deo placeāt, modo ex fide in Christū poenitentiā agant. Deus em̄ nulla penitus peccata nō remittit lapsis, quotiescunq; cōuertuntur & deū pro gratia inuocant. Quod qui credūt (sicut hoc fidei uerbū ad oēs Christianos pertinet) se uidelicet, p̃pter Iesum Christū in eā & tantā gratiam receptos esse, & nunq̃ non recipi, etiāsi sępius fuerint lapsi: eos decet eo conniti, ut hāc in condonādo clementiam & facilitatē ipsi quoq; erga proximos suos exerceant quidem enixissime, & gloriam gratiæ dei eo pacto ornent: sed præterea & fidem remissi peccati sibi apud deum, per solam gratiam propter Christum muniant atque confirment. Nam ut certum est nulla peccata remitti apud deum, his qui tam sunt duri, inflexibiles & inclementes, ut nec propter deum uelint proximo quicquam remittere, sed ipsi se ipsos ulcisci de iniuria. Ita rursus certum est, deum his fauere & ignoscere, qui in obsequium coelestis gratiæ, alijs sua delicta,

cta, quibus sunt læsi remittunt. Pertinet igitur hæc fidei exercitatio ad conscientiarum nostrarum confirmationem, de placato nobis Deo per Christum, cuius beneficio semper in gratia sumus, quatenus fidem retinemus & delictorꝫ pœnitentiam agimus.

Vide igitˀ amplitudinē misericordię dei. Nemo unq̃ tantus peccator fuit, est aut erit, quē conuersum illa immensa & ineffabilis bonitas, nō receperit aut nō recipiat in gratiam. Et hęc gratię beneficentia ac cōdonandi facilitas, Deo liberalissimo & munificētissimo donatore dignissima est, sicut a propheta in psalmis prędicatur maxima. Velut, psal. lvi. Quoniā magnificata est, usq; ad coelos misericordia tua, & usq; ad nubes ueritas tua. Et psal. lxxxv. Quoniā tu Dn̄e suauis & mitis, & multæ misericordię OMNIBVS inuocantibus te. In hac ergo misericordia fundatur hoc gratiæ uerbum, q̊d est Ioel. ij. Omnis quicunq; inuocauerit nomen Dn̄i saluus erit. Atq; hic satis liquet, ꝙ inuocatio, sine misericordiæ fide, penitus nihil prodest, sed per fidem facta, nō potest non gratiæ locū inuenire apud Deum. Et prophani hoīes ausi fuerunt hanc magnitudinem gratiæ in angustias humanarꝫ cogitationū includere, & per durā inclementiā humani cordis metiri, qui quid mereantˀ, puto te uidere, charissime lector. Nā nisi esset tanta gratiæ amplitudo, quantā prædicant esse sacræ literæ, & a me hoc loco illarum testimonio dictū est, nemo est omnium qui saluus fieri posset.

His igitˀ rationibus clare docemur, quomodo nos uti deceat gratiæ beneficio, nimirꝫ, ut fidem alamus & confirmemus, & ut dilectionem per gratiæ fidē alijs quoq; præstemus. Facile absorbet diuina & infinita misericordia omnia peccata nostra, modo in gratiæ promissionē credamus, quare & nos debemus alijs nō grauanter ignoscere in obsequium gratię, & sic probare quod nō simus uacui & inanes fide. Nihil em̄ hęc tanta gratia ad incredulos, & qui fidem nullo dilectionis officio exercent. Nec est grauius peccatum, q̃ hanc gratiā ita uilem habere, ut illius respectu & consideratione nolis proximo aliquid remittere, nec est aliud sane, quam ipsissima incredulitas. Impossibile est enim, quod quiˀ uere crediderunt, maneant inanes & uacui ueræ dilectionis. Ideo iustificamur fide, quæ est efficax per dilectionem. Sint hæc parerga, sed quæ nos admonent, quibus gratia ueraciter contingat: non enim incredulis, sed credentibus, in quibus Christi spiritus uiuit & regnat, eoque possunt alijs sua remittere errata, & prompte ignoscere. Prorsus enim hæc de gratia non eo dicuntur, ut impijs securitatem permittant, & ignauis ociū, sed ut pios consolentˀ & peccatores seruent a desperatiōe, illosq; officij sui admoneāt, in condonādo alijs sua errata. Iuxta illud: si em̄ remiseritis hoībus peccata eorꝫ, remittet & uobis pater uester coelestis delicta uestra. Si aūt nō remiseritis hoībus, nec pater uester remittet uobis pc̄tā.

Sed nūc de gratia seorsim agā. Proinde huc inprimis pertinet, hoc est, ad consolandū nos qui sępius lapsi sumus, hęc magnifica cōsolatio, qua nobis sacrae literae praedicant ac proponunt Christū, esse perpetuū mediatorē, regē, sacerdotem, propitiatorē, pontificē & aduocatū nostrū apud Deū, semper intercedentē pro nobis, ac placantē Deū patrē, adeo ꝙ lapsos illi reconciliantē. Sic est enī ad Roma. viij. Christus interpellat pro nobis. Hoc enī cur faceret, si semel recepti in gratiā, & lapsi Deo posthac reconciliari nunꝗ possemus? Itē Hebrae. ix. In coelū introiuit, ut adpareat nunc in conspectu Dei pro nobis. Et ne quis eludat nobis haec testimonia, quasi non recte adplicemus ea ad poenitentiā lapsorū, cōfirmat sententiā nostrā, imo ecclesiae Christi, ille locus qui est de officio mediatoris Christi i. Ioan. ij. si quis peccauerit, aduocatū habemus apud patrem Iesum Christū. Sed hoc testimonio & supra usus sum, ubi idē quoqꝫ nō nihil exposui. Ad idē pertinet locus ille ad Hebrę. cap. v. Habentes ergo pontificē magnū, qui penetrauit coelos, Iesum Christū filium dei, teneamus professionē. Non enī habemus pontificē qui non possit compati infirmitatibus nostris, sed tentatum per omnia, pro similitudine, absqꝫ peccato. Accedamus ergo cū fiducia ad thronū gratiae eius, ut misericordiā consequamur, & gratiā inueniamus, in auxilio oportuno. Haec certe nihil faciunt ad eos hypocritas, qui existimāt & confidunt se ita stare posse, ut nunꝗ labantur, siue, ne saepius labantur. Isti enī in se confidūt magis ꝗ in gratiā Dei & seruatorem Christum.

Ezech. xxxiij. iureiurādo cōfirmat Deus, se uelle recōciliari, his qui fiduciā gratiae habēt, & poenitentiā agentes a peccato resurgūt. Sic enī loquit̄ nobis per prophetā: Viuo ego dicit Dn̄s, nolo mortē impij, sed ut conuertatur impius a uia sua & uiuat. Nimis igitur abiecte & humiliter, imo illiberaliter & impie de gratia locuti sunt, qui illam lapsis aut nunꝗ, aut raro & nō sine difficultate concedendā statuerūt. Et peccāt isti quoqꝫ in hāc partē, qui remissionē peccati contingere hominibus non prius concedunt, ꝗ illā per opera sua mereātur. Quasi remissio peccati non gratis donet̄ his qui credunt, propter solū Christū, aut quasi de corporalibus beneficijs gratię magis dictū sit, ꝗ de spiritualibus & ęternis, gratis accepistis, gratis date. Nostra autem doctrina de gratia omnis eo tendit, ut solatio sit his qui peccatū habēt, ne desperēt, nō ad laxamentū carni, & ut ꝑ poenitentiā ad Deū conuertantur tanꝗ gratias acturi. Atqꝫ haec de poenitentia lapsorum hactenus, cuius omnes homines sunt debitores, etiam qui sibi stare uidentur, sobrij esse, bene & pulchre habere. Imo omnium maxime indigēt tales poenitentia, quod nec dum quid peccatū sit, aut gratia, recte cognorint. Eoqꝫ plane nescij sunt, quorsum poenitentia doceatur, sicut mox planius explicabo.

Quo-

QVORVM SIT POENITENTIAM AGERE, utrum omnium & quouis tempore totius uitæ ipsorum. CAP. V.

SOlent igitur in quæstione de pœnitẽtia & hæc disputari, utrum uidelicet sit omnium pœnitentiam agere, & num pœnitentiæ debitores simus, ut in quouis tempore totius uitę nostrę illam præstemus. Primum, qui sibi pœnitentia non uidentur opus habere, isti nec ad Christum pertinẽt, qui nobis omnibus ita loquitur: Nõ ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Deinde, qui nostrę sententiæ aduersantur qua docemus, pœnitentiam oportere durare in omni uita fidelium, non de ea loquuntur, quam nos imitatione Christi & Apostolorum prædicamus, sed de illa quæ sacerdotũ ministerio celebratur, per confessionem delictorum & satisfactionem, cuius nullum extat pręceptum Dei, etiamsi a doctoribus suis uocetur sacramentalis. Et quanquam sententiam nostrã de uera pœnitentia, cuius omnes & quouis tẽpore agendę debitores sumus, perspicue satis dixi, tamen nihil uetat hic seorsim quędam confirmatius ea de re loqui & scribere, cum pręsertim pertineat ad exactiorẽ definitionis expositionẽ. Esto igitur, opinatę sacramentalis, non quilibet sint debitores, nedum quouis tempore, imo prorsus nemo sit illius debitor, mea nihil refert. Quia hypocrises inuentionum humanarum non curo: imo illas, quatenus Christianę prędicationi de pœnitentia aduersantur, prorsus damno.

Clarissimũ est ergo, ꝙ omnes homines pœnitentię profectu opus habent, quantumcunqꝫ sancte uiuant. Nã uocati in gratiã, debẽt subinde proficere in iusticia, & per obseruationem mandatoꝝ Dei in melius proficere, coercere ac domare carnales cupiditates. Ac ualet hęc sententia imprimis contra eos, qui affirmant iustoꝝ hominũ opera nihil imperfectionis & nihil immũdicię amplius habere. Sed isti qui sic docent, pernitiose errant, cũ & timorẽ Dei aboleant, & homines in studio proficiendi faciant remissos, & carni fręna laxent. Igitur nosse oportet, restare in sanctis reliquias peccati, sicut Paulus clarissime & firmissime docet Ro. vij. Et sicut hoc uerbum Christi testatur Cũ feceritis omnia, quæ pręcepta sunt uobis, (sic nimiꝝ loquit̃, fide iustificatis.) dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Sic & illa prophetę sententia, psal. cxlij. pro nobis facit: Et ne intres in iudiciũ cũ seruo tuo, quia nõ iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Nã quia inperfecte iusti sumus, si quis ea respiciat, quę sunt nostrę obedientię, debitę corã Deo, certe opus habemus, ut de uirtute in uirtutẽ proficiamus, & in bene operãdo semper ad melius progrediamur. Iuxta illud: Qui iustus est, iustificet adhuc, & q sanctus est, sanctificet adhuc. Nã & quãdiu in hac uita sumus, ad perfectionẽ Christianæ uitę nemo peruenit: sicut ipsa quoqꝫ experientia omnes plus quam satis docet. Luc. 17.

Huc facit, ꝙ ipse quoqꝫ Ioannes baptista omnes docuit pœnitentiã agere, publicanos, milites, plebemqꝫ uniuersam, atqꝫ adeo ipsos phari

ſgos, inter quos omnes tamen fuerunt haud dubie multi boni, utriusq; ſexus, uiri & mulieres, iuſti & ſancti homines, nempe, per gratię fidem, & deinde, timore Dei & ſtudio obſeruandę legis. Neque dubium eſt, quo quiſque illorum fuit iuſtior & ſanctior, hoc conatus eſt ſemper melius agere, quod bene cœperat. Sed addi preterea ſupradictis multo plura teſtimonia poſſunt, quę docent ſanctorũ iuſticias immundiciem habere, & imperfectionem, ideoque emundatione auctiore indigere. Pſal. cxxx. Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis permanebit? Quia apud te propiciatio: ut timearis. Iob. ix. Vere ſcio, quod nõ iuſtificetur homo, cõparatus Deo. ſi enim uoluerit contendere cum eo, non poterit ei reſpondere unum pro mille. Exo. xxxiiii. Nullus apud te per ſe eſt innocens. Naum i. Deus mundans non facit innocentem. Nã talibus ſententijs ſcripturę ſanctę omnes accuſamur: quantumcunque iuſte & pie uiuamus. Non ideo ſolum, quia natura immundi ſumus & peccatores, uerum etiam, quia iuſtificati per gratiam, reliquias peccati in carne retinemus, ut nõ ſolum opus habeamus, reſiſtere peccato, ne regnet in nobis, ſed etiam ut conſopiatur & extirpetur.

Debent ergo omnes homines creſcere in ſtudijs pietatis & operibus bonis: & hoc agere, ut ſeipſis ſemper meliores efficiantur. Sed hęc ſtudia melioris uitę opprimunt ac perdunt, qui iuſtificatorum opera bona negant habere, uel peccatum aut defectum. In ſumma, Chriſti prędicatio ad omnes pertinet, non minus ad eos qui fide ſtant, ut proficiant, quam qui in peccato ſunt, ut illud derelinquant. Et illi eius prędicationi de poenitentia, ſemper morẽ gerere oportet, ſicut mox pluribus dicam. Fortaſſis eſt aliquis ex phariſaice iuſtis, cui non uidetur, quod opus habeat poenitentia, ſicut phariſęus iſte, de quo Luc. xviii. ſed o infœlicem & miſerum, imo perditum ac deploratum hominem, qui uocationem Chriſti, unici omnium ſeruatoris, ridet atque contemnit.

Secundus locus cap. 5.

Reliqua eſt pars altera, qua docendi ſumus, quod uerax & Chriſtiana poenitentia duret per omnem fidelium uitam. Quanquam hic locus nihil habeat obſcuri, comparatus ad ſuperiorem. Si enim hoc nobis datur, quod omnes, quantumcunque ſancte uiuant, opus habent poenitentia & profectu in melius: (quod obtinebimus ſane, uelint nolint hypocritę, omnes cõglomerati in unum aceruum.) facile illud quoque concedetur, hunc profectum Chriſtianorũ in melius, durare ſemper oportere, in omni ipſorum uita. Pręceptum enim diuinum, nullo momento reuocabile eſt: eique omnes ſemper morẽ gerere tenentur. Quare non habemus opus magna copia aut ſylua argumentorum, ad huius probationem. Debitum enim creſcendi in iuſticia, omnes utique ſemper pręſtare oportet.

Caro noſtra ſemper concupiſcit aduerſus ſpiritum. Et quia huius concu-

concupiscentia uaria est & multiplex, imo prope inenarrabilis & infinita, liquet etiam quod uarius sit & multiplex in ea error & impietas & ruina in peccatum. Quibus uicijs semper resistere debemus, & curare, ut per spiritum in nobis bonum, quem a Christo Iesu habemus, extinguantur. Nunquam enim hęc studia pietatis omittere, ac ne remittere quidem licet, cum semper adsit caussa extirpandi hæc mala, uoluntas Dei. Gal. v. Col. iij.

Sic ergo laude dignum est iusticiam quęrere, cum quod semel bene cœperis, urges benefaciendo, & prosequeris ut usq; melius fiat. Nam ita certe oportet nos sapere Christum, Christum induere, & in Christum transformari, ut carne semper mori uelimus, & spiritu uiuificari, & sic crucem nostram baiulare. Ideo enim mortuus est Christus, nempe, non solum ut pro peccatis nostris satisfaciat, per suam crucem, & Deo nos reconciliet, uerum etiam, ut ipsi quoq; peccatis moriamur, Deoq; per nouitatem uitæ uiuamus, sicut copiose docetur Roma. vi. Et huc facit certe illud Christi: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. Matthę. xvi. Iam nullo tempore licet hanc crucem excutere ab humero, sed hoc iugum omnes semper portare & perferre oportet. Quia nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens, aptus est regno Dei. Iubet ergo Christus, ut pœnitentia nostra semper duret, in primis, ut lapsi dent operam, quo denuo resurgant, & mandato dei de agenda pœnitentia, ad exemplum eorum qui pergunt in opere bono, respondeant. Quandocunq; enim carni nostrę frena laxamus, non possumus Deo placere.

QVOD VERA POENITENTIA CONSTET TAM *interioris, quàm exterioris hominis reparatione, & quòd utranq; Deus ipse operetur in nobis.*

MVlta sunt in literis sacris de iusticia cordis, qua excellere oportet, quicquid operis nostri, coram Deo ualere, siue debet, siue potest. Deus enim secretissimarum cogitationũ cordis cognitor, inspector, põderator & iudex est. psal. vij. Prouer. xvi. Hier. xvij. Ioã. iiij. Idem arguit ipsa legis doctrina. Nam quia precepit, de Deo diligendo, corde, anima, omnibus uiribus & purissima mente, ut est Deut. vi. & indere petitum Lucæ x. Item de diligendo proximo, Leuit. xix. Luc. x. Matthę. v. Deniq;, & concupiscẽtiam damnat, sicut discimus Exo. xx. Rom. vij. palam est, quod Deus inspicit corda nostra, ac secundum illorum mundiciem & puritatem de operibus nostris iudicat. Imo necesse est, ut possit iudicare de intimis affectibus & penitissime reconditis in hominis natura, qui debet aliorum omnium iudex iustissimus esse. Scribit ergo leges de iusticia cordis, ut astutos cõprehendat in astucia sua, et solis qui spiritu & ueritate iusti sunt, reddat pręmia & mercedẽ laborũ.

CAPVT VI.

Nã lex Dei sic est spiritualis doctrina, hoc est, huiusmodi doctrina quę requirit a nobis affectus, & internos motus, castos ac sanctos, & legi per omnia consentientes, adeoq; spiritu & ueritate cordis illam exprimentes. Nempe, ueram in Deum fidem, timorem, dilectionem, spem, & in quibuslibet afflictionibus patientiam, quę quam sint ardua prestatu, fortassis alio loco dicetur. Sed & dilectionem proximi requirit lex, eamq; summam, cuius regulam arripere debes tui amorem. Requirit igitur mansuetudinem, misericordiam, clementiam, & ignoscenciam, illius erratorum, pacem & tolerantiam malorum, castitatem cordis, & similes motus sanctos, sine quibus nihil externorum operum deo satis probari potest. Huc facit cap. v. apud Matthęum, in quo Christus spiritua les legis sermones ad hunc modum exponit.

Lex quę requirat.

Ergo his rationibus docemur, etiam pœnitentiam, quã agimus, (de externa illa loquor, quæ tota est sita, in fructibus iusticiæ bonis) non esse acceptam coram Deo, nisi ex purissimis & sanctissimis cordis motibus proficiscatur, hoc, est, ex timore dei, fide in deum, dilectione proximi, & similibus alijs affectibus bonis, de quibus paulo ante locutus sum. Ac fides quidem, quæ primas in omnibus tenet, purificat corda, illaq; liberat ab impijs opinionibus in Deum, & uana hac persuasione qua pleriq; operibus suis tribuunt, quod his gratiam saluationis mereantur, ac facit deniq; iusticias nostras acceptas coram Deo.

In hunc modum, cum de interna cordis iusticia loquimur, eamq; coniungimus externę illi operum nostrorum & obedientię erga legem, significamus aliud quiddam esse Christianam iusticiam, quam quod situm est in externa specie solum operum bonorum. Ideoq; & opus habere omnes pios ante omnia remissione peccati, & deinde spiritu sancto, cordium nostrorum purificatore. Nam simulari quidem potest foris operum iusticia quędam, sed illa coram Deo non potest pro iusticia haberi. Spiritus enim Deus est, & eos qui adorant eum, oportet in spiritu & ueritate adorare. Nostris carnalibus iusticijs non placatur, sed opere ueritatis suo in nobis.

Secundus locus cap. 6.

Nam & illud nosse oportet, ac persuasissimum habere, quod utramq; pœnitentiam, hoc est, tam internam cordis, quam externam operum uere bonorum, Deus ipse in nobis operetur. Nam corda purificare, sine quorum mundicie, nihil non damnabile est coram Deo, solus in manu Deus habet. Et huc faciunt illi prophetarum loci, in quibus Deus pollicetur, hanc spiritus & cordium puritatem se nobis donaturum, ut Hiere. xxxi. Ezech. xxxvi. Ioel. ij. &c. Sunt enim in illis contiones de gratia noui testamenti, quę nulla est nisi per Iesum Christum, cuius nomine spiritum sanctum accepimus. Rom. viij. Gal. iiij.

Cauendũ ergo, ne, quod superbi iusticiarij & hypocritę solent, uerbum

bum DOMINI, pœnitentiam agite, cũ sit uerbum summæ & perfe-ctissimæ iusticiæ, de solis externis operibus interpretemur: aut uiribus nostris facere præsumamus. Nã iste conatus noster irritus est ac uanus. Plura em̃ exigit pœnitentię prędicatio, q̃ sine fide in Christum & spiritu sancto pręstari a nobis possit. Sed & Deus superbis hypocritis resistit, ut longe infœlicissimi sint, in hoc suo conatu, qui se existimãt per uires rationis absolutam iusticiã posse pręstare. Roma. ix. Israel sectando legẽ iusticię, in legem iusticię nõ peruenit. Ibidem capite x. Ignorãtes iusticiam Dei (cuius est Deus autor in nobis) & suam quærentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti.

Quid ergo? Nihil ne operabimur, & nihil operis boni faciemus pro implendo uerbo domini, pœnitentiã agite? Plane ac prorsus nihil, ea opinione, quasi huic mandato nostris actionibus & nostra obedientia satisfieri possit: cũ nihil minus præstare ualeamus. Christus enim præcepit nobis de cordis iusticia: quæ est longe ultra & supra uires nostras. Et naturam nostrã necesse est, cum omnibus uiribus nostris, prius interire, quam iusticiã spiritus, plane ac perfecte implere possit. Cur igitur pręcipit Christus ut pœnitentiam agamus? Ideo scilicet, ut perfectæ iusticię, qualem Deus per legẽ requirit, nos debitores esse agnoscamus. Quam cum intelligimus, præstari a nobis non posse, tum de fiducia operũ nostrorũ desperemus, & peccati remissionem apud Deum quęramus: adeoque auxiliũ spiritus, ad mãdati huius, de agenda pœnitẽtia, impletionẽ. *Pœnitentia cur præcipiatur.*

Ergo primus fructus in pœnitentię prędicatione, est uerax nostri humiliatio, per accusationem & ostensionẽ nostri peccati. Alter & connexus, ipsa gratię annunciatio. Nam quia Deus pręcipit pœnitẽtiam, significat se adprobare agentes pœnitẽtiam illosq́ recipere in gratiam uelle: Ideo suę gratiæ fidẽ a pœnitentibus q̃ maxime requirit. Fidem autem dico, qua nobis peccata ignoscit propter Christum: hac em̃ ad promissionem euangelij respicere debemus. Quemadmodũ beati patres pœnitẽtiã, fide promissionũ uenturi Christi, qui placat omnibus patrẽ, agebãt.

Quare utrunq́ tenere oportet: & præcipere nobis Deum ut pœnitẽtiam agamus: & subministrare spiritum sanctũ, ut illi pręcepto parere & obsequi possimus. Omnino autem certum est, Deũ operari ęternam salutẽ, in his qui se uerbo suo subijciunt formandos ac reformandos: ut qui per fidem in Christũ, opus pœnitẽtię adgrediuntur, parati suæ carnis mortificationẽ perferre. Nã tunc demum pręcepta operũ, nõ sine fructu amplissimo discuntur. Cõtra quibus hęc, quę dico, desunt, illis nõ seruiũt operum pręcepta, nisi uel ad præsumptionẽ: sicut accidit ignaris doctrinę spũs. Vel ad desperationem: ut in alijs, qui doctrinam de iusticia spiritus, sine fide apprehendũt. Proinde hac expositiõe oĩm maxime docemur, quid nos precari referat a Deo: utiq́ ne nos in perficienda debita iusticia uiribus nostris relinquat. Nam ita certe nihil unquam per-

ſoluemus. Sed ut quod ipſe præcipit, dignetur pro amplitudine miſericordiæ ſuæ in nobis implere. Sic enim & Hieremias propheta, quia intelligebat, ſe non ſufficere ad iuſtum ac perfectum pœnitentiæ opus, a Deo præceptum, precatus eſt: Conuerte me Domine, & conuertar &c. Hieremiæ xxxi. Cuius etiam Dauid memor, nempe, mãdato Dei ſe minus ſatiſfacere poſſe, orat a Deo internam renouationem, quam externa non poteſt non ſequi. ut pſal. l. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum renoua intra me. Sic nimirum & nos facere debebimus, ſi fructum pœnitentiæ bonum facere uelimus.

CONTRA PRAESVMPTIONEM, ET DESPErationẽ: & quòd nulla eſt ſera nimis pœnitentia, niſi quæ deſtituitur fide in Chriſtum.

CAP. VII.

NOn inutile futurum arbitror, ſi poſtquam docui, quod Deus ueram pœnitentiam in nobis operetur, aliqua mox ſubijciam, contra ea præcipua uicia, quæ operi pœnitentiæ in nobis bono, inprimis aduerſantur & pugnant: uidelicet, præſumptio & deſperatio. Quanquam memini, & in pœnitentię definitione, me nõnihil de iſtis uicijs locutũ eſſe. Quia talis debet eſſe definitio, ut ambitu ſuo complectatur omnia, quæ in re uerſantur, de qua eſt quęſtio, & quam exponit: ſic ut facile intelligi poſſit, quæ ſint extraria, & rei definitæ aduerſentur. Sed hos locos, in quorum enarratione nunc uerſor, poſui ueluti exegeſin quandã luculentiorem & firmiorem definitionis.

Præſumptionem igitur dico eam, quę regnat in ſecuris hypocritis, qui exiſtimant, quod legi per opera ſua ſatiſfacere queant, inanis quædam & ſuperba operum ſuorum fiducia: ac neceſſe eſt huic ineſſe cum legis, tum promiſſionum euangelij horribilem ignorantiam, & profundam mentis cæcitatem. Tales enim, cum prorſus non faciant legem, neque dubitent tamen perfectam iuſticiam ſibi tribuere, & iuſticiæ præmium ſibi polliceri, hoc eſt, remiſſionem peccati & uitam æternam, neceſſe eſt furore & inſania mentis a Deo in pœnam & ultionem peccati percuſſos eſſe. Sed quantum peccent contra iuſticiam gratiæ, cum ex omnibus quæ huc uſq; dixi intelligi poſſit, tum idem copioſe oſtendam, infra propicio Chriſto Ieſu, in doctrina de contritione & fide ſeu iuſtificatione. Nam in ſumma fucatam iuſticiam & alia grauia peccata hypocriſeos humanę, pro ſumma iuſticia, innocentia & pietate defendunt: homines ſine timore Dei, & ſine fide in Chriſtum, & quod extremę miſeriæ & dementiæ eſt, in tantis & tam craſſis malis, ſuum malum ne ſentiunt quidem: quin etiam opinantur perfectam ualetudinem eſſe: nec uident ſe communi medico animarum Ieſu Chriſto opus habere.

Hæc autem præſumptionis impietas a ſcholaſticis theologis & Papiſtis docetur. Quid enim aliud prędicant nobis niſi legem: atq; ita, ut glo-

riam

riam nominis Christi illa prædicatione penitus aboleant? Sic enim docent legem, ut nobis fiduciam faciant nostrarum carnalium iusticiarum, nempe, ut de his tanquam operibus meritorijs gloriemur, & meritorijs quidem, remissionis peccati & uitæ æternæ. Quos ea caussa, possis non iniuria, nouam quandam sectam Nouatianorũ, adpellare. Quid refert enim, si aut neges lapsis remissionem peccati contingere posse, aut eo mittas in doctrina peccatores, ubi nullam delictorum suorum ignoscentiam reperire possunt? Imo etiam, ubi per impiam operum fiduciam magis peccatores & plus rei efficiuntur, & in peccatum negatæ gratiæ incidunt? Hoc uere claudere est regnum cœlorum ante homines. Iam utri plus damni dederint & inuexerint in Ecclesiam, ueteres Nouatiani, an scholastici theologi, eius rei iudicium relinquo, pio & erudito lectori.

Contrarium præsumptioni uicium desperatio est, eorum qui cum audiunt & intelligunt legem spiritualiter nobis loqui, & plura exigere quam ipsi prȩstare ualeant, aut prȩstiterint, adhȩc accusare & damnare iusticias carnales, tunc animũ accipiendi gratiã & fauorem Dei prorsus abijciunt, nec deinceps admittunt ullam per euangeliũ consolationem, quȩ & ipsa grauissima blasphemia est in gratiam Dei, nec fieri potest, quin in eam tandẽ ruant præsumptuosi, ut cũ conscientiam delictorꝝ reuelauerit tandem illis Deus, uel in mortis agone. Quapropter quã diu durauerint hȩc uicia, habent irremissibilem culpam coram Deo.

Quanquã ergo desperationẽ non doceant Scholastici Theologi & Papistȩ, ita ut prȩsumptionis arrogãtiam & superbiã, uide tamen, an non sint eius quoqꝫ autores miseris peccatoribus & ignaris gratiȩ, ut præsumptionis. Nã quia operũ fiduciã prædicant, nihil quam desperationis harenam, pro Petra fidei, nobis in fundamentũ saluationis locãt, ac meris peccatis nos inuoluũt. In probatione aũt conscientiæ & agone mortis discemus procul dubio omniũ perfectissime, ꝗ sint fucatȩ & pœnitus nullæ omnes iusticiæ rationis corã Deo. Vbi si fuerint, qui Iesu Christi, & beneficiorꝝ gratiæ eius sunt ignari, cogent᷑ certe tales sese ex harena suarꝝ iusticiarum præcipitare & immergere in barathrũ æternȩ desperationis.

Cȩterũ nulli unꝗ licere de gratia Iesu Christi desperare, cũ ex omnibus quæ hucusqꝫ a me dicta sunt, possit intelligi, tũ ex ijs cõstabit, quæ hic subijciã, de sera impœnitentia, seu infructuosa & infœlice. Qualis nulla esse potest coram Deo, nisi quæ est in homine finaliter, sine fide in Christum. *Locus secundus Cap. v.*

Nam cũ Deus eximie ostendere uellet, se nec ultimæ desperationi locũ facere, uerũ etiam in extremis laboranti suo gratiæ beneficio succurrere, modo illam per fidẽ in Christũ adprehendamus, saluũ fecit facino-

rosum, condemnatum ad mortem, & conuersum demum, cum iam in cruce poenas scoelerum suorū daret, ut saluationis spem tunc nullam accipere potuisset, nisi omnibus hęc una, quę cōtingit per fidē in Christū, proposita esset. Adeo hoc summū hominis Christiani bonum est, & aeterna foelicitas, posse uerā in Deū, per Iesum Christū fidem obtinere, quandocunq; tandē illa donet, modo donetur & cōtingat. Recte enim aiūt, sat cito, si sat bene. Quod uerbū uel maxime hic locū habet. Quia tam uera poenitentia seu cōuersio ad Deum, quam uera fides, donantur a Deo, quae quandocunq; illo largiente obtinuerimus, sat cito contigerunt.

Poenitentia sera.

Vna igitur res est, quę seram facit, atq; infructuosam poenitentiam: uidelicet, solos legis terrores, & accusationē tui peccati, in conscientia sentire atq; experiri, & nullam fidei consolationē posse admittere. Qualis per euangeliū offertur, quo promittit remissio peccati & saluatio ęterna, his qui in Christum Iesum credunt. Cęterū istius impię poenitentię, quā dico, refertur exemplū Matthę. xxvij. de Iuda q prodidit Christū.

Quidā seram poenitentiā hanc esse definiunt, qua prius relinquatur a peccatis suis homo, quam illa ipse relinquat, sicut quādo decrepitum aliquē, nō delectat magis uoluptatibus carnis operā dare. De quo possis dicere, q prior a uicijs relinquatur, quam illa ipse fugiat & deserat. Sed hęc philosophica & delyra ratio in hac quęstione, nihil neq; dicit neq; ualet, ut ne dicā q peccatores iubet desperare, q nomine impijssima est & uanissima. Cadit igitur sera poenitētia in quāuis aetatem, uidelicet, quę nulli prodest, & omnibus, qui habēt, noxia est. Infoeliciter ēm poenitent, qui nihil q terrentur, dolent & cruciantur ex cognitione sui peccati, & fidē gratię, quę est per Christū non possunt cōcipere.

Alioqui certe, quando sentit homo peccator ueros terrores in conscientia, quales oriunt ex cognitione peccati uera, cuius agnoscit se reū esse, & fidē tandē, de placato sibi & recōciliato Deo per Christū, adprehendit, nihil potest in tali poenitentia serū aut noxiū esse. Esto fugiant hominē sua peccata prius, q illa ipse fugiat & relinquat. Quanq quādo hoc fit, & quem hominem fugit omne peccatum? Fieri fortassis potest, ut senes a quibusdam uicijs relinquantur, quę iuuenes magis sequi solent & amplecti, non tamen ab omnibus. Multa enim grauia uicia cum aetate crescunt, & in decrepitis cumprimis etiam grande robur accipiunt. Sicut est auaricia, ira, odium, aemulatio, inuidentia, ambitio, &c. quae quid pariant non opus est attexere. Qui uero haec pro peccatis non agnoscunt, isti nimirum crassissime caecutiunt, & pessime in peccatis habent.

In summa, quando peccator sentit ueros terrores in conscientia, & consolatione Euangelij non destituitur, fide illam adprehendēs,

salua

salua res est. Tali em̃ promittere ecclesia debet firmissima securitate æternam salutem. Quia quacunq; hora ingemuerit peccator, sitiens gratiæ & deo se per seruatorẽ Christum commendans, atq; ita conuersus fuerit, uita uiuet, nec morietur. Omnino enim, omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

DE DIFFERENTIA AC NOTIS VERAE & fucatæ pœnitentiæ: quæ ex effectibus cognosci & iudicari possunt, contra fictam & mortuam fidem.

CAP. VIII.

HOc etiam paucis inquiramus, num intelligi possit, quando uera in deum pietate præditi simus, hoc est, quando sine simulatione pœnitentiam agimus: aut contra, quãdo hęc simulatur uerius quam agitur: & quibus utrunq; notis cognosci a nobis ac deprehendi possit. Igitur affirmamus, utrunq; horũ cognosci posse ab homine spirituali. Oportet em̃ ut habeamus certum testimoniũ, uiuentis & regnãtis in nobis spiritus Christi: quia, ut Paulus dicit, Qui spũm Christi nõ habet, non est eius.

Itaq; congessi quidem multa capita doctrinæ hac in parte primi libri: in quibus omnibus sæpe coactus fui, lectorem eiusdẽ rei admonere. Sic enim fit, ubi necesse est multorũ cauillis respondere, nunc hæc nũc alia pręoccupare: siue cum opus est imperitioribus cauere, ne Diaboli præstigiosis artibus, & fallacibus technis, quibus utitur ministerio impiorum doctorũ, decipiantur. Quo nunc quoq; consilio de differentia uerę & fictæ pœnitẽtię scribã: q̃ aliter, q̃ ex effectibus cognosci a nobis nõ potest. Etiãsi hoc ipsum argumentũ sit antea a me non obscure explicatum.

Descriptio uere pœnitẽtiæ

Igitur pœnitentiam uoco, in qua est uerax contritio, & uera in deum per Iesum Christũ fides. Neq; enim alia, aut pœnitentia recte dici, aut prodesse peccatori potest. Nisi em̃ peccator conuertatur uere, quid illi utilis esse posset simulata pietas? Est autẽ necessaria homini contritio qua uere & ex animo doleat, se in tantũ deliquisse cõtra deum: & adhuc maiore desiderio teneri explendi cupiditates carnis prauas & uicia, quã ad amorẽ uirtutis & bonorũ operum accendi. Porro ad hanc cordis cõtritionẽ, debet accedere fides: quę terrores cõscientiæ sanet, afferens pacẽ. Ro. v. De hac interna pœnitentia affirmare licet, q̃ glorificet deum & grata sit illi: nec aliam requirere ipsum a nobis, quam hanc, quæ spiritu & ueritate colitur.

Notæ ueræ pœnitentiæ

Sed hęc interna pœnitẽtia, parit multos bonos fructus. Nã foris operatur uarias carnis mortificatiões, fugã uiciorũ, studiũ et diligẽtiã recte factorũ, q̃s oẽs uoco, sicuti sunt, pœnitẽtię effectus. Et illi q̃dẽ, nõ sunt aliorũ operũ, q̃ de quibus pręcipit̃ nobis in lege dei. Cognoscit̃ ergo, pœnitẽtiã quę in nobis est, nõ esse fucatã, qñ sequit̃ illã ardẽs diligentia & sollicitudo obediẽdi dei mãdatis. Atq; ita cẽsuit Petrus: q̃a cũ collatioẽm instituisset, corruptiõis q̃ est in mũdo, et exercitiorũ pietatis: quæ faciũt ad fidei

probationem & confirmationẽ, tandẽ inquit: Quapropter fratres magis studete, ut certam uestram uocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non labemini. &c. Nec enim de alijs studijs loquitur, q̃ obedięntię nostrę erga legẽ: qua opera bona, a deo præcepta pręstemus.

Videndum ergo ut uocationi nostrę, quę facta est per diuinã electionem, per omnia respondeamus. Ac certũ est, nos bene illi respõdere, quando credimus in eum, qui pro peccatis nostris mortuus est. Nã hac fide, conscientiæ nostræ accipiunt primo pacẽ: & contritio sanatur. Deinde efficax est in nobis, ut uicia fugiamus, & bonũ operemur: glorificãtes in omnibus, cum dictis, tũ factis, deum & patrem, Domini nostri Iesu Christi, & gratias agentes. Vt multo certissimum sit, per hęc studia & exercitia, hominẽ nõ falli, in iudicio uocationis & electionis suę, quę factæ sunt per Euangelium a Deo: sed intelligit uere se dei filium esse. Non hæc ad arrogantem gloriationẽ: sed ad necessariam securitatẽ, sine qua nemo saluus fieri posset.

Contra ubi nulla sunt exercitia pietatis externa, nulla erga legem obedientia, plus uiciorũ corruptissimorum, quam bonorum morum & operum, ut sunt tales diuinæ uocationi rebelles: Ita nec bene sperare de istorũ salute quisquã potest. Quinetiam a propria cõscientia semper accusantur: sicut Ioannes testatur. i. Ioan. ij. Per hoc scimus, quod cognouimus eũ, si mandata eius obseruamus. Qui dicit se nosse deum, & mãdata eius nõ custodit mendax est, & in eo ueritas non est. Qui autẽ seruat uerbum eius, uere in hoc charitas dei perficitur. In hoc scimus, quod in ipso sumus. Qui dicit se in ipso manere, debet sicut ipse ambulauit, & ipse ambulare. Item. i. Ioannis iij. Omnis qui peccat non uidet eum, nec nouit eum. &c̃. Sic enim plena est tota epistola Ioannis testimoniorum: cum bonæ tum malæ conscientiæ, & spiritus ueritatis in nobis. Vnde oportet signa capere, quando uere filij Dei sumus.

Hæc certe de nostra obedientia, qua bonis operibus excellimus.

Est & Paulus frequens in eo, ut admoneat, quod qui desideria carnis faciunt, eos neque placere deo, neque regnum dei hæreditate accipere posse. Et rursus ad Gala. v. ubi de fructibus spiritus agit: cõcludit tandẽ his uerbis: aduersus talia non est lex. Non obscure significans, solos in quibus fidei fructus regnant, per legẽ non posse dãnari. Quare extra cõtrouersiam est, displicere deo qui mala operantur, placere autẽ & gubernari, protegi, & defendi ab eo, qui bene operantur & recte factis student. Nec potest quisquam his recte contradicere.

Descriptio ficatæ poenitentiæ.

Cæterum æmula pietatis hypocrisis, sua quoque signa, indicia & notas habet. Nempe, aut sola externa legis opera, sine contritione & sine fide in Christum. Sic eñ habẽt quidam nihil q̃ operũ suorũ fiduciã, nec terrent̃ pc̃tõ, & fidei in Christũ sunt penitus ignari. Quare nec legẽ amare possunt: quę tñ sine dilectione nõ potest impleri. Rursus alij habent

bent contritionem sine fide: sicut Cain, Iudas, &c. Et quanquam uera fides sine contritione non possit haberi: nec fides sine exercitio bonorum operum existere: tamen non paucos reperias, qui iactant fidem, cum uacent omni timore dei, & corruptissime uiuant, sine omnibus operibus bonis. Contritio sine fide est desperatio: fides autem, quam nulla opera bona sequuntur, est inanis fictaque cogitatio, & mortua fallaxque opinio rationis. Sicut testatur haec Pauli sententia: finis praecepti est charitas, ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. i. Timoth. i. Item hęc: fide iustificamur, quae est efficax per dilectionem. Gal. v.

Qui igitur tam sunt ingrati Christo Iesu, ut illi uocanti nos omnes ad poenitentiam, ipsi in nullo morem gerant, non tribuentes tantum largitori uitae aeternę, ut per nomen & gloriam eius, cupiditatibus carnis suę frenum iniicerent, atque arcerent se a consuetudine peccandi, & legem dilectionis quam tantopere a nobis requirit praestarent, quid isti possent quam meri hypocritae esse? Esto uideantur euangelio fidem habere. Litera est enim ea cognitio, non spiritus, opinio dubitans, non ueritas: rationis, non dei opus: in summa, fides mortua & ficta.

Vera in deum fides, non est res ociosa & mortua: sed potentissima, uiuacissima & efficacissima: nec sinit quiescere hominem. Quia ut liberat a peccato & ęterna morte: Ita urget habentem ad extirpandum in se atque delendum peccatum. Qui enim Christi sunt carnem suam crucifixerunt, cum affectibus & concupiscentijs. Galat. quinto. Non quod fidem habentes mox sint perfecti, in operum iusticia: sed quia sunt in cōtinuo profectu, subinde perficiuntur et de die in diem efficiunt meliores. *Non requiras subitam perfectionem à renatis.*

Quid multis? caueamus nobis a Diaboli laqueis. Nam ipse quoque transfigurat se in angelum lucis: & incautis atque securis spiritibus frequenter & mirum in modum imponit. Quę est enim tua contritio hęc, qui timor dei, quae fides, ubi tu sic uiuis, ut uidearis cum deum, tum diuina mandata omnia, quasi dedita opera contemnere & abijcere? Sed haec de signis & effectibus utriusque poenitentię hactenus: uerę & fucatę. De quibus tamen, in quodam alio libro, quem institui de fructibus iustificatorum, erimus largiente domino Iesu satis copiosi. Nunc enim eos admonere duxi solum, qui se in Christianorum numero haberi uolunt, cum hoc nullo pietatis fructu declarent.

MVLTIS SACRAE SCRIPTVRAE *typis, Poenitentiam fuisse adumbratam.*

CAP. IX.

MVlta undique occurrunt, de quibus in hoc scripto de poenitentia oportune dici posset, sed curandum est ne sermo ultra modum excurrat. Quare nunc tandem primae partis finem faciemus: si prius paucis indicauerimus, quomodo poenitentię seu Christianae uitae, institutum, aliquot typis in sacra scriptura sit praefiguratum.

Proinde hac in parte primum Paulus occurrit: qui nobis, pro huius declaratione, ueteris paschæ figuram & rationem exponit. i. Cor. v. in hunc modum: Expurgate uetus fermentum, ut sitis noua conspersio: sicut estis azymi. Etenim pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Epulemur itaq; non in fermento ueteri neq; in fermento maliciæ & nequiciæ: sed in azymis synceritatis & ueritatis. Pulchre enim his uerbis exponit Paulus ueteris paschæ significationem: quod nunc a spiritualibus, spiritu & ueritate celebrari debet. Nempe, ut qui sciunt se per Christum a peccato & morte redemptos esse: memoria & fide istorũ beneficiorum, ueteres mores exuant, & induant nouos, professione uitæ Christianæ dignos: quod est nouum pascha celebrare, in gloriã & honorem, agni inculpati & immaculati Christi.

Nouum Pascha celebrare

Eiusdem rationis est, quod idem apostolus Roma. xii. de sacrificijs legalibus exponit, ita scribens: Obsecro igitur uos fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuam, sanctam, Deo placentem, rationale obsequium uestrum. Et nolite conformari huic seculo: sed renouamini in nouitate sensus uestri: ut probetis, quæ sit uolũtas Dei bona, beneplacens & perfecta.

Legalia sacrificia.

Huiusmodi allegoriam quandam tribuunt apostoli, morti, sepulturæ & resurrectioni Iesu Christi. Nam quid requirat exemplum mortis Christi a nobis: Petrus ita exponit. i. Petri iiij. Christo igitur passo pro nobis in carne, & uos eadem cogitatione armamini. Quia qui passus est in carne, desijt a peccatis, ut iam non desiderijs hominum, sed uoluntati Dei, quod reliquum est temporis in carne, uiuat. Hoc enim magis ad figuram rei pertinet, quam ad exempli imitationem.

Mors Christi

Cæterum sepulturæ Christi sabbatum, & resurrectionis figura, exponitur a Paulo Ro. vi. Consepulti eñ sumus, inquiens, cum illo p baptismum in mortem, ut quemadmodum Christus surrexit a mortuis, per gloriã patris. Ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Quo loco baptismi allegoriã exposuit: cuius significationi semper in omni uita respõdere debemus. Quare semper mori Christiani carne debent & spiritu semper uiuificari.

Sepultura Christi.

Vtinam autem efficiat in nobis Deus & pater Domini nostri Iesu Christi per magnam misericordiam suam, ut quod præcipit nobis, & figurarum inuolucris commendat, id libeat omnibus nobis amplecti: & per iustam obedientiam sanctissimæ uitæ, ad rem tam præceptam, quam figuratam, pio & magno studio transferre. Per IESVM CHRISTVM, DOMINVM & seruatorem nostrum.

AMEN.

PARS SECVNDA

IN QVA DE CONTRITIONE, PRIORE poenitentiae parte.

PRAEFATIO IN SECVNDAM partem, quae est de Contritione.

EXposui hactenus, quid sit poenitentia: & quaedam alia generalia capita doctrinae tractaui, quae praecipue faciūt ad illustrandā definitionē, & ad Christianam de poenitētia doctrinam pure conseruādam. Proximum est, ut de partibus poenitentiae seorsim scribam: quarum in hoc opere placuit duas praecipuas facere, nempe, Contritionem & fidem: nam externa nouitas, est illarum effectus, de qua in alio opere constitui scribere, ut iam aliquoties dixi. Iā uero de cōtritione seorsim agam: quae est animi cruciatus quidam, tristicia cordis, dolor & perturbatio in conscientia. Oritur aūt ex peccati uera, & iudicij diuini in peccatores, cognitione: quorum monstrator lex est. Est autē plane necessaria ad saluationem: etiamsi propter aliud contingat remissio peccati & uita aeterna: uidelicet, propter Christum, his qui euangelio & promissioni gratiae credunt. Esse autē necessariam cōtritionem, testatur illud Domini apud Esaiā, cap. ultimo. Ad quē respiciam autē, nisi ad pauperculū & contritum spiritu, & trementē sermones meos? Sic enim loquitur de legis sermonibus, quibus retegitur & accusatur nostrū peccatum: qui faciunt quidem hominē contremiscere & ueros pauores experiri, dolere & angi, taedere & moestum esse, planeque interire ac mori, nihilque minus q̄ hanc lucē in tanto cruciatu sibi optare: nec alia re, nisi propter peccati & irae Dei cognitionē: quorum reuelatio fit in conscientia per diuinae legis praedicationē. Refert enī declarari nobismetipsis nostrū peccatum: ut nos cognoscamus esse filios irae propter peccatū, & uere coram Deo humiliemur. Nā alioqui neminē aliū uult, aut pōt deus cōsolari. Contritio.

Quos igitur terret metus irae & formidabilis iudicij Dei propter peccatum suum, cui Deum irasci cōstat, eos indubitatum est habere satis euidentia signa uerae cōtritionis. Necesse est enim, hoc ipsum, quod de contritione dico, in conscientiae iudicio serio agi. Alioqui ipsi quoque hypocritae solent quendā timorem Dei & contritionē simulare, odium & fugā peccati, & in omnia pietatis opera sese tarnsformare: quorum omnium tamē plane uacui sunt: & de peccato quo Deus offenditur, & quo praecipue damnamur, etiāsi mille externae transgressiones essent, nullā prorsus cognitionē habent. Id primū ex eo liquet, quod sibi tribuunt, quod legem Dei uiribus rationis perfectissime possint implere: & deinde, quod illis operibus suis mereantur remissionem peccatorum: denique & illorū nomine iusticiam habeant coram Deo. Quare nec uera contritio in ta-

libus esse potest: qui peccatum suum adeo non cognouerunt: neque plus praeceptum esse uident in diuinis legibus, quam quod ab homine uiribus rationis impleri & praestari possit. Et in summa, quod ea sibi arrogant, quae sunt solius Christi, & eorum qui in Christum credunt, & a spiritu sancto gubernantur.

Contritio bo mini bona.

Magna res est uera Contritio, nec meretur gratiam, sed fit mors ęterna, in his qui per euangelij consolationem & fidē non eriguntur. Cum enim intelligit homo peccator, se legis debitorem esse, quae de absoluta & perfecta iusticia pręcipit, quam praestare nullo modo potest, cogitur desperare, accepta super se sententia mortis & ęternę maledictionis. Quanquam sic conteri, & sic incuti terrorem iudiciorum Dei, homini bonum est, non per se quidem. Sed quia, quos uult Deus iustificare & saluos facere a peccato & morte, eos primum ad hūc modum perterrefacit, ut uere humiliatos ad gratiam suam mittat. Necesse est enim, eo pertrahi hominem, ubi per cognitionem sui peccati, de operum suorum iusticia, quę reuera non est iusticia coram Deo, desperet, & in promissionis euangelij gratiam, per fidem nominis Christi, sese conijciat.

Contritio quae efficiat in homine.

Quin etiam sola Contritio, adeo non liberat hominem a peccato, ut magis peccatorem efficiat, multo minus a sententia mortis ipsum liberare potest. Quia efficit magis reum. Nam dolor ille uerę contritionis, quia oritur ex peccati cognitione, in quo natura omnes homines sumus, & a quo nemo per uires suas abesse potest, tum etiam ex irę dei sensu, quae res est tristissima & uiolentissima, non excitat in primis motibus illis, qui homini in tali cōtritione accidere solent, nisi iram, odium & indignationem frementis naturae contra legem & Deum, quae gignunt homini aeternam mortem, nisi aliud gratia operet̃. Sicut cernere est in eorū exemplis, qui contriti, ad gratiae fidem non perueniunt. Iam ita augeri peccatum in contritione, est declarari, quod nihil boni habitat in nobis, hoc est, in carne nostra, & quod optimis legibus deteriores solūmodo efficiamur, nec possit hō ullo remedio melius habere, nisi per gratiam & medicum animarum nostrarum Christum.

Lex ante omnia discenda.

Prodest tamen, ut dixi, hominem, talem declarari. Quia eius latens malum, & penitissime reconditum in natura protrahi debet, ne se inani iusticiae persuasione fallat. Nam qui morbi & quae uicia lateant in nostra carne, ipsi qui habemus ignoramus, donec lumine legis retegātur. Porro res ipsa, reuocata ad serium iudicium, clarum testimonium in omnium hominum conscientijs habet, qui ad legis lumen perducuntur, uidelicet, quod legibus nemo iustificetur, nemo saluationem mereat̃, sed miserabiliter & horribiliter tantum crucietur. Quod ita fieri quidē uult Deus, ut superbia hominis cōteratur & in nihilum redigatur. Quapropter qui ex lege iusticiam quęrunt, perniciose errant. Palam est

enim

enim, quæ sit imbecillitas nostra ad resistendũ peccato, imo, quæ uoluptas & amor peccandi, & propterea, quam iusta sententia æternę maledictionis contra peccatores. Claret igitur, nos reipsa admoneri, si ad ueram contritionem optemus aut peruenire ipsi: (omnes autem uelle debent, quibus modo curæ est sua ipsorum salus,) aut alios in eam perducere uolunt (quod pro officio suo quilibet boni doctores pręstare curabunt) ut legem diuinam, peccati nostri & iræ Dei indicem, ante omnia quã diligentissime inspiciant, discant ac doceant. Nam sine legis sermonibus recte intellectis, nulla haberi a nobis potest uerax peccati nostri cognitio: & sine hac nec uerus dei timor, nec humiliatio nostri uera: & per cõsequens nulla salus. Quos em̃ respiciat dominus nisi cõtritos? Nam huc facit præter supra citatum locum, illud psal. li. Sacrificiũ deo, spiritus contribulatus: cor contritum & cõfractum deus non despicies. Item illud Esaiæ. xlij. Arundinem quassatam non confringet. & linum fumigans non extinguet. *Lex ante omnia discenda.*

Quin & Christus ait: Pauperes euangelizantur: non alios intelligẽs, nisi afflictos & cõterritos peccatores: quibus nihil miserius est, nec calamitosius quicquam sub coelo. Videlicet, qui per peccatum existunt sub imperio Diaboli & mortis. Et ideo horũ gratia demisit se filius Dei de coelo, factus homo, crucifixus, mortuus, & uita ac regno ęterno glorificatus, ut peccatores damnatos a peccato & morte liberaret. Et propterea uocat ad se omnes, qui hoc conscientiæ onus sentiunt: & promittit accedentibus requiem & perfectam liberationem. Quia tanta fuit calamitas, ut a solo filio Dei potuerit leuari, ac tolli: & tam miseranda, ut uicerit Dei clementiam & miserationem.

Quia igitur res necessaria est, uera contritio, huius quoq; admonendi sumus, non posse commodius doceri homines de peccato suo, & ira dei contra peccatores, quam per diuinæ legis prædicationem. Deus em̃ per suũ uerbum maxime efficax solet esse: sicut docemur Esaiæ, cap. lv. Et ut sine noticia legis scriptæ uideantur Gentes euangelium recepisse: nunquam tamen prodesse illis potuit euangelium sine cognitione & cõscientia sui peccati: nec fidem promissionis euangelij habere potuissent ueram, sine noticia peccati: ergo nec sine lege. Conscientia enim peccati uerissima lex est: & lex ipsa a deo scripta, quatenus non facit hoc principale officium suum, hoc est, non arguit, non accusat, non ostendit peccatum in conscientia, & peccatores non humiliat, non terret, nec reuincit peccatores & filios iræ esse, qualia exempla cernere est in securis hypocritis, non est lex: uidelicet, uero & principali suo usu. Etenim legis est conscientijs nostris loqui: quod quam diu non fit, lex etiam diuina, eorum respectu, qui illius doctrina nihil concutiuntur, perinde habet quasi non sit lex. Tametsi interim omnes accuset ac damnet: etiam igna-

ros, cæcos & incredulos pharisæos, qui sibi per legis doctrinam sani & integri esse, & bene habere uidētur, sed perniciosissimo errore. Veræ quomodo peccatum nostrum accuset lex, & conscientijs loquatur, infra docebitur in doctrina de cōtritione. Est enī spiritualis doctrina lex dei.

Dabimus igitur operam, in doctrina de contritione, ut breui quadā legis & Decalogi expositione ostendamus, quod nam sit omne peccatum illud, quod Deus per legem accusat, reprehendit & damnat: donec in quodam alio libro uberius de tota legis doctrina scribemus. Decalogus enim, ea pars est diuinarum legum, quæ seruit proprie ad ostensionem nostri peccati: atq; adeo summaria methodus est, omnium sententiarum totius scripturæ, quibus agitur de corruptione humanæ naturæ per peccatum: & de obedientia perfectæ iusticiæ, cuius sumus debitores coram Deo.

Legis nomine quid intelligendum.

Sed interim legis nomine intelligam, tum legem a Deo scriptam, tum quamuis aliam doctrinam, quæ certo declarat nos esse peccatores: ut est multiplex in prophetarum scriptis. Tum deniq;, uim quamcunq; aliam, quæ idem agit. Nam & per legem naturæ Deus efficax est, ostendere & declarare nobis nostrum peccatum. Proinde qui legem conscientijs loquentem non audiunt, sed habēt eam pro iustificationis doctrina, nihil possunt quam uani hypocritę esse, & permanere, quamdiu in hac pharisaica persuasione hęrent: ut & hoc malum sibi quoq; accidisse queritur ac plorat, ad Romanos vij. Paulus. Ego (inquit) uiuebam sine lege: scilicet tantus pharisæus, circuncisus octauo die, & secundum iusticiam, quæ est ex lege, uersatus sine crimine. Raro profecto exemplo: & tamen hæc de se scribit. Phil. iij. Sed ad Christum conuersus, ostendit quid sibi pharisaico errore acciderit. Quo palam est, quam impie errent, foedeq; abutantur diuina lege, qui iusticiam ex illa quærunt. In talibus enim, sicut nulla est uerax peccati cognitio: Ita nullus timor Dei in oculis eorum: multo minus uera in Deum per Iesum Christum fides: & per consequens nulla salus: sed error, impietas, peccatum, mors & condemnatio ęterna. Ac recte de istis hypocritis dicitur, quod sine lege uiuant: quæ adeo nihil in eis operatur: utcunq; sibi tribuant, quod omnia mandata legis faciant & impleant: non dissimiles isti pharisęo, qui dixit: Deus gratias ago tibi, quod non sum sicut cæteri homines, &c. Lucę xviij. Sed hæc præfati, deinceps de contritione ipsa dicturi: Itē de peccato: poenis peccati, & lege. Sed prius tamen de partibus poenitentiæ.

ELENCHVS CAPITVM
secundæ partis, libri primi de poenitentia.

pro

DE PARTIBVS POENITENTIAE.



CAP. I.

Non est res poenitentia, quæ in plures species distrahi possit: sicut apud philosophos uirtutis nomen, in suas species diuiditur. Sed partes habet, sine quibus integra esse, & consistere non potest, & nihil minus quam poenitentia Christiana esse. Ac scholastici quidem Theologi, tres eius fecerunt partes: Contritionem, confessionem, & satisfactionem. Ex quibus contritio, pars illa prima, ubi uera est, habet summos animi cruciatus: propter peccati & iræ Dei cognitionem: & quidem cum blasphemia & desperatione salutis coniunctos. Taceo nunc, quam uana, inepta & friuola, doceant scholastici theologi de cōtritione: ut quam & rationis opus, & magni meriti esse, imprudentissime comminiscuntur. Sed illud non est prętereundum, quoniam contritionem prædicant sine fide in Christum, eos simpliciter non posse docere, nisi miseram & ridiculam hypocrisim: quæ est impijssima & superbissima arrogantia de merito iusticiæ operum concepta. Quæ in quibus est, gignit tandem ipsis, & æternam desperationem. Dixi de his malis impiæ doctrinæ supra quoq;: sed horum lectorē rursus admonere duxi, q̃ firmius muniatur contra grassantem impietatem. *Contritio.*

Secunda pars poenitentiæ ponitur a scholasticis doctoribus, confessio delictorum, quæ coram priuato sacerdote fiat. Et hæc ut habeat suas quasdam commoditates, de quibus alio loco dicemus: non tamen utilis esse potest, nisi his qui hanc faciunt fiducia remissionis peccati propter Christum consequendæ, hoc est, fiducia absolutionis, seu promissionis Euangelij, qua pronunciantur iusti & uitæ æternæ hæredes, seu liberati a peccato & ęterna morte, quicunq; in filiū Dei, Iesum Christum, credūt. Testatur em̃ Euāgelij promissio, nobis peccata nostra remitti, cōdonari & ignosci, quatenus credimus in Christū propiciatorē, precium & uictimā pro nostris peccatis. Sed hanc fidē scholastici theologi nusquā docent: imo contraria illi docent, uidelicet fiduciā meriti iusticiarū nostrarū. Quare neq; piā confessionē delictorū prędicare possunt. *Confessio.*

In tertia parte numerant scholastici, satisfactionem operis: qua tribuunt iusticijs nostris, meritum remissionis, non culpę, sed poenę & omnium calamitatum, quæ delinquentibus imminent atque impendent. Neque tamen iusticijs seu operibus a Deo præceptis: sed indebitis quibusdam, ut uocant, ab hominibus traditis & præceptis. Quod quam auda- *Satisfactio.*

ctter, ignorãter & impie faciãt, ostendi nõnihil in prima prefatione huius operis. Quare relinquitur scholasticos theologos in tota poenitentię doctrina nihil sani posse docere: sed cõfusissime & impijssime omnia. Quorum nec partitionem in hoc scripto sequemur: sed in aliud reseruabimus.

Poenitẽtia cõtinet mortificationem & uiuificationẽ. Rectius partimur poenitentiam in mortificationem, & uiuificationẽ: seu in contritionem & fidem, quæ habet coniunctam externam nouitatem. Et nos sane utemur contritionis & fidei adpellatione: non modo, quia sunt nomina in scholis hodie usitatiora: uerumetiam, quia sunt aptissima ad docendum, meo sane iudicio. Satis igitur antea dixi, hoc proprium esse & primum in poenitentia, terreri & cruciari, agnito peccato in conscientia & ira Dei: in quo opere, seu uerius passione & cruce, existit uera mortificatio. Deinde, illud alterum oportere accedere, quo nobis consolatio adfertur, per promissionem Euangelij de Christo: quæ habet comitem pacem & totius uitæ nouitatem. Loquor autem de cõscientiæ pace: a qua impossibile est glorificandi Dei studium abesse: qđ cernere est in omni uita & omnibus actionibus nostris. Ideo hęc pars recte dicitur uiuificatio: quia hominem non solum liberat a peccato, terroribus & morte: uerumetiã totum renouat, uereq; efficit filium dei.

Mortificatio. Igitur mortificatio, ea ipsa contritio est, de qua dixi, quod fiat in mẽte & conscientia, per ostensionẽ & accusationem nostri peccati, & per reuelationẽ irę Dei: qua homo pauoribus in corde grauius cruciatur, quã ullis uerbis dici possit. Oportet tamen tales terrores & cruciatus intelligere, quales sunt morientium, qui iudicium Dei adpropinquare uident: & grauissime metuunt, & acerbissime oderunt: ubi est quidam inferni gustus, horror & sensus perpetuæ damnationis.

Viuificatio. Porro, uiuificatio est ipsa fides in Iesum Christum: quæ arripit promissionẽ Euangelij, de remissione peccati & uita æterna, propter Christum. Ideoque seruat hominem, ne incidat in mortem & desperationẽ: & extrahit eum ex cruciatibus terrorum in conscientiã: facitque respirare, qui in faucibus mortis erant, & gaudium atque pacem cordis operatur. Deniq; & totum hominem renouat, ut sicut filio Dei dignum est, ita uiuat. Quod est uere renasci, renouari & uiuificari, & adoptari in filium Dei: ex filio peccati, iræ & mortis.

Hæc annotare hoc loco placuit, quia horum nominum usus, mortificationis, inquam, & uiuificationis, non infrequens est apud Paulum: ut illi ipsi loci, in quibus occurrunt, melius ac rectius intelligãtur. Sunt enim, qui illa ad operum nostrorum hypocrisim torquent: prorsus contra Pauli sententiam, & cum obscuratione totius Euangelij doctrinæ.

Rursus si quibus placet, partium nominibus alijs uti, illis nihil repugno: modo quod poenitentię nomine docetur, non uariet a scripturę sententia & gloriam Christi non obscuret. Cum ergo audis poenitentiam

aliam

aliam dici legalem, & aliam euangelicam, oportebit legalem intellige re, eam quam nos uocamus contritionem. Nam legis hoc principale officium est, ostendere uidelicet peccatum, & terrere peccatores, & in desperationem salutis illos conijcere. Euangelicam scias recte dici eam, in qua ad contritionem accedit fides, pax cordis, liberatio a terroribus legis ac metu mortis, & tota nouitas Christianæ uitæ, ut antea dixi.

Pœnitentia legalis et Euangelica.

Non ergo de nominibus partium solliciti erimus, & nemo uir prudens de illis litigabit, si tamen ueritas doctrinæ ita tradatur, ut est exposita in literis sacris. Mihi contritionis nomen dixi, satis placere, cuius nũc usus est in scholis, quo & sacræ literæ frequenter utuntur, ubi de terroribus, qui oriuntur ex conscientia peccati, per legem, loquũtur: ut psal. li. Cor contritum & humiliatum Deus non despicies. Itẽ psal. cxlvi. Qui sanat contritos corde, & multis alijs locis, sed & res nominis conterendi uerbo aptissime exprimitur. Conteritur enim, quod in breuissimas quasdam minutias frangitur, destruitur & penitus corrumpitur. Sic Deus, neq; consolatur peccatores, neque confert illis uitam æternam, priusq̃ hominem destruxerit totum, auferens illi omnem spem salutis, & superbissimam illius arrogantiam in nihilum redigat: adeoq; totum ueterem hominem in puluerem. Genesis iij.

Conteri quid

Porro confessionis nomen, uocabulum est clarum & latinũ, & nihil prorsus incommodi habet. Rem autem, cui aptatur, in patientiæ doctrina, apposite declarat. Cæterum fidei nomen semper intelligi debet, de noticia & fiducia gratuitæ misericordiæ Dei, qua a peccato & æterna morte liberamur, iusticiam & uitam eternam hæreditamus, propter seruatorẽ Christum. At uocabulum satisfactionis, in doctrina pœnitentiæ, apud scholasticos theologos, rem habet nouam, inauditam, prodigiosam et incognitã literis sacris: ideoque prorsus impiã, & repudiandã. Opprimit enĩ gratiæ doctrinam, & pharisaica hominũ opera extollit supra fidem in Christum. De reliquis nominibus, quorum in hac partitione mentionem feci, prius satis dictum est.

Confessio.

Fides.

Proinde in pœnitentiæ doctrina ponimus has principales duas partes: Contritionẽ uidelicet, & fidem. Ad quas etiã reducimus, tum confessionẽ delictorꝫ, sed eã quę est iuris diuini, aut certe sine incõmoditate doctrinæ fidei recipi potest. Tum effectum illũ pœnitentiæ, quẽ uocamus externã nouitatem, siue, opera externa bona, & dignos pœnitentię fructus. Verax enim & pia confessio delictorum, a uera contritione nũquam potest abesse. Neque enim pij excusant suos errores: sed agnoscunt, fatentur & accusant ipsi, ut remissionem peccatorum consequãtur: quanquam non propter confessionem, sed propter Christum, cuius sanguine emundamur ab omni peccato, in quem credunt. Deinde, ubi uera est in Christum fides, ibi certissimum est protinus & exter-

nam nouitatem sequi, tanquã effectum, quod & si antea clarissimum effecimus, puto, in prima parte huius operis: tamen multo clarius adhuc idem efficiemus, cum per Christi gloriam scribemus tertium librum de poenitentia, et fructibus iustificatorum & poenitentiũ bonis. Satisfactionem autem pro peccato & æterna morte, siue, ut loqui solent, pro culpa & poena, ignoramus, præterquam crucem, mortem, & gloriosam resurrectionem Domini & seruatoris nostri Iesu Christi: cui sit huius nominis æterna gloria. AMEN.

Contritio & fides cohærent.

Quod uero poenitentia, homine Christiano digna, sine his essentialibus duabus partibus, quas dixi, nulla existere possit, facile probauerim: Quia sic cohærent illæ partes, contritio, inquam, & fides, ut prorsus non possint diuelli, aut diuulsæ, altera sine altera, sit aut inane & ociosum nomen, aut res perniciosa. Qui enim existimant contritionem rationis opus esse, eamq; sine fide in Christum docẽt, isti aut illudunt discentibus & nihil quam hypocrisim & simulationem prędicant: aut si forte præter doctorum opinionẽ & mentem talibus uera contritio: (cuius doctores ipsos constat ignaros esse.) contigerit, conijciunt miseros in desperationem & æternã perditionem. Non aliter sunt impostores & latrones animarum, qui fidem prędicãt sine contritione: sine Dei timore, & debita perfecta illa obedientia erga legem. Et tamen uidemus doctrinam timoris & contritionis a multis omitti: qui licet, sibi ualde Euangelici esse uidentur: cum fidei doctrina solis, qui uere conteruntur, solatio esse possit, ut quos conscientiæ onus premit, & mors æterna terret. Iuxta illud, psal. cxlvi. Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Neq; Christus alios conscientiæ onere, & metu mortis leuat. Nõ potest enim medicus esse, quam ęgrotis. Matthæi ix. Deniq; non possunt uere credere in Christum, nisi qui prius uere cognouerũt suum peccatum: & iudicium æternæ mortis, sibi debitum. Quid credant em̃, qui ne nouerunt quidem unquam sua illa mala, quę afferunt homini æternam mortem, & sola in Christum fides absorbet, & tollit omnia? Sed hypocritæ simulant omnia: contritionem sine fide, & rursus fidem, sine cõtritione. Item dilectionem & legis impletionem sine Christo, & quid non? Verum istæ impietates nihil ad nos.

Latrones animarum.

Ergo Euangelio nemo potest credere, nisi qui est primum uere contritus, hoc est, qui ad peccati sui & iræ Dei noticiam, non simpliciter speculatiuam, sed practicam quoq; perductus est. Cognitio autem peccati & iræ Dei, non habet locum in Christiana poenitentia, sine fide, sed est blasphemia, desperatio & mors æterna. Aut certe affert desperationem & mortem, uidelicet, blasphemis contra Deum & legem, nisi accedat fides, quæ blasphemos, & desperabundos, sententia mortis in se acceptam, rursus eripiat, & extrahat ex morte damnationis, Tam est necessaria

ria in contrito, remissi peccati fides: quæ remissio contingit gratis per misericordiam, propter Christum.

Necesse est ergo in sacris literis eam poenitentiam doceri, qua homo in peccati sui & iræ Dei cognitionem ueram primo omnium perducatur: qua incipit dolere, propter Deum offensum, ac detestari suum peccatum. Sic loquor de piorum contritione: quatenus incipiūt sanari & melius habere. Deinde, qua rursus consolationem capiat, propter reconciliatum Deum: & spem iusticiæ & ęternæ uitæ, propositam atq; donatā in Christo Iesu. Nihil enim poenitentia aliud est, quàm corde conteri & dolere, propter peccatum & peccati poenas: maxime autem propter Deum offensum, quem nolis ita offensum esse. Ad hęc consolationem accipere, per promissionem Euangelij de Christo: quam sequi peccati fugā & obedientiā erga legem, & totius uitæ nouitatē, satis antea & uere dixi.

Sacrilega hypocrisis, in qua nulla est, neque peccati cognitio, neq; remissi peccati fides, non potest ullum bonum opus pręstare, quod iusticiæ nomine sit acceptum coram Deo: etiamsi conando & currendo multum sudet atq; laboret. Sicut testatur Paulus Roma. ix. Israel sectando legem iusticiæ, in legem iusticiæ nō peruenit. Quare? Quia non ex fide: sed quasi ex operibus. Et ibidem capite x. Ignorantes iusticiam dei, & suam quærentes statuere, iusticiæ dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus, ad iusticiam omni credēti. In hac uana & impia hypocrisi fuit: qui deum non timens, & homines contemnens, ita precatus est, & deo superbissime locutus: Deus gratias ago tibi, quod non sum sicut cæteri homines. Lucæ xviij.

Sic est sacrilega hypocrisis doctrina scholasticorum theologorum de poenitentia & iustificatione. Tribuunt enim pharisaico errore meritis operum nostrorū debitum remissionis peccati, iusticiæ & uitæ æternæ: & donum gratię negant esse gratuitum. Sic est regnum, uel potius tyrannis, Romani Pontificis, scelesta & maledicta hypocrisis. Quid habet enim cum Euangelio Christi commune? cū Christum adeo neget, ut non agnoscat, non recipiat, peccata nostra gratis remitti nobis, & ignosci propter Christum. Quinetiam hanc Euangelij sanctissimam doctrinam pro pestilentissima hæresi damnat. Deinde transfert meritum remissionis peccati, in obseruationem aliquot frigidissimarum traditionum: & transgressoribus istarum, de quarum plerisque dubitare possis, stultæ sint magis an impiæ, comminatur mortis ęternæ poenas: Item iram & indignationem omnipotentis: ut blasphemat. Deniq; sic sunt Christianis scandalum, & remora pietatis, sectæ monachorum. Omnes enim operibus fictæ & simulatę pietatis tribuūt meritum iusticię & salutis. Nā et tam insolens superbia in monachis est, ut monachatū ęqua

Scholasticorum doctrina de poenitentia sacrilega hypocrisis.

re baptismo, qui est Christianorum a Christo, nihil uereantur, nec eru bescant. Oportet enim de pestibus istis, quę prope ad internecionē perdi derunt Ecclesiam, per occasionem dicere, ut cognoscantur, & cognitae caueātur, quas Dominus Iesus uelit delere, & funditus extirpare. Sed hęc de partibus poenitentię hactenus, nunc de contritione seorsim.

DE VERA CONTRITIONE.

CAP. II.

DE Contritione, quam docent Scholastici Theologi, saepe mentionem fecimus. Oportet enim nosse, pro conseruanda puritate Christianę doctrinę, contra persuasiones erroris, quam sit friuolum, ponere in contritione dolorē, uoluntarie pro peccatis assumptum. Ita enim ex re seria, horribili, amara ac tristi, & quam natura plusquam auersamur & fugimus, faciunt lepidum ac suauem rationis ludum. Nec tribuunt solum contritionis nomen, huic ficto dolori: & perfectionem doloris isti pharisaicę contritioni, uerum etiam meritum gratię, gratum facientis, hoc est, acceptantis & adprobantis peccatorem, & conferentis illi spiritum dilectionis, quo accepto ille quidem mereatur sibi de condigno uitam aeternam.

Contritio scholasticis est simulatus dolor.

Ita ergo sepeliunt Christum ac stulte simul & impie docent, quod peccata nobis remittantur propter contritionē, quemadmodū alijs operibus legis. Et quod dilectionē his operibus mereamur, qua impetrata, donum uitę aeternę, de condigno per alia legis opera accipiamus. Cur igitur adoramus Christum, & nō renunciamus eius nomini, quando saluationis gloriā adeo in manibus nostris habemus? O sophistę, maledicat cogitationibus uestris Deus: quibus Christi glorię adeo resistitis. Impossibile est contritionem sine fide gratuitę remissionis peccati aliud afferre, quā desperationē & mortē: deinde, affirmare, quod nō peccent homines, facientes precepta Dei sine gratia, nedum cum hęc fiunt opinione merendi iusticiā & saluationē, falsum est & contumeliosum. Stulti & uani, hypocrisim iactatis esse iusticiā, & eam meritoriā uitę aeternę.

Nondum attingo, quod corda perterrefacta ex doctrina legis, non possint diligere deum, & quod uanissimum est, fingere dilectionem dei & legis accipi posse, sine fide gratuitae remissionis peccati, propter Christum. Nam horū dogmatum sunt autores scholastici Theologi, quę alij loco obseruanda duxi. Vide ergo quale sit hoc scholasticorum dogma, fingunt in contritione esse dolorem, non solum quem gignit metus poenarum, uerum etiam charitas & dilectio Dei, cum de fide, qua adprehendimus remissionem peccati gratuitam, nihil usquam dicant. Neque possint de ea dicere, quia remissionem peccati negant gratuitam esse, & contendunt, quod per meritum operum nostrorum contingat. Hac namque pharisaica persuasione ubiq; impediuntur, ne ueritatem glorię Christi cernant.

Nos

Nos ergo contritionem intelligamus, non humana ratione simulatum dolorem, sed ueros terrores, quos Deus incutit, quando conscientijs nostris loquitur, ac retegit illis peccatum & reuelat: Item sententiam illam maledictionis æternæ, quæ peccatoribus debetur, ut de contritione hactenus sæpe dixi. Est autem dolor ille omnino maior, quam ab infirma natura sine desperatione ferri ac sustineri posset, nisi tandẽ illi subueniret per gratiam a Deo. Res tota longe est supra & extra omnem uim humanæ rationis. Oportet enim in contritione intelligere, non speculatiuos & simulatos dolores quales scholastici docent: sed ueros, quales sunt in iudicio conscientiæ, comparato ad iram Dei, & ad sententiã maledictionis, propter peccatum iam acceptam. Quales terrores fuerunt in dolore Cain, Dauid, & aliorũ. Ac certum est, quod istos dolores: ut antea etiam dictum est, omnis omnium hominũ natura refugit & supra modum horret. Solus etiam Deus, per legis doctrinam excitat illos: uel inuitis nobis & repugnantibus, quod infra per quędam exempla demõstrabo. Nemo enim potest uelle cognoscere & audire hanc accusationẽ peccati sui, quo sine spe ueniæ mereatur æternam condẽnationem. Nemo potest uolens scire & assentiri, quod propter peccatum suum, merito sit filius iræ & maledictionis. Tantum abest, ut per hunc inuoluntarium dolorem, & plusquam uiolentum, plenum odij & blasphemiæ, contra Deum & legem, gratiam & remissionem peccati mereatur.

Hæc ego crasse fortassis, & sæpe ac uerbose inculco, quæ alius melius & aptius dicere posset. Sed mecum bene agitur, si fideliter & pie doceã, uere ac firme, quæ nec a portis inferorum conuelli possint. Rẽ eandem sępe inculco, non subtiliter, nec prohibeo, si quis meliora uolet scribere. Atq; utinam uerax studium glorificandi Christum omnibus inesset, ut tandẽ omnes linguæ confiterentur Deo, & gloriã illi dicerent amplissimã, per Iesum. Sed his tẽporibus, quid nisi obscuratur gloria Christi & opprimitur, idq; a magnis, sapiẽtibus et doctis: ut necesse sit infantes, rudes atq; indoctos loq, qui si taceant, lapides clamabũt. Sed ad rẽ.

Facile est hypocritis fingere, ut alia omnia, sic etiam quod possint sibi formare contritionem, odiant peccatum, & Deum super omnia diligãt. Sed nihilominus amant peccatum, & desideria eius explere cupiunt, & odium Dei ac legis retinent. Fingunt se mereri dilectionem, cum perpetuo sint expertes dilectionis, quicquid mereantur. Experientia enim notissimum est omnibus hominibus, quod præcepta legis sine spiritu sancto, qui datur propter Christum, nemo possit amare: quin potius omnes rapit ac trahit immodicũ desideriũ peccati, & immodica cupiditas cõtra legẽ. Nullũ enim prorsus mandatũ est, cui homo, peculiari cõcupiscẽtia carnis nõ aduersetur. Ex quo manifestũ est, manere odiũ Dei & legis in hoie: quoad per promissionis euãgelij fidẽ, ab hac blasphemia liberetur.

Proinde, sic potius res cõtritionis habet. Quando Deus aperit nobis oculos mentis, ut uideamus, quantũ sit & quale, habitans in nobis peccatum, quanta immundicia in natura, a qua nemo abesse potest, ut maxime uellet, adeoq́, quãtę sint externę transgressiones, si quas adiecimus, quarum rarissimi uacãt, nisi infantes: quanta deniq́ ira & iudicium dei contra peccatores, siquidem ęternis maledictionibus mortis illos affligit: Gal. iij. tunc ruimus in murmura & blasphemias, non iam occultas, quas hypocritę uel ignorantes habẽt, sed in aperta odia contra Deũ. Decertant enim, iniusticiam esse apud Deum, si iudicentur, qui ipsi suis uiribus non ualeant explicare se de peccato, imo bene & fortiter conando per uires rationis, ut iusticiã saluationis mereantur, magis magisq́ implicent. Nam ut istę blasphemię hęreant in natura, disces cõscientia teste, & teste Diatribe Erasmi, & Paulo ad Roma. ix.

Quapropter in Contritione adeo nullum est gratię meritum, ut hominem magis alienet a gratia, si pietatem eius scilicet, hoc est, ineffabilem blasphemiam, per se inspicias. Quare recte nunquam dici potest caussa saluationis, aut caussa sine qua nõ, si de merito saluationis loquamur. Hæc em̃ contingit gratis, propter Christũ, his qui in gratuitã promissionem credunt. Quanquam necessaria sit contritio propter nos humiliandos, ac declarandum & accusandum nostrum peccatum. Quam Deus ex pessima opinione de Deo, quę in illa regnat, in optimam mutat, ut doleat homini peccatori, sic esse eius ingenium & naturam, uidelicet, maliciosam & impiã, ac fugiat omnibus modis peccatũ. Verũ, hoc nõ sine gratia & fide in Christũ. Sic aũt cõtritio est caussa, sine qua non, propter nouitatẽ nostrã, & obedientiã, quã Deo debemus, sed nullum gratię meritũ operis nostri inde iactari potest.

Caussa, sine qua non.

In summa, hoc dolet homini, quatenus sibi relictus est, & sine gratię spiritu agitur, quod desideria carnis impune nõ potest explere. Hic rursus dico, hoc per experientiã omnibus notissimũ esse. Hypocritę aũt contritioni peculiarem dignitatẽ tribuunt, & magni meriti esse fabulanť, quo gratiã sibi quis mereať: quanquã de congruo, & tamen ex pacto. Quia Deus dicit, conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Nihil enim impossibile uiribus suis esse ducunt, & nihil discernũt, inter credentes, qui audiunt uerbum gratię & a spiritu sancto gubernantur, & incredulos, qui auersi a uerbo gratię, & ad se conuersi, omnia uiribus suis implere uolunt, ac sui sibi saluatores esse.

Sed hoc insigniter friuolum est ac stultum, quod doctrinam seminant Sophistæ, cuius ueritatem nullo exemplo demonstrare possunt. Nempe, suarũ pharisaicarũ contritionũ, exauditarũ a Deo. Sed nos abũdamus cõtrarijs exẽplis, & alijs q̃ plurimis, quæ testanť q̃ per solam

gratuitam

gratuitam gratiam saluamur a peccato & a morte, propter Christum, si in eum credimus. Oportet enim ab hac fide, omnem conditionem meriti operum nostrorum, procul semouere & penitus excludere.

Res est non uirium naturæ, sed diuini operis, uere conteri, siue hoc in bonum, siue in malum fiat, hoc est, siue contingat pium conteri seu electum, ut ad Deum conuertatur: siue impium, ut in pœnam peccati conijciatur in desperationem. Caute igitur obseruandum est, ne quē fallant pharisaicæ hypocrises. Nam & in gentibus nō fuerunt inferiores carnales res iusticiæ, quam esse possunt hoc tempore in illis, qui docentur formare contritionem, nescio quibus imaginationibus speculatiuis, & illa mereri gratiam, tum alia legis opera præstare, fiducia remissionis peccati, & uitæ æternę a Deo. Sed quid obsecro uariant isti a perfidis Iudæis, & ab opinionibus Turcarum?

Admirandum autem sane est, in diuino gratię opere, quod omnem iniuriam & contumeliam qua afficitur a nobis, etiam ignoscit nobis, & ex tantis malis extrahit ad suæ gratię cognitionem & fidem, ne ęternum pereamus. Ita enim gratiam cōfert pro peccatis & demeritis, hoc est, peccatores & immeritos, adeoq; multis modis indignos afficit suę gratiæ clementia & benignitate. Idq; tam charo precio, uidelicet, per unigeniti filij mortem. Ita commendans nobis, suam erga nos misericordiam & dilectionem. Ioannis iij. Roman. v.

Quid multis? Contritionibus nostris non debemus meritum gratię arrogare, nec diuina lege ita uti, ne dicam abuti, ut per eius opera pręcepta, utcunq; pręstita ac facta a nobis, iusticiam nobis tribuamus, ne dū hanc meritoriā remissionis peccati & uitæ æternæ fingamus: sed ut peccatores nos esse, ex illius doctrina discamus, qui sine gratuita remissione peccati, iusti & salui esse coram Deo nequeamus. Quod quam necessarium sit & uerum, subinde clarius aperiemus.

Huc ergo in primis facit disputatio Pauli. Roma. vij. de legis germano & principali usu, quam hic per occasionē breuiter percurramus. Verba Pauli sunt hæc: Peccatum non cognoui, nisi per legem. Nā concupiscentiam nesciebam (uidelicet, hanc esse peccatum damnans coram Deo. Præmisit enim, peccatum non cognoui, nisi per legem: & peccato certe damnamur, iuxta illud: Aculeus mortis peccatum) nisi lex diceret: Non concupisces. At sophistæ cōcupiscentiam negant esse peccatum: contra tam apertum textum scripturæ, sed infirmitatem esse confitētur. Sed esto, sit infirmitas, uerum talis, quæ habentem condemnet, nisi ab hac liberetur, gratuita ignoscentia propter Christum. Non enim imputatur credenti in dānabile peccatum: a quibus etiā expugnatur, ne regnet.

Impietas est ergo, uiciū concupiscentię extenuare: tam furens malū & indomabile in homine. Nā etiamsi comprimi possit nō tamē extirpari.

In sanctis enim quotidie aliquid decedit, de concupiscentia: uerum tota non potest aboleri, quam diu uiuimus. Semper adeo exhibet molestias pijs, quanquam illi hoc curent, ne sibi imperet concupiscentia. Sed age, aboleant sophistæ concupiscentiam, hunc tam contemptibilem morbum: tollãt auariciam, ambitionem, æmulationem, iram, odium, inuidentiam, amorē sui, huius seculi curam, & huiusmodi alias cõcupiscentiæ species, & laudabimus eos, quin ipsi se nobis exhibeant pro uiuis sanctis adorandos, & gratiæ Iesu Christi ualedicant, denique recusent spiritus sancti auxilium & operam, pro uincēdo peccato. Sed pij interim non ignorant quam sit molestissimum uicium in carne concupiscentia: quod hominem nunquam deserit in totum, & semper reum efficit, nisi quatenus fides gratiæ illum excusat. Nec denique comprimi potest, nisi ab his qui a spiritu sancto gubernantur.

Sed ad Paulum redeo, qui docet sane, contra omnium sophistarum spem & opinionem, lege diuina non solum ostendi nobis peccatum nostrum, & accusari: uerum etiam augeri, & conscientias peccatorum horribiliter cruciari per legem. Sic enim ait; Occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam, hoc est, quælibet uicia carnalis concupiscentiæ in me accendit, ut etiam sentirem adesse mihi, quæ prius nesciebam. Auget enim peccatum lex, quia prohibet, a quibus natura non possumus abesse: quinetiam ea, quibus immodice delectamur & a quibus arceri nolumus. Denique terret conscientias, & comminatur mortem, atque efficit, ut fugiamus iram & iudiciū Dei: adeoque Deo & legi irascamur. Sic uero lex nostro uicio est uirtus peccati: nec potest alium effectum, cum incidit in carnalem naturam, habere. Itaque cõparati ad diuinam legem, natura nostra incorrigibiles sumus, ut intelligas neminem iustificari, seu liberari a peccato & a morte posse, nisi per misericordiam & gratuitam remissionem peccati.

Sequitur apud Paulum: sine lege enim, hoc est, lege spiritualiter, a me carnali homine, nondum intellecta, quod uidelicet damnet cordis immundiciem & summam puritatem requirat, tam internam, quam externam, ut eam praestemus toto corde & animo, in omnibus cogitationibus, dictis & factis. Hoc est enim sine lege uiuere, nescire legis spiritualis usum, & hypocritarum in morem secure agere, & fingere, quod legi per externa facta satisfacias: quæ est sanctissima & castissima doctrina, & sanctissimos & castissimos cordis motus a nobis requirit. Cur enim non exigeret a nobis debitū, qui nostro uicio immundi sumus, & rei condemnationis: sed hypocritæ sibi omnia tribuunt, & tam sunt securi, mali conciliati homines, ut qui omnia legis mandata, ad unguem & perfectissime faciãt. Sicuti istius erroris accusantur & damnantur, Lu. xviij.

Peccatum erat mortuum. Eatenus mortuum quatenus non sentiebatur

tur carnali naturę adesse. Sic est enim apud eos, qui hęc grauia peccata cordis, ut est incredulitas, presumptio, desperatio, ira contra legem, uacare fide, timore, spe, dilectione, esse auarum, iracundum, impatiētem & uarie cupidum contra omnia legis mandata, non habent pro peccato. Hos ergo non terret lex, nedum occidit: quo nomine non est lex. Porro isti hypocritę interim fingunt se nullum peccatum habere, quod est peccatum mortuum esse, & quasi sepultum in carnali natura. Deinde in talibus peccatum non sęuit tantopere contra legem: uidelicet, impatientia, odio & similibus blasphemijs: concupiscentia per legem nondū irritata & accensa. Sed nō ideo non est peccatū damnans. Deus enim quamuis immundiciem accusat, etiam penitissime latētem: a qua antea repurgari nos oportet, quā salutionem acquiramus. Hinc enim precatur Propheta: Delicta quis intelligit: ab occultis meis munda me, & ab alienis parce seruo tuo.

Ego autem uiuebam sine lege aliquando. Nempe, cum adhuc impie pharisęus essem, iusticia operum legis tumens & inflatus: & nullā dum ueram peccati noticiam habens. Tunc enim uiuebam sine lege, hoc est, sine conscientia peccati. Proinde hic uides quam errent pernitiose, qui legem pro iustificationis doctrina habēt: de quo plura uideas: Phil. iij. ubi Paulus hunc pharisaicum errorem, in semetipso reprehendit & damnat. Defendit enim hypocrisim, pro perfecta pietate.

Sed cum uenisset mandatum, hoc est, cum lex spiritualis doctrina intellecta a me esset: & reuelare mihi peccatum meum, contra opinionem pharisęi, coepisset. Nempe, cum uiderem, legem diuinam non esse huiusmodi doctrinā, quę a qbuslibet pręstari possit: imo, cui nulli prorsus homines satisfacere queant. Nunquam enim perfecte lex potest a nobis impleri: etiam iustificatis fide per Christum, & spiritu uiuentibus.

Peccatum reuixit: retectum uidelicet, & irritatum atq; accensum in carnali natura. Quod prius latuit in natura hypocrisi operum tectum. Cæterum in hac ostensione peccati, concupiscentia accendebatur, odio & impatientia contra legem: ubi non potui opera mea ulterius pro iusticia defendere: sed coactus fui desperare: ut sequitur.

Ego uero mortuus sum. Accepta mortis, & æternę maledictionis sentētia, per legem, quasi diceret, horribiliter contritus sum, penitus cōfractus et perditus: qui mihi uidebar integer et sanus esse, nulla curatione, nullo medico, opus habere: quinetiam iusticijs meis deberi æternam uitam.

Et inuentum est mandatum, quod erat ad uitam: uerbum enim uitæ est, ei qui facit. Leuit. xviij. Gal. iij. Luc. x. Quanquam nemo est, in hac carnali natura, qui faciat. Ideo alieno iustificatore et impletore legis opus habemus, uidelicet, Christo Iesu, qui nos a maledictionibus

legis redem[illegible] Gala. iij. Quare & facit legem quisq; tantum, quantum credit in Christum, legis impletor est. Roma. iij. Finis enim legis Christus, ad iusticiam omni credenti.

Hoc esse ad mortem. Siquidem naturae, seu peccati improbitas, intime haerentis in natura, legis conatum elusit. Sic autem dicimur lege occidi, propter peccatum quod haeret in natura: cui lex non potest mederi, sed sola gratia per Christū. Hęc uero tota doctrina, de peccato, lege & gratia, nunq̄ satis intelligetur a nobis, nisi in probatione & agone conscientiae. Nam philosophicae speculationes, fere sunt ociosae & uanae: sicut uidemus, Deum & legem contemni a plerisq; qui haec probe cognouerūt, sed speculatiua tantū noticia & cognitione, nō interna cordis.

Cum uero omnes homines natura nostra tales simus, quales hic prędicat Paulus, quis recte affirmare potest, hominem opere naturalis contritionis se fauori diuino praeparare: & per mortuas iusticias carnis gratiam & peccati remissionem mereri? Nam accusari iusticias rationis & accipere sententiam mortis ex lege, non est praeparare se diuino fauori: nec aeternam saluationem mereri. Nisi peccatum damnans, est summa iusticia, scilicet, & pietas in Deum: & mors aeternę maledictionis, est aeterna uita. Quare fiducia carnalis iusticię magis noxia est, quam dici uel credi possit. Rursus quorum Deus peccata retegit, & facit de iusticijs carnis desperare, hi sunt in primo saluationis gradu, quatenus inuocāt pro gratia Deum. Nam talibus adest per Christum: & propter Christum ignoscit peccatis eorū, ac donat eis filios Dei fieri & hęredes ęternę uitę.

Haec de Contritione hactenus, & illius necessitate, unde oriatur, & quis efficiat eam in nobis, denicq; & quid ipsa operetur. Nā uerbum Dei, quod arguit nostra peccata, nempe, lex, est nobis contritionis caussa: si tn̄ Deus per legem nos doceat, & cordibus nostris loquatur. Neque enim sufficit literae noticia. Verbum enim Dei, nisi excitatū in nobis per spiritū sanctum, non magis efficax est, quā ulla alia rationis doctrina. Atq; inde est, quia Deus non omnibus loquitur, quod fere contemni uidemus diuinae legis praedicationem. Sed quando iudicium dei cordibus reuelatur, tunc discimus quam sit res horribilis peccatū. Nam & peccatores protinus de saluatione coguntur desperare. Eius primo uidere est exemplum in Adam. In quo si liberum arbitrium post peccatum ualuisset, non indiguisset post legem prius a deo acceptam, noua alia & peculari correptione, qua necesse fuit deū cordi ipsius loqui: sed cōparato peccato suo ad iudicij diuini sententiā coactus fuisset desperare.

Sed quid fit? Insignis dei contemptor, insigniter securus permanet in duricia cordis sui: neq; quicquam requirit, quod deum offendit, & stupidus adeo est, ut malū suum nullo pacto uideat, aut queat uidere: etiamsi legis & cōminationū illius non sit ignarus. Imo ne accusatus quidem

dem a Deo, uoluit peccatũ suum agnoscere &, confiteri se reum coram Deo esse, Sed potius excusare conatus est: & culpam in creatorem ipsum reijcere, potius q̃ in suam impietatem. Mulier (inquiens) quam dedisti mihi sociã, dedit mihi de ligno, & comedi. Nec dissimiliter mulier transtulit a se peccatũ & iniquitatẽ suã: culpã transgressionis reijciẽs in serpentẽ, hoc est, in creatorẽ serpentis, deum. Nam causa principalis peccati, ab utrisq; regerebat̃ in deum. Adam igit̃, ut mulieris exemplũ taceã, nisi alio nouo gratiæ beneficio, de peccato & iniquitate sua conuictus fuisset, quid nisi cõsenuisset in sua impietate: & mortuus in peccato filius gehennę & ęternæ dãnationis permansisset: deniq; ad cõsimilem modum oĩs posteritas cũ eo: sed timuit uocẽ dei, cũ secũdo ad eũ loqueret̃, & coargueret eius peccatũ: iam uiua & efficaci uoce spiritus, nõ mortua litera legis. Vix igitur humiliatus est coram deo, & uix contritus. Per legem enim, quam acceperat, & illius admonitus etiam, non potuit timere deũ. Cur hoc: quia per peccatum & inobedientiã, non erat amplius sui compos & in perfecta sui potestate: sed erat seruus peccati & sub imperio Diaboli.

Non dissimile exemplum est in historia Cain, Genesis iiij. nisi quod maius argumentum impietatis humanæ in illa propositum est: quę etiam efficit plerosque desperare de gratia. Sic enim est mancipium miserrimum Diaboli homo, propter peccatum. Nec opus habet dilucidiore expositione exemplum Cain, quam iam exhibita est. Cæterum Dauidis exemplum nullo modo licet tacere: nempe, regis maximi, & sapientissimi Prophetæ, qui utroq; officio pastor erat sui populi: sed lapsus in peccatum, factus adulter & parricida, nihil moratus est se in tantis facinoribus inescatum a Diabolo fuisse: & peccatum neq; agnoscere, neq; timere deum potuit. Nihil iuuit tunc hominem lumẽ naturale rationis, nec profuit lex scripta, & liberum arbitrium in stercore iacuit. Proinde opus habuit nouo gratiæ beneficio admoneri scelerum suorum, & corripi per prophetam Nathan: & per gratuitam condonationem delictorꝫ, in pristinum iusticiæ statum restitui. ij Regum xi. & xij.

Adde Reges Israel plerosque, & ex regibus Iuda insigniter malum, scelerosum & impium Manassen, & consydera, quam non agnouerint sua peccata, neque deum timuerint. Etsi sapientes uiri essent, & liberũ arbitrium tam pulchrum & expeditum haberent, quam Papistę: neque ignari diuinę legis essent, si literam spectes. Et dic cæcitatis eorum & impietatis caussas: cum præsertim mandatis diuini cultus quasi dedita opera resisterent: & sanctos prophetas, ueritatis & fidei doctores, adeoque correctores corruptissimorum morum, sine clementia trucidarent, & sanguinem alium innoxium multum nimis effunderent: & horrendis abominationibus Idolatriæ omnia replerẽt. Nec in his omnibus & tan

tis malis ulla conscienc*i*a peccati tangebantur. Sed unde hæc impietas & duricia cordis in istis, si tanta est uis rationis & liberi arbitrij, quantã esse prædicant Theologi rationis, tam uidentes quę loquuntur, quam uiderunt isti reges quæ operati sunt, quos malicia sui ingenij & naturæ, & tyrannis Diaboli excęcarat.

Pharisæorum obstinatia.

Sed accedamus etiam ad ea exempla, quę relata sunt in literis Noui testamenti. Quid est tam cæcum, audax, improbum, incorrigibile, durissimę ceruicis, furiosum, obstinacis cordis & contemnens dei, atque quod refertur de impietate pharisæorum, qui tamen scientia scripturarum, & sanctimonia uitę, spectabiles uiri erant in reliquo populo Iudęorum? Nullis signis temporum, nec prophetarum oraculis, neq; Ioanne & Christo ipso doctoribus, persuaderi potuerunt, ut pœnitentiam agerent & crederent Euangelio. Sed omnino tales se exhibuerunt, quales hoc tempore Papistæ, ad Euangelij prędicationem.

Cognitio peccati per solã literam

Caussa erat, quia peccatum suum per solam literam cognouerunt, qualis est noticia peccati, in his qui furantur, & latrocinia exercent, siue adulteria committunt, sine tamẽ conscientia peccati. Quanquam magna pars pharisæorum, ne sic quidem agnouit suum peccatum, uerum etiam, pro iusticia defendit, ueritati Euangelij & Christo contradicere. Sed esto, ut in quibusdam fuerit noticia sui peccati secundum literam, tamen eo modo iudicia Dei facile contemni possunt, quæ alioqui impossibile est non uehementer reuereri. Sicut habemus exemplum in Iuda, qui prodidit Christum. Primum enim omnes admonitiones Christi cõtempsit: sed postea cum loqui illi cœpisset deus in cor, & peccatum reuelare, ex onere peccati in conscientia, & per desperationem salutis, ipse uitam abrupit suam. Tam est importabile, dei iudicium contra peccatores, conscientijs reuelatum, nisi promissione Euangelij rursus erigamur, & a desperatione seruemur.

Iudas

Paulus

Quorsum promouit Paulus, adhuc pharisæus per iusticias legis? Sed peccatum ille suum adeo non agnouit, ut pharisaismum pro summa pietate defenderet, & illius nomine Ecclesiam Dei persequeretur: non minore ęmulatione, quam nunc fit a Papistis: si tamen illi serio defendunt iusticias rationis, & nõ magis suas dignitates, auariciam, & glorias ambitiosas. Certe Christi gloriã, & Ecclesię salutẽ, non quęrũt.

Petrus

Deniq; quam fuit stupidus Petrus in agnitione sui erroris & peccati? Nisi enim admonitus fuisset a gallo & Christo inspectore, conuertente cor, non resipuisset. Ergo his omnibus exemplis docemur, quod in uera contritione opus habemus diuina potentia & gratia, ad reuelationem & noticiam nostri peccati: neq; tamen seruari hominem per contritionem, & timorem iudiciorum dei, sed perire, nisi per gratiam Iesu Christi restituatur.

Quem

Quem non mouent uulgi exempla, huius nostri temporis, ut principes, Episcopos & Monachos taceam. Est enim in toto hominum genere, mirabilis contemptus Dei, & ignorantia sui peccati, & uiuunt sine timore, nec magnifaciunt admodum gratię reuelationem, quae contingit propter Christum.

Omnino igitur ignorant peccatum, & uim uerę contritionis, qui existimant illam uiribus rationis parari, aut non maiorem esse, quā possit sustinere eam homo, absq; desperatione. Nisi illi succurrat gratię consolatio, quę perterrefactam mentem rursus erigat, & promissione remissionis peccati & uitae aeternę gratuita eripiat ex morte.

Porro, ex iam dictis exemplis illud quoq; discere oportebit, quod ueram contritionem pij cum impijs eandem habent, & in nullo dissimilem. Quare consequi remissionem peccatorum per eam nemo potest. Hoc solo discrimen est, quod Deus in contritione suis adest, neq; sinit illos desperare: sed per promissionis Euāgelij uerbū consolatur. Quo uno accipiunt remissionem peccati, iusticiam & aeternam uitam, quatenus in hanc gratuitam promissionis gratiam credunt, quae oblata est propter Christum. Cęterum impios non consolatur, sed sinit perire.

Vera contritio pijs cum impijs eadem est, sed nō consolatio.

In hunc modum ipsum Adā & Dauid consolatus est Deus, per suę gratiae promissionem: atq; ipsius etiam Manasse preces exaudiuit, iam conuersi ad gratiae fidem, nec aliter Petrum & Paulum adiuuit, quam per suae gratuitae gratiae donationem. Nec unquam ullum hominem aliter est saluaturus. Cain autem & proditorem Iudam permisit desperare. Et Cain quidem suis terroribus & tremoribus, ac Iudas suo calamitoso uitę exitu, satis nos docuerunt, quam sit impar imbecillis natura, deprehensa in peccato, stare coram iudicio Dei, & sententiam damnationis audire. Quare non attinet multum disputare de exemplis regum Israel & pharisęorum, aut horū similium. Nam satis liquet, quod quibus nulla peculiaris gratia, remittens peccatum, & promittens ęternam saluationem, facta est, eos per reuelatum peccatum & iram Dei abijci in profundum desperationis & aeternę mortis.

Diuersi effectus in uera contritione.

Sunt ergo diuersi effectus in uera cōtritione. Nam ea uis, quę ostendit cordibus nostris magnitudinem peccati & irā Dei, accendit in alijs gratiae sitim, ut dicant, Deus propitius esto nobis peccatoribus. Quemadmodum & Dauid precatus est, comprehensus in peccato, & ad gratiae fidem conuersus: psal. l. Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Item: Auerte faciem tuam a peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. Et psal. cxliij. Et ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item cxxix. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est, ut timearis. Rursus in alijs, in quibus uer-

bum gratiæ non est efficax, contritio gignit odium Dei & desperationem. Ex quo uidere est, quales sint doctores, qui in pœnitentiæ prędicatione, docent contritionem, sine fide, gratiæ per Christum. Quanquam isti nec ueram contritionem doceant: sed meram simulationem eius & uanitatem.

Pij in contritione peccata sua ex animo odiunt.

Illud præterea solis pijs accidit in uera contritione: quod peccatum suum ex animo odiunt, ac dolet eis quod Deum offenderint: eoque quoad fieri potest, uitant deinceps & fugiunt peccatum. Impij autem, suis artibus fingentes contritionem, non odiunt peccatum uero odio: sed mallent cupiditatibus suis inseruire. Neque dolent, quod Deum offenderint: sed pœnas metuunt, & Deum atque legem oderunt. Nec ullum uerax & serium studiũ bonorum operum, in istis ea caussa, potest regnare: qui omnia quæ faciunt, non Dei, sed sui amore operantur.

Contritio durat in pijs.

Neque perficitur unico momento uerax contritio: sed durat in fidelibus. Quia ut semper peccatum in hac carnali natura habemus: ita semper in illo timore retinemur, qui est ueræ contritionis. Licet mitigetur, ac sanetur subinde, non tamen subito expellitur totus. Tam enim contritio quam fides subinde perficiuntur: ne quis nimium displiceat sibi, qui legis terrores adhuc sentit: & nondum est perfectus in fide.

Potest ex his intelligi, quã fœdas hypocrises doceant, qui tribuunt operi contritionis meritũ remissionis peccati: simulq́ hanc hominis uirtute posse parari. Contritio est enim fides, qua credimus uerbo diuinæ legis, reuelanti nobis cum nostrum peccatum, tum debitam peccatis nostris iram & maledictionem. Et hanc maximam & tristissimã rem, homo per industriam suam inuenire aut assequi posset, siue uellet. Nihil æque fugit & auersatur: reuelatam, nunquam sustinet sine desperatione. Nisi Euangelij consolatione, ut sępe dixi, seruetur. Quare sine huius fide nunquam utilis esse posset: imo nunquam non perniciosa. Et quomodo sola gratiam, aut remissionem peccati mereri posset? Ad contritionem autem non aliter opus est operatione spiritus sancti, quam ad alias Christianas uirtutes: in quibus efficiendis q̃d posset caro nostra, serua peccati & Diaboli? Videas igitur alios terreri lege, cuius prędicatione alij nec quicq̃ permouentur: quia impediuntur a peccato & Diabolo. In summa, horrenda imago contritionis est. Nã fide euangelij ignorata, abijcit hominem in desperationem, atq; æternam mortem.

de pec-

DE PECCATO, CVIVS PERFECTA COGNITIONE OPVS EST HOMINI pro efficienda in illo uera animi contritione.

PRædictis de contritione adijciendium est, Quod nam sit omne peccatum illud, cuius perfecta cognitione opus est homini, pro efficiẽda in illo, uera animi contritione. Oportet enim longe aliter de peccato sentire ac iudicare, quam aut ratio & captus naturalis: aut in theologia sua scholastici doctores. Ratio enim de internis uicijs impij cordis nihil te docere potest: & scholastici theologi, quanquam tribuunt homini concupiscentiam non mortificatam a spiritu sancto, huius uicium tamen extenuant, & peccatum esse negant. Adpellant enim infirmitatem: & faciunt rem mediam, quæ non efficiat hominem deteriorem. Deinde tribuunt homini, quod suæ naturæ uiribus possit concupiscentiam domare, uincere & perfectissime obedire legi Dei, diligere Deum super omnia, hoc est, sine peccato esse. *CAP. III.* *Scholastici cõcupiscentiam negant esse peccatum.*

Vt igitur eas pestes impiæ doctrinæ caueamus omnes, statuere oportet, peccatum de quo in sacris literis docemur, quo deus offenditur, & homines non renati damnantur: siue etiam renati, quatenus peccatũ non relinquunt, duplex esse: aliud internum & aliud externum. Et internum quidem, esse uiciatę seu corruptæ naturæ omnium communis: siue morbi istius, qui est perpetuo in natura, etiam renatorum. Nisi quatenus lumine gratiæ aufertur: & spiritu sancto subinde mortificatur. Quod a Theologis uocatur peccatum originis: & complectitur cũ ignoratione Dei, quæ est priuatio seu defectus iusticiæ originalis, & carentia operis boni: tum concupiscentiam in carne, quæ est habitus corruptus prauus & uiciosus in natura, perpetuo inclinans & rapiens hominem ad mandatorum Dei contemptum & transgressionem. Nam quanta sit illius uis, non cernere est solum in his, qui per Euangelium non renascuntur, uerumetiã in omnibus renatis, quos oportet semper contra illud, non sine molesto certamine dimicare. Sicut Paulus docet Roman. vij. ut in loco de contritione ostendi. *Peccatum duplex est.* *Peccatum originis quid.*

Peccatum externum, est omne hoc, quod internum peccatum seu originalis noxa gignit: & in opus externum, ceu malos fructus putris arbor, producit. Vt est externa Idololatria, & blasphemiæ externæ, conuicia in Deum dicta, rapinæ, cędes, adulteria, seditiones, & turbatio pacis: & quicquid est huiusmodi uiciorum quæ crimina adpellare solent, & actualia delicta, actiones externas flagitiosas. Quæ qui admittunt, excidunt gratia Dei, & desinũt reputari iusti, etiamsi recepti prius in gratiam: & damnantur, nisi resipiscant & pœnitentiam agant. *Peccatum externum quid.*

Primum ergo uicia interna naturæ in considerationem uocare debemus, quando loquimur de peccato: & deinde externas trans-

gressiones, quæ ex his oriuntur. Sunt ergo uicia interna duorum generum: uidelicet, ignorantiæ quæ in nobis est dei, & concupiscentiæ rerum lege diuina prohibitarum. Cum dico ignorantiam Dei, intelligo mentis cæcitatem: seu incredulitatem. Neque enim illa ignorantia est aliud, quam perpetua quędam cæcitas & caligo, seu obscuratio mentis: & incredulitas. Nisi ita discernas, ut ignorantia accipiatur omnium esse, qui ad uerbi dei lumen non peruenerunt: incredulitas autem eorum, qui ad prædicationem uerbi dei perducti, illi ueritatem detrahunt, & fidem non habent: sed talis est tamen ignorantia, quam dico, ut perpetuo habeat coniūctam incredulitatem: uel latentem & sepultam in impij hominis corde. Quod intelligitur usu & experientia, quādo homo ad uerbi dei prædicationem & doctrinam accedit. Item ex illo Pauli i. Cor. ij. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus dei. Stulticia siquidē illi sunt: nec potest intelligere. Quia spiritualiter dijudicantur. Sic rursus in incredulitate recte accusamus ignorantiam dei & ueritatis.

Ignorantia dei seu incredulitas, prima species peccati originalis.

Igitur incredulitas, seu ignorantia dei & rerum spiritualium tanquā genus, habet sub se illas omnes species: non timere deum, non diligere deum perfecto corde, esse sine fide, sine spe, non existimare quod deus nos respiciat, minas & promissiones dei nihili facere, & contemnere, aut certe non magnifacere. Fiduciam & spem, in res creatas ponere, potius quam in deum. Iudicia dei non metuere, aut impatientissime odisse. Nō statuere, quod per inuocationem exaudiamur. In afflictionibus & morte esse impatientem: quasi non sint opera dei, quæ ordinentur ab illo in nostrum bonum. Denique reuelato nobis iudicio contra peccatum, desperare De promissionibus gratiæ & Euangelij dubitare: superbire & præsumere de carnali iusticia, & sapientia carnali. Opibus, potentiæ, & honori confidere: rerum quæ pereunt & transeunt, & neminem meliorem aut beatum efficere possunt. Ad auxilia diuorum confugere: sed deficio tandem. Quis enim omnes species incredulitatis numerare posset? Nec sunt hæc uicia, tantum actuales culpæ, quales esse haud grauanter permitto: sed præpterea durabiles defectus, & carentia iusticię: in natura non renouata. In summa, horribiles pestes, & grauissima peccata coram deo. Denique & uiciosi habitus adpellari possunt: quia magnam affinitatem habent cum concupiscentia, ut mox dicam. Sed non oportet nimis argute in his uicijs distinguendis laborare: nisi, si cui libet, gratia docendi. Proxima est concupiscentia, altera species peccati originis: similiter uicium internum ut incredulitas, & habitus corruptus prauus in natura. Hæc timet, amat & quærit

Concupiscentia altera species peccati originalis.

carnalia

carnalia: & habet multiplices impetus pugnantes cum lege Dei. Nam concupiscentię nomine, semper intelligi debent, quilibet affectus contrarij & pugnātes legi Dei, & statui de illis debet, quod hominem non renatum, uere ac prorsus damnēt. Hanc scholastici uocant fomitem, & negant esse peccatum. Sed Christus Matthę. v. longa oratione, peccatum esse declarat, & in lege damnari ostendit, contra pharisęorum traditiones. Adhęc Paulus illam plane adpellat peccatum, ut supra ostendi, citato loco epist. ad Roma. cap. vij. Deinde argumento idem probatur, quia lex est spiritualis doctrina. Ideo pręcipit de affectuū puritate, deqꝫ sanctissimis & castissimis motibus in corde, qui respondeant per omnia & consentiant legi Dei: & concupiscentiam accusat, tanquam peccatum damnans.

Igitur illi omnes affectus, qui oriuntur in concupiscentia, & repugnant legi dei, sunt reuera peccata, quibus homo reus fit, sicut Christus docet, æternæ damnationis. Dixi autem, quod hac timet, amat & quærit carnalia homo, uelut, opes, uoluptates, potentiam, honores, gloriam & uitam. Et his contraria refugit & odit, inopiam, paupertatem, conditionis & fortunæ humilitatem, ignominiam, sui contemptum, crucem & mortem. Nec alia re, nisi quia uoluptatibus cupitis & desideratis aduersantur, non considerato, cur deus cupiditatibus nostris aduersantia immittat, nempe, ut peccatum mortificetur. Quare etiam odit aduersantem suis cupiditatibus: hoc est, deum & legem, & quemuis hominem. Proinde in illa regnat præcipua auaricia, qua omnes quæ sua sunt quęrunt, etiamsi contra fas, & proximi dilectionem. Deinde concupiscentia prohibita erga mulierem, uidelicet, alterius coniugem. &c. sicut Moses de his præcipuis partibus agit, ubi tractat legem de concupiscentia. Sed illis sunt coniunctæ, ira, odium, inuidentia, æmulatio, ambitio, & similes morbi.

Atqꝫ hic oportet rursus dicere, quod paulo ante dictum est de incredulitate, esse uidelicet, hæc concupiscentiæ uicia, non solum interna actualia delicta, sed etiam durabiles impetus in natura, quia his semper inclinatur homo ad malum, quibus nemo unquam satis resistere potuit aut potest. Hinc est illud Gene. vi. Cuncta intentio & cogitatio cordis tantum mala est omni tempore. Et cap. viij. Intentio humani cordis mala est, ab adolescentia sua. Et hic rursus cernere est, hæc uicia habere magnam affinitatem cum incredulitate. Quia enim non credimus Deo, & illius erga nos bonæ uoluntatis ignari sumus, ideo affectamus carnalia: & carnalibus cōfidimus & delectamur, deo & spiritualibus nec cōfidimus nec delectamur.

Hęc de peccato originalis noxę in natura, qua omnes homines reiffi ciunt ęternę mortis corā deo: etiā infantes, q̄ ad similitudinē exterię trāſ

gressionis nihil admiserunt: nec possent salui fieri, nisi per baptismum ablueretur eorum peccata: iuxta illud: nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnũ Dei. Et ex his intelligi opinor, quid sit carentia originalis iusticiæ, quã habiturus erat homo, si nunquam collapsus fuisset: nimirum, uerum Dei timorẽ, ueram dilectionem, fiduciã & spem in deum, animum uacuum cupiditate rerum malarum: in summa, iusticiam consummatã. Sed longe aliter nunc habet: quia decidit a iusticia & ruit in peccatum, tam ignorantiæ Dei quã concupiscentiæ prauæ.

Deniq; ex his quæ dixi liquet, quantum errent, qui peccatũ originale somniant tantũ reatum esse & pœnam, seu imputationẽ alieni peccati, alienæ culpę & alterius noxæ. Sic enim solent, qui non uident immũdiciem in natura hominis hęrentem, uidelicet, ignorationẽ, contemptũ & odium dei, concupiscentiã rebellem legi. Sed hanc sanam & integrã esse fingunt & alieno uicio perire: nisi quatenus de suo adijciat transgressionem. Nã ita quidam ignari doctrinæ Christianæ, peccatum intelligunt tantum de externis actualibus delictis. Sed nosse oportet, peccatũ originale esse, naturæ corruptionem atq; inobedientiã: & quemlibet suo uicio perire, non aliena culpa, etiamsi per alienam culpam habeat peccatum: sed hoc peccatum, non est alienũ, non extra nos. Hæret enim in uniuscuiusq; natura: ut antea de ignoratione & concupiscentia carnali dixi. Vt supra modum mirabile sit, ea horrenda uicia a quibusdam theologis nõ haberi pro peccato, incredulitatẽ dico, diffidentiã, desperationem & concupiscentiã: quæ nisi in morte, a nemine prorsus deponi possunt. Quanq; quid dico, mirum esse: cũ isti theologi non intelligant quid sit incredulitas, ut de alijs taceam.

Secundus locus, in consideratione peccati: de externis trangressionibus.

Externa uicia adpellãt actuales culpas. Quatenus uero peccata cordis sint quoq; actuales culpæ, ex prędictis satis liquet. Sunt enim peccata actualia, simul omnes affectus, cogitationes, consilia, dicta & facta omnia, quatenus legi dei aduersantur. Verum relinquamus theologis suã distinctionẽ: et nomine actualium delictorũ hic solum peccata ea intelligamus, quę sunt externarũ trãsgressionum maxime etiã iuxta supra positam diuisionẽ: qua peccatum aliud fecimus internũ & aliud externum.

Verum hic rursus admonẽdi sumus, in externis trãsgressionibus esse multiplicem considerationẽ: quia alia est respectu omissionis externum peris boni. Et hęc rursus duplex est: sunt enĩ omissiones operũ bonorũ aliæ contra mandata primæ tabulæ: & aliæ contra mandata tabulæ secundę. Porro, peccato omissionis operum bonorum opponitur uicium: quod peccatum est quidẽ. Vt cum non satisfit in bono opere mandato Dei: ut cum fit contrarium, quam ille nobis præcepit. Contingit autem dupliciter, uicia inesse operibus bonis, ut uidentur. Nam

&

& renati suo defectu laborant, & impij sua peccata in opere bono habēt. Iam de his omībus mēbris seorsim loquemur. Igitur peccata omissiōis operis praecepti boni pauci satis aīaduertunt, quanta sint corā deo: & q̄ aeque reū constituāt aeternae damnationis hoīem, ut actiōes mortaliū delictorꝝ. Et ratio est: quia affirmatiuā legis de opere bono, captus naturalis nō uidet perinde praeceptā esse, ut negatiuā operis mali prohibitā. Sed profecto aeque necessaria est Iusticia operꝝ bonorꝝ, ut fuga & omissio malorꝝ. Apud Ezechielem capite xxij. cum dominus de peccatis principum, prophetarum & populi grauiter conquestus esset, tandem per prophetam adiecit: Et quaesiui de eis, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni. Et effudi super eos indignationem meam: & in igne irae meae consumpsi eos. Viam eorum in caput eorum reddidi: ait Dominus Deus. Requirit igitur a nobis inuocationem deus, & reliqua exercitia fidei, tam in prima q̄ in secunda tabula requisita. Et huc faciunt multa testimonia scripturae, quibus praecipitur de operibus bonis: nec praecipitur solum uerumetiam pollicitationibus & promissis pij inuitant. Sicut psal. xlix. Inuoca me in die tribulationis: eripiam te, & glorificabis me. Matth. x. Quicunq̀ potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquae frigidae, tantum in nomine discipuli: Amē dico uobis, non perditurus est mercedem suam. Peccata omissionis operū bonorum.

Adijciam & illud Hiere. xviij. Si poenitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego poenitentiam, super malo, quod cogitaui ut facerem ei. Et subito loquar de gente & regno, ut aedificem & placem illud. Sic ergo requirit totam poenitentiam: quae est in omni opere bono, debita & perfectissima obedientia. Itaq̀ iamdudū liquet, grauiter peccare, qui sunt negligentes operum bonorū: neq̀ posse apud illos fidē durare. Quia in neglectu & omissione operis boni, est insignis contemptus Dei. Sed & Christus & Apostoli saepe praecipiunt de operibus bonis: quae nisi necessaria essent, & sine graui dānatione omitterent, nūquam profecto praeciperentur. Quapropter qui cessant ac frigent studio & diligentia operum bonorum, habent grauissimam culpam: & grauissimae poenae sese reos efficiunt. Sed nunc paucis numerabimus praecepta opera bona: ut intelligatur melius, quot & quibus modis peccetur omissione boni operis. Quod suo tempore copiosius praestabimus in decalogi enarratione.

Est igit neglectus operꝝ bonorum debitorū, seu omissio in externo dei cultu cessare, q pertinet ad confessionē. Sicut est, nō adesse in publico cōuētu, in cetu et cōgregatione ecclesiae, pdicationi uerbi dei: nō participare sacramētis. Deinde nō cōfiteri corā aduersarijs ueritatē uerbi dei et gloriae Christi deesse. Nō inuocare nomē dn̄i, quoties opus est, cū illius gratia et auxilio semp indigeamus. Nō laudare dn̄m, neq̀ gratias agere p oī-

bus beneficijs illis, quibus quotidie afficimur. Nō bene mereri oībus officijs de parētibus, magistratibus, & alijs quos parentū loco habemus. Et in genere hīs officijs dilectionis nō seruire proximo, quibus in casu necessitatis tibi optares seruiri. Sed & ingratis, inimicis et male merētibus deesse officijs charitatis. Quam uero periculosum sit, dilectionem proximi nullis misericordiæ operibus testari, docet Christus: Matthęi xxv. Discedite a me maledicti &c. Et Ioannes, ij. Ioan. iiij. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidet, deum quem non uidet, quomodo potest diligere? At deum non amare, habet grauissimam pœnam. Huc pertinet illud Lucæ xvi. Facite uobis amicos de mām̄ona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant uos in æterna tabernacula. Prędictis oportet & horum omissionē addere: cupiditatibus & delicijs carnis, uelut crapulæ, ebrietati, ueneri, & similibus, non ponere modum, non interire scilicet uicijs carnis, cum Paulus dicat: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs. In his omnibus uicijs est defectio ab opere bono: sed iam etiam de defectu, qui est in opere bono loquemur.

Piorum opera bona, habent suos defectus, immūdiciem & peccatum.

Ergo de imperfectione & defectu operis boni piorū oportet ita statuere. Nulla bona opera fieri posse, etiam a pijs & qui spiritu sancto gubernantur, quæ uacent prorsus omni culpa & peccato coram deo. Quā diu enim in carne, morti obnoxia, sumus, non possumus ad perfectam illam iusticiam quæ est in lege præcepta peruenire. Condonatur tamen & ignoscitur pijs, si quid minus perfecte pręstant, ut cum orantes, non ea fiducia inuocant nomen domini, qua se inuocandū esse ille iubet, siue cum eleemosynam largimur, non ea simplicitate damus qua oportuit. Aut, neq; tantū damus, quantum necessitas egeni requirit: & te charitas in illum hortatur ac docet: si tamen habes quod des illi. Siue cum quoduis aliud officium pręstas, quo tuam gloriam & utilitatem magis spectas, quam gloriam & uoluntatem dei. Isti, inquam, omnes defectus ignoscuntur pijs, propter fidem, qua in Christum credunt: & quia sunt continui in eo, ut proficiant, & semper aliquid decedat de reliquijs peccati, & opera bona meliore obedientia fiant.

Peccatum in opere bono impiorum.

Cæterum opera bona, ut uidentur impiorum, hoc est, non credentium Euangelio, longe aliter habent. Nam & peccata sunt coram deo: & damnatione digna. Quia enim persona nondum est reconciliata deo: nec opera talis personæ possunt deo placere. Neq; ignosci illis in iudicio dei potest: sicut ignoscitur immūdicijs operum credentiū in Christum. Sed & homines carnales, quia nihil operātur studio glorificandi deum: neque enim possunt hoc uelle, qui sunt cognitionis & fidei in deum inanes. Ideo uarijs alijs affectibus impijs contaminat opera bona. Nam affectu sui commodi, honoris & gloriæ operantur, non respicientes in solam dei uoluntatē, cui ut filij dilecti morem gererent: sed ut infamiam &

Matth. 6 23.

pœ-

pœnas fugiant, maxime æternas, & ut saluationem mereantur: cum grauius non possit peccari, quam hac opinione quicquam operari.

Prædictis omnibus plane intellectis, facile iudicium est de uicijs externis: seu operibus per se malis. Nam pleraque illorum talia sunt ut ipsamet ratio illa reprehendat ac damnet. Sicut est externa idolatria, conuicium quod deo dicitur, periurium, contemptus autoritatis parentum, seditiones aduersus magistratus, cædes, parricidiũ, adulteriũ, stuprum, scortatio, immũdicia, crapula, ebrietas, fraus & deceptio, furtum, rapina, mendacium, calumniæ, proditiones, delationes, & quæ sub his omnibus partibus continẽtur. Hæc apertissimis uerbis in legis litera damnantur: & omnes mortalia & damnabilia delicta esse concedunt. De peccato operis per se mali.

Hæc igitur hactenus in genere de peccato: cuius duas præcipuas species feci: internam, in qua est incredulitas & concupiscentia. Et externã: in qua primo animaduertenda est omissio operis boni: deinde uiciũ quod hęret in opere bono, tam piorum, q̃ impiorũ. Et postremum, opera per se mala: quæ crimina & flagitia uocantur. Nam hæc omnia peccata lex dei accusat & damnat, quæ perfectissime nosse oportet. Nam alioqui neque timeri deus satis potest: neque homo ulla uera contritione conteri coram deo. Adhæc, nisi his peccatis plane & perfecte cognitis, non potest intelligi magnitudo misericordię dei, & beneficiorum Iesu Christi: nec fides denique ullum uerax exercitium habere. Quanquam autem prudenter ratio reddi possit, incredulitatem & concupiscentiam reipsa cohęrere, neque separari posse in uiciata natura, quam & supra attigi: ego tamen separare uolui, docendi gratia, neque primus, sed aliorum exemplo. Successit igitur concupiscentia, amissa fide & noticia dei. Nam quia ignari sumus dei, cõuertimur ad rerum carnalium amorem & cupiditatem: atque in illis timemus, fidimus, speramus, deo contempto, & spiritualiũ rerum amore neglecto. Inde irascitur homo, furit, sæuit, in omnes implacabiliter, qui cupiditatibus ipsius noxijs quomodocunque resistunt. Nec prorsus sine autoritate scripturæ hæc partitio est: quia ignorantia dei, seu incredulitas, accusatur in prima tabula, & concupiscentia in secũda. Et imperiti hac partitione melius doceri possunt. Videre est autẽ in toto mundo, uelut in magno theatro, quæ sit & quanta uis, imo tyrannis, peccati.

Iam denique sub externis transgressionibus uolui omissionem boni operis, & defectum ac uicium illius, complecti & comprehendere. Quæ si quis in alium ordinem uelit redigere, non impedio: modo agnoscat peccatum esse contra legem dei boni operis omissionem: similiter defectum & imperfectionem in opere bono & debita obediẽtia. Multo magis in opere, quod fit absque fide. Cæterum fons omnium uiciorum est incredulitas & concupiscentia: & uicia quęcunque ex his oriuntur dam-

nant hominem: nisi redeuntem & resipiscentem, & in gratiam sese con-ijcientem, & agentem poenitentiam, per Christum Iesum.

Postremum de origine & causis peccati, non attinet hoc loco multum disputare. Scimus propagatum esse peccatum, ab uno in omnes, hoc est, ab Adam in totam posteritatem generis humani: & illo omnes aeterna morte damnari, nisi quos gratia Iesu Christi liberauerit: sicut utrunque docet Paulus ad Roma cap. v. semper etiam uigere in natura, et ferax esse uiciorum. Quanquam enim a credentibus opera & auxilio spiritus sancti expugnetur, ne regnet: in incredulis tamē pleno imperio regnat, ut in tentatione nulli graui, aut minimo, uicio & peccato, neque resistere possint, neque uelint. Sed & si quid boni operis praestare conantur, nihil quā simulare iusticiam possunt. Hoc totū peccatum, qui non cognoscunt uere, eorum contritiones nihil esse poterunt, quam mēdax & simulata pietas, hypocrisis, arrogans & superba iusticia: qualis fuit impij & ridiculi Pharisaei, Lucae xviij. cuius frequenter mentionem feci.

DE PECCATI POENIS, atque ira Dei.

CAP. IIII. Solet etiam queri in disputationibus Theologorum de poenis peccati & ira dei, quae sequitur peccatum, & in incredulis & impoenitentibus adhuc durat. Terret igitur in primis, cor hominis contritum, peccati poena: Imo contritionis maxima causa est. Nisi enim terrore & periculo mortis obsisteret nobis deus, sic impij & praui sumus, ut malū corruptionis in natura, hoc est, peccatum, contemnere uelle uideremur: in eoque ipso periclitari, perire & damnari: sed deus resistit.

Hic primum reprehendere oportet, eam impiam opinionem, quae fingit concupiscentiam leuiculum morbum & infirmitatem esse: quae aliquantulum retardet rectam uoluntatem, non impediat, quo minus homo perfectam iusticiam, in lege praeceptam, suis uiribus praestare ualeat. Sed quam uane, impie & stulte hoc dicatur, supra exposui duobus locis: altero, de contritione, & altero de peccato. Proinde concupiscentiae morbum adpellant fomitem: & peccatum esse negant, sed tātum poenam peccati originis esse docent.

Contra istum crassum & impium errorem notabis concupiscentiā esse tum poenam lapsus, & peccati Adae: (quia propter inobedientiam Adae, tota posteritas punitur & tradita est sub imperium peccati) tum etiam peccatum in nascentibus. Hoc est enim peccatum illud, quod in se accusat Propheta, & deplorat. psal. l. Ecce in iniquitate genitus sum (hoc est, attuli peccatum immundae concupiscentiae, qua retrahor ab amore dei, &c. in incredulitatē, odium & contemptum dei, mecum in mundum: uidelicet in ipsa carnis natiuitate contractum.) (& in peccato concepit me mater mea. Quare nec meliorem foetum potuit proferre

& aedere

& ædere quam abominabilem peccatorem ex peccatoribus.

Quod ergo quidam concupiscentiam interpretantur non esse peccatum, arguunt quanta ignorantia rerum spiritualium teneantur. Deinde quod morbum talem faciunt concupiscentiam, qui industria & uiribus hominum facile uinci queat, produnt quo spiritu agantur, uidelicet pharisaico illo & Diabolico Antichristi, qui Christi gloriam abolere conatur, ut gloria hominum regnet.

Ergo non poena solum, uerumetiam grauissimum peccatum est concupiscentia: cuius tanta tyrannis est, ut nemo illi unquam resistere queat satis, nemo eximere se ex tāto malo, quantumcunq; laboret. Quis enim auariciam, & curas huius seculi, cōgenitas nobis, extirpare potest? Quis iram, odium, inuidentiam, æmulationem, ambitionem, & libidinis impetuosæ flammas, deniq; his similes affectus prauos, quoties uult, extinguere, tollere, deponere sicut indumentum, & abijcere prorsus potest? Et quoniam hoc efficere & præstare nemo potest: certe eo ipso, peccatum concupiscentiæ grauissima & tristissima poena est. Per hanc enim semper efficimur rei mortis: nisi quatenus credimus in Iesum Christum. *Concupiscentiæ uis:*

Suadere igitur potes auaro contemptum auri: sed persuadere nunq̃ potes. Potes oculis, manibus & pedibus imperare, & simulare iusticiam & pietatem: sed cordi imperare non potes, ut repurgato illo a sordibus uiciorum absolutam iusticiam & pietatem præstes. Et hæc est maxima poena peccati, quod homo semper peccator retinetur: & seruus ac mãcipium peccati, ut peccatum prorsus non possit deponere, nisi in morte: nec illi resistere sine opera & auxilio spiritus sancti.

Hic oportet adijcere, ignorationem & incredulitatem ad consimilem modum esse tum poenam peccati & lapsus Adæ in tota posteritate: tum etiam peccatum, quod ex iam dictis & ex loco de peccato, illustre & cognobile satis est. Est enim in homine naturalis quædam impotentia efficiendi, uerum dei timorem, dilectionem, spem, patientiam, & similium affectuum piorum cordis, qui in prima tabula requiruntur. Quanta autem in his sit poena, ex eo intelligis, quod qui manet in incredulitate, non potest saluus fieri a morte æterna. Ioannis iij.

Rursus solet peccatum aliquando puniri peccato, non iam originis peccatum dico, sed quod singuli sua quadam improbitate, & nimia malicia, & nimio dei contemptu, cōmittunt. Sed quod nam hoc sit, nostrũ non est definire: sed iudicatur a posteriore, in illis esse qui manent in incredulitate & impoenitentia. Sic autem puniri, est tradi in reprobã mentem, excæcari & indurari: cuius poenæ extant exempla: Esaiæ vi. Mar. iiij. Roman. i. & ix. Item. xi. Cæterum hoc peccatum, quod tam graui ira dei punitur, uocatur peccatum in spiritum sanctum: de quo dictum est, parte superiore, capite tertio. *Peccatum peccato puniri.*

In genere autē de quolibet peccato statuere oportet, quod mereatur gehennam & mortis pœnam: quatenus homines non resipiscunt, neq; credunt Euangelio & non agunt pœnitentiam. Iuxta illud, Roma. ij. His autem qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & augustia, in omnem animam hominis operantis malum.

Sunt etiam corporales calamitates, & ipsa mors corporalis, peccati pœnę: nisi quatenus Deus, illas quas sancti sustinent, conuertit Christi beneficio, in saluberrimas castigationes, Hebr. xij. siue in maiorē gloriam ipsorum. Matthę. v. Rom. v. siue denicq; in abolitionem peccati & ueteris naturę. i Cor. xv. Nam & peccata certe solent temporaliter castigari in sanctis: sicut habes in exemplo Dauidis. ij Reg. xij. Et sicut Paulus inquit: Dum iudicamur a Domino, corripimur, ut non cum hoc mūdo damnemur. i Cor. xi. Necq; tamen omnis afflictio seu calamitas, est propter aliquā culpam: ut habes in exemplo Ioan. vi. de cæco nato. Seruiunt igitur quędam ad gloriam dei, probationem fidei, & excellentiorem gloriam sanctorum. Quędam ad deletionem peccati: pręsertim mors corporalis. Hunc enim illius fructum habent, qui in Christum Iesum credunt.

Sed nunc de pœna æternę mortis seorsim, quę uidelicet ijs solis irrogatur, qui nō renascuntur, promissione Euangelij per incredulitatem reprobata, de qua est Rom. vi. Stipendiū peccati mors. Et i. Cor. xv. Aculeus mortis peccatū. Durat enim mors & ira Dei in incredulis. Alioqui sane de credentibus Euangelio dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ac rursus Ioan. iij. Qui credit in filium Dei, habet uitam æternam: qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed IRA DEI manet super eum. i Ioan. v. Vitam ęternam dedit nobis Deus, &c.

Per peccatū mors. Rom. 5.

Quoniam autem hunc contemptum dei qui est incredulitatis, arguunt in se esse, qui sine pœnitentia & sine operibus bonis uiuunt, oportet idem statuere de talibus quod de incredulis Nisi ad ultimum terminum uitę suę respiciantur a deo, & ad fidē perueniāt. Nolo enim ansam desperationis ulli prębere, sicut nec Christus prębet. Quāquam de his, qui negligentes in opere bono fuerunt, dicat: & ibunt hi in supplicium æternum. Matth. xxv. Similiter Ioan. v. Procedent, qui bona fecerunt in resurrectionē uitę, qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicij.

Sed rursus, habemus in genere caussam ęternę mortis, quod perfectę iusticiæ debitores sumus, quam tamen suis uiribus nemo unquā potest præstare. Et ideo maledicimur & condemnamur lege: Gal. iij. Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quid igitur, desperabimus? minime. Christus enim

redemit

redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: sicut ipse quoque Paulus ad Gal. iij. exponit. Sed non ideo redemit nos ab obedientia operis boni. Hinc ad Roman. viij. in hunc modum scribit: Si secundum carnem uixeritis moriemini. Requirit ergo Deus bona opera, etiamsi legi nihil debeamus, propter Christum. Sumus tamen debitores mortificandæ carnis, Deo in gloriam, propter Christum. Ac placent Deo opera nostra, quatenus in fide nominis Christi illa præstamus: & propter eundem ignoscit nobis, etiamsi imperfectam iusticiam & obedientiam pręstemus.

Reliqua est una peccati poena, de qua in literis apostolorum docemur, & ea lõge tristissima: uidelicet, qua humanum genus traditum est sub potestatem & imperiũ Diaboli. Hinc enim Paulus ad Ephes. ij. dicit efficacem esse Diabolum in incredulis. Et ij. Timoth. ij. Eos qui Euãgelio aduersantur, dicit esse in laqueis Diaboli, & captiuos teneri ad ipsius uoluntatem. Proinde plenum imperium in incredulos exercet: illos enim retinet in impijs opinionibus de Deo, & erroribus doctrinę falsis, ut fidem labefactet ac penitus euertat. Deinde etiam impellit tales in omnis generis flagitia & peccata: in blasphemiam, hypocrisim, auariciam, cædes, adulteria, rapinam & his similia. Denique omnium maxime insidiatur his qui Deum ueraciter colunt: sicut manifestum est in exemplo Christi, & in eo quod Petrus scribit. i Petri v. Sobrij estote & uigilate &c. Quanquam in illos nihil iuris habet: neque potest contra eos præualere.

Quos ergo hæc mala non uehementer terrent, eos certum est uere nondum esse contritos: & quicquid contritionis, seu bonorum operum nomine simulant, esse meras hypocrises & impietates. Sed cognita magnitudine iræ Dei, & calamitatum seu poenarum, quæ peccatis debentur, intelligimus cum mortis alumnos nos esse, tum mancipia Diaboli: & de iusticijs carnis desperandum nobis esse, & ad Christi gratiam confugiendum. Nemo enim ex his tantis malis peccati & iræ Dei potest liberari, nisi per Iesum Christum. Roman. v.

DE DIVINIS *legibus*

SVpra exposui, cur ad contritionis doctrinam pertineat diuinarum legum tractatio. Illa igitur planius ac certius nobis explicabit, quæ tam sit illa corruptio in natura, & quod tam graue peccatum, quo efficimur filij irę, & ęternę mortis coram Deo. Nam cũ in literis sacris bifariam agatur de nostro peccato, uno modo per comparatiouem ad legem: & altero, per comparationem ad Euangelium & gratiam: nosse oportet peccatum per legem aliter non tractari, nisi declarando illud & accusando atque damnando. Sicut Paulus docet Rom. iij. & vij. CAP. V.

Gala. iij. Expostulat enim cum homine de debito perfectæ iusticiæ lex: & eo ipso accusat eum defectus seu carentiæ iusticiæ originis, & multorum corruptissimorum habituum in natura. Et quia talem reperit, qui perfectam obedientiam, seu debitum perfectæ iusticiæ, non potest præstare, ideo damnat illum. Sic enim ait lex: Maledictus omnis: qui non permanserit in omnibus his, quæ scripta sunt in libro legis, faciens ea.

Lex igitur est formula quædam doctrinæ, quæ facit ad ostensionem perfectam nostri peccati: & iræ Dei contra peccatores. Proinde ualde ac nimis errant, qui iusticiam & reconciliationem per legem quærunt. Est enim impossibilis nobis lata, ut peccatum perfecte retegat, accuset, & peccatores de iusticijs carnis desperare faciat. Non ergo iustificationis doctrina lex est: sed cognita perfecte, grauissimum & molestissimum onus in conscientia. Accusat enim peccatum: & peccati pœnas irrogat: iram Dei & æternam mortem. Ideo facit, ut iudicia Dei formidemus & fugiamus: atque adeo, ut odiamus illa, ac detestemur, tanquam iniqua. Hoc est enim, quod Paulus dicit: lex iram operatur. Facit enim, ut Deo & iudicijs illius irascamur: & sic contrario effectu nō iustificat peccatores, sed magis efficit tales, hoc est peccatores, & magis reos iudiciorū ineuitabilium & æternæ mortis. Vt de hoc legis effectu, in loco de contritione dixi: testimonio allato ex Paulo, Locus est ad Romanos vij. de legis effectu & usu.

Hic ergo cum Sophistarum opinionibus conflictari oportet: qui finxerūt primum, lege Dei non damnari naturalem immundiciem, hoc est, concupiscentiam: & imbecillitatem efficiendi perfectam iusticiam timoris, fidei, & spei in Deum. Nam legi Dei satisfieri prædicant, per opera nostra exteriora: neque opus esse homini spiritu sancto, nisi ad initium actus meritorij. Sic enim beneficium redemptionis Christi perpetuo excludunt. Tribuunt sibi perfectam & integram sanitatem, qua legi Dei possint per omnia satisfacere: nisi quod motum charitatis requirunt, quo uitam æternam per opera sua, uel de condigno, sibi mereantur. Sed in hunc modum, fidei, hoc est, fiduciæ in gratuitam misericordiam Dei, qua nobis contingit remissio peccati, iusticia, adoptio, & æterna salus, propter Christum, sine lege, sine iusticijs & operibus nostris, nullum penitus locum relinquunt. Nec possunt illi relinquere locum, stantibus impijs opinionibus eorum: imo dedita opera locum & admissionem illi præcludunt, & requirunt tamen ut pro Christianis doctoribus habeantur, fidei corruptores & euersores.

Teneamus igitur contra istorum impias & blasphemas opiniones, quod supra docui in loco de peccato, peccatum esse, cum externa facta praua, tum immundiciem naturalem, hoc est, concupiscentiam, neque posse hominem ueram iusticiam efficere: concupiscentiam comprimere,

& sum-

& summa illa uicia, quæ pugnant cum fide in Deum, uidelicet, dubitationem, desperationem & diffidentiam de uoluntate Dei, & huiusmodi motus. Habere etiam magnam imperfectionem in opere bono: quin etiam nimium frigere & nimium cessare in operando bonum. Non malicia solum, quasi expeditior esse posset: sed hæc omnia naturali impotentia & debilitate. Atq; adeo seruitute: retrahente ipsum concupiscentia, & quæ in illa regnat, amore sui, & Diabolo. Porro hæc omnia uicia, defectus, inclinationes & peccata, accusari per legem: & propterea damnari hominem, atque reum conuinci æternę mortis. Omnino enim debitor est perfectæ iusticiæ & puritatis: summæ innocentiæ & pietatis: ut in qua sit animus per omnia consentiens legi Dei: liber a concupiscentia carnali: plenus timore, fide, spe, dilectione, patiētia in omnibus calamitatibus & morte. Idem erga proximum plenus dilectione, syncenitate, candore, integritate: mansuetus, benignus, misericors, clemens, castus, patiens iniuriarę: qui nō minus bene mereri possit ac uelit de inimicis & ingratis, atque amicis, & qui uidētur magni meriti in nos, & digni officijs nostris esse, uerūetiam indigni. Nā hanc perfectionē docet lex: ut Leuit. xix. Sancti estote: quia ego sanctus sum, dn̄s deus uester.

Prorsus ergo earum omnium rerum, de quibus nobis pręcipitur, a Deo habere debuimus synceram dilectionem: si perfectæ iusticiæ, cuius debitores sumus, satisfacere potuissemus. Qui igitur confidunt, tam superbi coram Deo & arrogantes, quod per uires suas possint, Deo & legi satisfacere, illi debent adferre cor & affectus operibus præceptis respondentes: uerum Dei timorem & fidem, dilectionem proximi perfectam, qua nulli officium debitum neges: & tua prorsus non quęras, nisi prius legi per omnia satisfeceris. Sed unde hæc mundicia, puritas & perfectio iusticiæ haberi potest? certe in carnali natura nulla est. Cur igitur tam arroganter de iusticia & meritis operum nostrorum gloriamur? Nisi quia hoc fit, irato Deo, in poenam & ultionem peccati. Cur non potius de iusticijs nostris desperamus, & confitemur nostrum peccatum: sicut Ioannes docet i. Ioan. i. Deo in gloriam: precantes, ut nos iustificet & saluos faciat per Christum?

Paulus uocat legem spiritualem doctrinam: eo quod affectuum puritatem requirit, & cor perfecte obediens Deo, consentiens spirituali & sanctæ doctrinæ. Nec aliud uult illud Christi, ubi de misericordiæ operibus cōcionat᷑, (quæ quibuslibet debemus, bonis, malis: dignis, indignis: gratis, ingratis: amicis, inimicis: exemplo Dei patris, hoc est, sicut a patre Deo, sine personæ respectu nobis redduntur, nō considerata malicia, indignitate, ingratitudine & impietate, qua semper Deo aduersamur: neque enim alia est syncera dilectio.) sic inquiens: Estote ergo uos perfecti, sicut & pater uester coelestis perfectus est. Et huc per

tinet illud Ioannis iiij. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare.

Ac uero quam sint omnia immunda & imperfecta in nobis, quid attinet pluribus dicere, quam antea exposui? Nemo enim prorsus est, qui possit dicere: mundum est cor meum, purus sum a peccato. Quis igitur exactionibus legis satisfacere posset? Multo minus per opera sua potest se quisquã pręparare fauori diuino, mereri gratiam, rẽmissionẽ peccati, iusticiam, aut uitam æternam. Homo enim, nondum reconciliatus deo, per gratuitam gratiam, propter Christum, iacet cum uniuersis iusticijs et meritis suis ligatus ad ęternas maledictiones legis. At recõciliatus hęres est iusticiæ æternę salutis, sine omnibus operibus suis, propter solũ Christum, quatenus in illum credit. Nec opus habet mereri per opera saluationem. Iam enim iustus est, remissione peccati, & filius dei & hæres æternæ uitæ. Sed opus habet, ut in omni uita glorificet deum pro gratia: neque diffidat, quin omnium laborum suorum habeat repositum praemium & mercedem apud deum.

Proverb. 20

Sed addamus hic sententias aliquot scripturę, quę testantur in carnali natura nihil boni esse. Rom. iij. Non est intelligens, nõ est requirẽs deum. Omnes deflexerunt, simul inutiles facti sunt: non est faciens bonũ, non est usq; ad unũ. Item capite viij. Caro quæ carnis sunt affectat. Et ad Gala. iij. Caro concupiscit aduersus spiritum. i. Cor. ij. Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus dei. Stulticia enim est illi, & non potest intelligere. Et profecto nullis uerbis dici uel explicari potest, quanta sint & quam grauia mala, quæ his scripturæ sententijs, in natura obnoxia peccato, & serua Diaboli, reprehenduntur & damnantur.

Hanc suã impietatem nosse debent, testimonio legis & scripturarũ, quos a peccato & morte saluos fieri oportet. Nosse autẽ, ut ad ueram humiliationem sui coram deo perducãtur, & humiliati gratiã quęrant. Arcent enim se a gratia, & indignos faciunt remissione peccati, iusticia & æterna salute, qui per iusticias legis saluari quęrunt. Sicut Paulus docet, Roma. ix. Israel sectando legem iusticiæ, in legem iusticię non peruenit. Quare? Quia non ex fide, (uidelicet, sectabantur iusticiam & saluationem) sed quasi ex operibus (hoc est, merito operum suorum, dignitate personali & priuata). Impegerunt enim in lapidem offensionis: sicut scriptum est. Ecce ponam in Sion lapidem offensionis & petram scandali: & omnis qui credit in eum non confundetur. Item capite x. Ignorantes enim iusticiam dei, (hoc est, donum gratuitæ iustificationis, imputationem iusticiæ, & remissionem illam peccati, quæ cõtingit per Christum.) & suam quærentes statuere, (sicut qui meritis operum suorum confidunt, & illa superbe iactant coram deo.) iusticiæ dei non sunt subiecti. (non habentes pacem sortis sanctorum: nec societatem

cum

cum patre & filio eius Iesu Christo.) Finis enim legis Christus, ad iusticiam omni credenti. Quare prorsus nulli remittit peccata Deus, nec reputat iustum, nisi qui in corde uero contrito & humiliato, per fidem in Iesum Christum, gratiam & salutem quaerit.

Porro extremae dementiae est, pro peccato habere, caedes, adulteria, stupra, rapinas, latrocinia, & his similia, quae in secunda tabula prohibentur: & uicia cordis, quae in utraque tabula damnantur, non habere & nolle agnoscere pro peccato. Sicut est idolatria cordis, non uere timere Deum, non amare in omnibus operibus eius & super omnia: non perinde facere paupertatem, ignominiam, crucem, ut opes, gloriam & uitam, si quando rebus aduersis te exerceat Deus, pro sui nominis gloria. Nō sperare auxilium a Deo in calamitatibus, afflictionibus, cruce & morte: quinetiam fremere contra Deum, eique irasci cum affligimur. Esse auarum, ambitiosum, inuidum, & supra modum cupidum rerum lege diuina prohibitarum. Habere fiduciam rerum prȩsentium: gloriari in opibus, potentia, honore, carnali sapiētia, iusticia. Nō diligere proximum uere: sua potius in omnibus quaerere contra illius dilectionem. Retinere & fouere odia, simultates, animum iracundum, dolosum, fraudulentum, libidinosum, tumidum, inflatum, superbum & arrogantem, usq; ad Dei & proximi contemptum. Sed nonne hoc monstri instar est haec uicia non cernere, & securo animo contēnere, & cū pharisaeo exultare & gloriari ac dicere: Deus gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri homines: cum pauculas modo externas habeas iusticias legis: uix uir ciuiliter bonus. Pudeat ergo Theologos rationis, qui non uident haec uicia quae dixi, in carnali natura pleno imperio regnare. Nam per huius ignorantiam fit, quod hominem iustum pronunciari fingunt per externa opera legis.

Vt sint ergo grauissima peccata, parricidium, adulterium & uiolatio alieni thori, stuprum, fornicatio, commessationes, ebrietates, furari, rapere, falsum testimonium loqui, mentiri in proximum, & calumnijs illum insectari: sicut sunt reuera maxima peccata. Non ideo tamen iustus es coram Deo, cum haec uicia uitaueris: quae uitare & fugere quidem omnibus modis debes. Quia adhuc habes cor immundum, impie cupidum: ut etiamsi corpore absis ab istis peccatis, tamen animo & corde totus immersus es in illa. Aut affirma, te mundum corde esse, & purum a peccato; ut egregium pharisaeum agas, longe excellens eum, de quo agitur Lucae decimo octauo. Nihil hic dico de uicijs ignorantiȩ Dei: sed solius concupiscentiae. Ac scire oportet, ab utrisque proprie oriri damnationem, quae super uniuersum genus hominum uenit. Igitur bonae mentis est, Sophistarum errores cauere & fugere: timorem Dei discere, & quaerere libera-

tionem a peccato per Christum: non per debiles & imperfectas iusticias rationis: ne dicam immundas, & grauissimum peccatum habentes.

Quare non est satis, in legis doctrina spectare solum ad operum externorū iusticias. Primum, quia sic nihil differret a qualibet hoīm doctrina de moribus: sed lex spiritualis & sanctissima doctrina, longe sublimiora habet, quam hæc externa morum præcepta tantum. Requirit enim dilectionē Dei summam, & concupiscentiam damnat. Deinde quia Deus lumine legis uoluit nos docere, quam grauia uicia hæreant & peccata, in carnali natura: & quod penitus non potest curari, nisi gratuita remissione peccati & spiritu sancto, quæ contingunt quidem per Christū, his qui credunt. Conclusit em̄ scriptura (lex) omnia sub peccato: ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Gal. tertio.

Quinetiam per legis doctrinam non modo non melius habere possumus, uerumetiam peius, per eius perfectam cognitionem relicti scilicet nobis, sine gratiæ luce: sicut copiose docui in capite, de contritione. Quare non solū doctrina est, qua nobis peccata nostra mōstrantur: uerū etiam augētur. i. Cor. xv. Aculeus mortis peccatum est: uirtus uero peccati lex. Quæ qui non intelligunt, nec lege unquam bene uti possunt: sed pharisaice solummodo abuti. Neq; uident quid sit, quod Paulus dicit: Roman. iij. Ex operibus legis nō iustificatur omnis caro coram illo. Per legē enim cognitio peccati. Gal. ij. Scientes, quod nō iustificatur homo ex operibus legis: sed per fidē Iesu Christi. &c. Itē: nō abijcio gratiam Dei: si enim per legē iusticia, ergo gratis Christus mortuus est. Nā ut eluderent has scripturę sententias, id quod Paulus dicit de omnibus operibus legis, id corruptissime interpretati sunt Sophistæ de legis minutissima parte: uidelicet, de cęrimonijs, circuncisione & similibus. Neque uidere potuerunt, quod eo pacto gratiam Christi penitus proscriberent, abijcerent, negarent atq; prophanarent: concessa hominum gloriatione contra Deum & Christum.

Proinde, ut finiam tandem hunc de lege diuina locum, lex accusat & damnat prorsus omnes homines. Quis est enim, qui iactare possit, & uere dicere, quod perfectam iusticiam præstare queat, qualis est in priore tabula Decalogi præcepta? Deinde, quis est qui careat concupiscentia: imo qui non supra quam dici ac credi possit, concupiscat contra Dei legem? Quare in iusticia illa spiritus a Deo præcepta, ultra modum deficimus. Quinetiam, quis est qui nullius externæ præuaricationis sibi conscius sit: & si conscius est, cuius merito audeat sperare gratiam? Neq; enim operibus nostris satisfit pro peccato: quia etiam prius, quam peccamus externa transgressione, debitores sumus perfectæ iusticiæ. Denique non ignoramus legis sententiam: Maledictus qui non permanserit in omnibus quę scripta sunt in libro legis. Ergo piorum, in illo certamine con

ne conscientiæ, per comparationem peccati ad legem, hæc uox est: Ne intres Domine in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Simul recipientes se per fidem ad gratiam Iesu Christi: cuius sanguine emundantur ab omni peccato. Sed hæc hactenus de ostensione peccati nostri per legem: cuius penitus sunt ignari qui per opera legis querunt apud Deum iustificari.

DE PARTIBVS DIVINARVM LEGVM: *cum breui expositione Decalogi.*

CAP. VI.

NOn habemus in præsentia opus, illa multiplici partitione diuinarũ legum: qua diuidũtur in cęrimonias, moralia pręcepta, et leges iudiciales. Nos eñi in poenitentiæ doctrina, de solis decalogi mandatis, quæ uocant moralia præcepta, agimus. Nec pertinet ad Christianos obseruatio cęrimoniarꝫ & iudicialium legum: quę sunt traditæ a Mose: sed Decalogi mandata, in doctrina apostolica & Christiana retinent̃. Et cõstat illorum obseruationem ad iusticiam spiritus pertinere, & necessariam esse: etiamsi remissionem peccati, iusticiam & æternam uitam per aliud & gratis accipiamus: nempe propter Christũ, si in illum credimus.

Quoniam igitur pertinet ad iusticiam spiritus Decalogi obseruatio, ideo a fide iustificatis omitti neque debet neqꝫ potest. Imo hi nullum exercitium fidei haberent, nisi ad obedientiam præceptorum Decalogi sese prępararẽt & accõmodarent. Hinc etiã Christus ait: Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Nec potest eludi hoc testimonium, quin per ipsum agnoscamus debitam & necessariam obedientiam eius operũ bonorum. Sicut enim flagitiosi nullam habent partem in regno Dei: ita nec ociosi isti & negligentes operum bonorum. Matth. xxv. nempe, quibus data est occasio bene operandi, ac potuerunt, quod debuerunt, præstare, sed contempserunt.

Retinetur ergo Decalogus in Christiana doctrina, quia traditus est nõ solũ, ut iustificandis seruiat ad ostensionẽ sui peccati: uerumetiã iustificatis ad fidei exercitationem, & uberiorem confirmationem. Cuius sunt duæ partes: ita ut Decalogi præcepta Moses accepit, traditurus populo, duabus tabulis distincta. Prior pars continet præcepta illa, quibus homo per cordis & operũ iusticiam proprie agit cũ Deo. Altera, habet pręcepta de dilectione & operibus erga proximũ, & cõcupiscentiam dãnat.

Sunt igitur prioris partis, tria prima decalogi pręcepta. Quorum primum quidem pręcipit de uera noticia & cognitione Dei, hoc est, de perfecto timore, perfecta & uera dilectione, fide, spe, patientia in operibus Dei, & omnino plena obedientia erga Deum. Quanta uera sit ignorãtia in nobis Dei, & rerum spiritualium: imo, quale ac quantum odium aduersus Deum & legem, denique quanta imbecillitas & imperfectio commemoratarum uirtutum, ex his omnibus quæ hactenus in

hac de contritione parte dixi satis: abunde liquet. Porro, secundum praeceptum primae tabulae, prohibet non solum apertas blasphemias, & quemlibet alium abusum & prophanationem nominis dei, uerumetiam requirit spiritualem cultum, ut nomen domini quacunque necessitate, sine dubitatione & sine diffidentia, inuocemus. Opus enim quodcunque non fit ex fide, peccatum est. Inuocatio maxime, ut qua cum deo miscemus sermonem, & quę tot pręclaras promissiones habet. Requirit item glorię dei confessionem, prędicationem, laudem: & pro omnibus beneficijs dei gratiarum actionem, tam corporalibus, quam spiritualibus & aeternis donis.

Denique tertium prioris tabulae oportebit accõmodare ad reuerẽtiam cęrimoniarum, quę sunt institutae, ut ministerium uerbi dei in ecclesia conseruetur. Non hic loquor de Mosaicis cęrimonijs: sed de illis quas ecclesia recepit & adprobauit: quales per se nõ sunt impiae: sed utiles ad institutionẽ ac doctrinam. Vt est diei dominicae obseruatio: quae recepta est & retinetur, ut homines melius doceri de Euangelio, fide in Christum, deque tota religione, poenitentia & operibus bonis, possint. Nam de uerbi dei praedicatione & doctrina constat Christianis religiose praeceptum esse. Vt Matt. xxviij. Docete omnes gentes: & Mar. xvi. Praedicate Euangelium omni creaturae. Item Lucae xxiiij. Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & praedicari in nomine eius remissionem peccatorum & poenitentiam in omnes gentes. Ergo requiritur hoc quoque a nobis ut uerbum ipsum a docentibus discamus: quod certis temporibus fieri in ecclesia necesse est. Et delectus ille totus est in ecclesiae potestate. Quod uero de reuerentia & necessitate uerbi dixi: idem statuo de administratione & usu sacramentorum in ecclesia.

Secunda pars Decalogi, fere politicas leges habet: quae faciunt ad societatẽ ciuilem. Non tamen sine iusticia cordis de illis praecipit. Pertinet enĩ ad hanc partem, quod est Leuit. xix. Diliges proximum tuũ, sicut te ipsum. Sicut etiam ex doctrina Christi & apostolorum liquidissime patet. Matth. v. vij. xxij. Lu. x. Et ad Roma. xiij. Gal. v. Non ergo per externa opera, ne huic quidem parti praeceptorum satisfieri potest: sed praestari debet, cum summa cordis puritate.

Igitur huius ordinis primum pręceptum, requirit a nobis honorẽ, qui est reuerentia cordis, qua timemus & magnifacimus autoritatẽ parẽtum, magistratuũ, & omnium eorum qui sunt in sublimitate et superioritate: cuius effectus siue fructus est externa obediẽtia, et in factis gratitudo.

Secundum, non occides: contra uindictam priuatam positum est. Et damnat non solum uim iniustam: ut in externis factis est homicidium. Verumetiam cupiditatem uindictae, iram, odium, inuidentiam, & prauos alios cognatos motus. Sic enim & Christus hanc legem exponit: Matt.

Matth.v. Deinde in parte affirmatiua operis boni, requirit clementiam, mansuetudinem, pacem, misericordiam, patientiam & ignoscendi facilitatem, quæ officia quidem præstemus erga omnes, tum amicos, tum etiam inimicos.

Tertium, Non mœchaberis, pro ornando & defendendo coniugio positum est, & castitate. Damnat igitur adulteria, stupra, & quamuis corporalem fornicationem, atque adeo oculũ intemperantiæ & animum libidinosum, qui scilicet incenditur ad intuitum mulieris, & affectu concubitus repletur. Vt est Matth.v. Omnis qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Ergo in parte affirmatiua maxime prædicat & commendat nuptias illis, qui donum continentiæ non habent. Vt est Matth.xix. Non omnes capiunt uerbum istud: (scilicet expedire homini, non nubere: siue, non ducere uxorem.) sed quibus datum est. Item .i. Cor. vii. melius est nubere quã uri. Requirit etiam pudorem, in omnibus dictis & factis: Item temperantiam in cibo & potu.

Quartum, non furtum facies, proprietatem rerum adprobat, & damnat furta, rapinas, & quemuis dolum ac fraudem, quo fratrem frater in negotio fallit, & suis facultatibus spoliat. Damnat etiam cupiditatem rei alienæ, & mentem auaram. Et in affirmatione requirit, ut benefici & liberales simus: donantes pauperibus & egenis, quod mãducent & quo operiãtur. Alijs autẽ, qui opus habent, mutuum dantes: sine expectatione paris aut amplioris beneficij. Multominus, cum exactione usuræ, contra dilectionem.

Quintum, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium: æquitatem iudiciorum forensium adprobat, ac munit ut diuinam ordinationem in terris. Quare etiam ciuiles magistratus adprobat, per quos defendimur contra quamuis uim iniustam: ne lædamur uel in corpore, coniuge, liberis, facultatibus, & fama. Damnat autem falsum testimonium, quod coram iudicibus dicitur, sed & constantiam & ueritatem a nobis requirit, in omnibus dictis & factis honestis.

Duo ultima mandata, ad accusandam concupiscentiã, uitium quod intime in natura hæret, & omnẽ iustitiam nostram polluit, ac fœdat, posita sunt. Ideo & haberi debent pro quadam ueluti exegesi diuinorum præceptorum. Sunt enim uice coronidis adiecta: ut sciamus requiri a nobis lege diuina non exteriora opera solum, uerum etiam naturalem immundiciem reprehendi, accusari & damnari. Dixi autem supra non pauca de impietate concupiscentiæ: & quomodo nos impediat ne quicquam præcepti operis recte præstare ualeamus. Verum hic adijciendum est, id non solum damnabilem concupiscentiam esse, affectare opes, honores, uoluptates, & qualescunque delitias carnis, de quibus

ratio doceri potest: sed etiam sapientiam & iusticiam carnis, si illis contempto deo confidas, quod ratio prorsus non capit.

Et hæc in Decalogum hactenus. Nam eius copiosiorem enarrationem scribemus propicio Christo Iesu, in libro de fructibus iustificatorum, quem antea polliciti sumus. Nunc autem de ipsa iustificatione & fide dicemus: quam fecimus in doctrina de poenitentia alterã partem.

TERTIA PARS, IN QVA DE IVSTIFIcatione: altera pœnitentiæ parte.

PRAEFATIO IN TERTIAM partem, quæ est de iustificatione.

IVstificatione Deus cõtritos sanat ac saluat. Quare necessario coniungi eius prædicatio debet cum contritionis doctrina, & ex Euangelio quidem accipi, quemadmodum cõtritionis doctrina ex lege. Quanquam autẽ contritio reipsa non possit abesse a iustificatione, neque enim iustificantur nisi contriti: tamen docendi gratia utile est, de singulis harum partium seorsim dici. Ac fieri potest, ut ad contritionem ueniat, qui tamen iustificationis gratia priuetur: sed quibus hoc accidit, illi coguntur desperare. Valde igitur cauendum est omnibus Christianis doctoribus, ne sola legis prędicatione utantur: uidelicet, qua conscientiæ opprimuntur solum, & ad desperationem adiguntur. Vt igitur nulli iustificentur non contriti, tamen iusti & beati coram deo sumus longe alia re, quam contritione, sine ullis operibus legis. Id primum ex eo liquet, quia contriti fugimus & odimus iudicia dei. Deinde, quia Euangelium, ut dixi, non lex, est iustificationis doctrina: quia his qui in Christum Iesum credunt, adfertur remissio peccati, pax cordis, & æterna salus. Vt hos intelligas iustos esse & beatos, per remissionis peccati fidem: (hãc enim requirit a nobis Euangelij promissio.) qui sunt alioqui grauissimis uicijs & peccatis obnoxij. Sicut Paulus docet Roman. iiij. testimonio adducto ex Psal. xxxi. Beati quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata. Beatus uir, cui non imputauit Dominus peccatum.

Quid, sola fide esse iustũ. Cum ergo dicimur, fide iusti esse coram deo, eaque sola: prudenter intelligenda est sermonis figura. Significatur enim, quod iusti simus non proprijs qualitatibus, seu habitibus nostrarũ uirtutum: sed gratuita misericordia & acceptatione. Item alterius iusticia ac meritis: nempe, per misericordiam dei, qua ille ignoscit peccatis nostris, & nos filiorum loco habet, propter iustificatorem Christum: si tamen in eum credimus. Hunc enim dedit precium & satisfactionem pro peccatis nostris: & ideo requirit, ut oblatam promissione remissionis peccati gratiam & saluationem, illius nomine, per fidem recipiamus. Ioannis primo: Dedit eis potestatem filios dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Deinde, non ex

non existimandum est, quod hæc locutio obedientiam nostram exclu/ dat: illa enim renatos adoptione gratię sequi debet. Sed significat gratui tā esse gratiam & donum remissionis peccati: negat opera nostra partialē caussam iustificationis esse, hoc est, negat esse meritoria remissionis pec cati: & tribuit illius beneficiū soli misericordię dei, et seruatori Christo.

Dixi autem alijs locis abunde satis, cur in pœnitentiæ doctrina, ne cessario requiratur & fidei prædicatio. Postquam igitur eū locum, qui est de contritione, qua potui diligentia absolui: reipsa admoneor, ut de inceps de iustificationis seu fidei doctrina, loquar. Ea parte doctrinæ Christianæ, qua explicandum erit, ꝙ non per iusticias legis, seu operū nostrorum meritis, sed per gratuitam remissionem peccati, quę donatur nobis Iesu Christi nomine, iustificemur: & a morte & legis maledictio/ nibus liberemnr: Quam consolationem doctrinæ Euangelij, tam non omittendam, sed omnium exactissima diligentia & cura pertractādam, scholastici Theologi prorsus neglexerunt & tacuerunt: necꝫ hoc solū, uerumetiam abominandis & prodigiosis de iusticia operum doctrinis oppresserunt. Quibus debemus, ꝙ fides Christiana a plerisꝗ, hoc tem pore, non habetur nisi pro ociosa rerum a Christo gestarum noticia: cū sit res uiuacissima, sanctissima & efficacissima, nempe, uirtus in nobis dei, qua ille uincit per nos & in nobis quoslibet peccati terrores in con/ scientia, & æternæ mortis, adeoꝗ ipsam mortem. Debemus etiam ijsdē autoribus hanc summam blasphemiam, qua homines meritis suarum iusticiarum arrogant debitum remissionis peccati & æternæ uitæ: exclu so & abnegato Christo, & fiducia posita in harena operum nostrorum, quæ tam sunt immunda, polluta, imperfecta, mortua, & plane nul/ lius precij coram Deo. Fides

Sed relictis in presentia istorum tam uanis, quam impijs doctrinis, quæ propria sunt instituti nostri pertractemus. Vt igitur uerax contri/ tio nulla est, nisi quam deus per ostensionem & accusationem nostri pec cati in nobis operatur, lege sua & spiritu sancto nobis loquens. Ita pro iusticia haberi nunquam debet professio uitæ, quæ est fidei gratuitæ re/ missionis peccati ignara. Loquor de iusticia saluante nos coram deo, & liberante ab æterna morte: quæ nulla ullis contingit, nisi per fidē, pro/ pter Christum. Non enim sumus iusti, aut beati coram deo, ullis ope/ rum nostrorum meritis, sed per remissionis peccati fidem: quæ per Eu/ angelium de Christo, & spiritum sanctum in nobis excitatur: ut quan/ do hæc consolatio, quam habet Euangelium, nempe, promissio recon/ ciliationis & remissionis peccati, cordibus nostris offertur, commenda/ tur, inscribitur. Quæ fides certe impijs istis, qui actionibus mortalium delictorum, sine pœnitentia, indulgent, non contingit.

Quoniam uero in hac iustificationis & fidei doctrina, cuius me opor/

tebit maxime certas & firmas probationes adferre, excutiendum denuo erit, quod prius non paucis præstitum est, uidelicet quam sit impossibile, nos peccatores per legem coram deo iustificari: & rursus, ueram iustitiam illam qua saluamur, non esse quam fidem in Christum: Pauli sententiam in hac rerum maximarum expositione, uice status mihi proponam, celeberrimam illam, qua fœlicissimo compendio in epistola ad Roman. capite viij. utrumque agit: tum, quod impossibile sit ullum hominem per legem iustificari: tum etiam, quod per redemptorem Christum iustificemur, his quidem uerbis. Quod impossibile erat legi: eo quod infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens, in similitudine carnis peccati. Et de peccato dãnauit peccatũ in carne: ut iustificatio legis impleret in nobis, qui non secundum carnẽ ambulamus, sed secundũ spũm.

Sic breuiter Paulus, eo quem dixi loco, res maximas, de peccato, lege, gratia, iustificatione & fide complexus est. In eadem autem epistola rationes eorum omnium copiosas tradit. Proinde illum Pauli ordinẽ sequentes, ea capita doctrinæ explicabimus initio, quibus uel inuitis omnibus portis inferorum manifestum fiat, plura a nobis lege exigi, quã uiribus nostris præstare ualeamus. Deinde, maximam utilitatem esse, quam ex doctrina legis capimus, cognoscere plane ac certo nostrũ peccatum: & maledictiones legis, quę nobis propter peccatum debetur. Postea addenda erit explicatio illius alterius doctrinæ, qua uidelicet, per Euangelium, Iesu Christi nomine, annunciatur & offertur nobis gratuita remissio nostri peccati & redẽptio ab æterna morte. Nemo enim potuit nobis placare deum præterquam Christus filius dei, qui etiam sanguine suo lauit nos a peccatis, & a morte liberauit. Quam gloriam gratiæ huius ipsi per fidem nostram acceptam ferre debemus: cum ea sola conditione in filios dei recipiamur. Ioannis primo. Proinde illorum collatione discemus, quantas hypocrises, qualibus ineptijs & imposturis, tradant, qui nos iusticijs rationis coram deo saluari contendunt.

ELENCHVS CAPITVM TERTIAE *partis, libri primi de poenitentia.*

De iusti-

DE CONSOLATIONE, QVAE FIT PER EVANgelium: *seu de iustificatione.*

QVemadmodum cum explicarem locum de contritione, primo omniũ, quam plenius dicerem de formãda illa per legem, paucis exposui: quid sit contritio, quis eam operetur, & quid efficiat in nobis: idem censeo & hac in parte doctrinæ, quæ erit de iustificatione, mihi faciendum esse, & præstandum ut mox ab huius loci initio paucis exponam: Quid sit iustificatio, unde & quomodo oriatur, deniq; quid efficiat in nobis. Sic enim & certius & minore negocio omnia proponemus discentibus: quæ in hoc ceu fundamentum extruemus. CAP. I.

Iustificatio ergo non ciuiliter de nostris qualitatibus & operationibus, seu habitibus uirtutũ nostrarum accipi debet: sed theologice & spiritualiter, de remissione peccati, seu dono remissionis peccati, seu imputatione iusticiæ, quę fit gratuita acceptatione, per misericordiam dei, propter Christum. Vt iustos dici & pronunciari intelligas, non qui habent multa bona opera, ut uocant, seu meritorias uirtutes: sed peccatores, immundos, transgressores legis, & grauissimis peccatis oneratos: si tamen credant Euangelio, absoluenti peccatores, & uocanti omnes ad pœnitentiam. Non enim sumus iusti coram deo, personali seu priuata iusticia, seu meritis operum nostrorum: quia nemo est, qui satisfaciat per opera sua legi aut possit satisfacere: sed fide, qua adprehendimus promissionem gratiæ. Quia in illa offertur nobis propiciator & iustificator Christus: qui pro nobis omnibus legi satisfecit: & semetipsum tradidit pretium & satisfactionem pro nostris peccatis. Nec aliter corda afflicta respirant, aut uiuificantur, nisi cum audiunt, intelligunt & credunt, gratis se respici & acceptari coram deo in gratiam, propter Christum. Ita uero acceptari, & absolui, seu pronunciari iustum, & remitti peccata, impijs, peccatoribus & iniustis: neq; tamen, nisi credentibus Euangelio, qui ad pœnitentiam uocantur. Non enim iusti sunt, qui istarum rerũ prædicatione, remissionis peccati, inquam, quam sequitur liberatio ab æterna morte, nihil afficiuntur, & Euangelio non credunt: neq; agunt pœnitentiam, sed flagitiose uiuũt. Sed iusti sunt, qui Euangelio & promissioni gratiæ credunt: quæ fides ita efficax est in illis, ut ad pœnitentiam agendam illa pertrahantur. Hinc fide dicimur iusti, sancti & bea-

Quid sit iustificatio.

Fide iusti.

ti esse coram Deo: ea tamen, quę sic est efficax in nobis, ut totum hominem renouet. Non quod poenitentia nostra sit partialis caussa iustificationis: quia iustificatio contingit & donatur ante omnia opera nostra, quæ pro bonis coram DEO haberi possunt. Sed quia uera in Deum per Christum fides non est res mortua: sed talis, ut eam poenitentia obedientię nostrę sequatur. Proinde quos terruit lex, & contriuit, & in desperationem salutis coniecit, eorum pauidę conscientię iterum consolationem capiunt, & eriguntur in spem salutis æternę, consolatione Euangelij, propter Christũ. Sed de hac fidei doctrina cęca est & crassa ignorantia apud scholasticos theologos: relabuntur enim in doctrinam legis, & remissionem peccati fingunt obtineri per merita operum & satisfactionum nostrarum.

Scholasticorum opinio de fide.

Sic enim sentiunt Scholastici, fidem per se, rem esse informem, ociosam, inutilem ac mortuam, ut quę etiam impijs, & qui in peccatis mortalibus uiuunt, contingat. Deinde addunt, fidei formã esse dilectionem seu bona opera: quę uidelicet fidem efficiant fructuosam, & qua demum peccatores iustificẽtur. At illa assertione detrahitur Christo mediatoris honos, & redemptoris officium: & iustificatio negatur gratuita esse, seu per misericordiam fieri: Item, transfertur in nostras iusticias, quasi sit debita merces & pręmium, quod de condigno operibus nostris reddatur. In summa, hoc asseritur, Impium operibus seu uirtute ac uita fidei, iustificari, uiuificari a peccato & æterna morte saluari. Sed scriptura gratiæ, non operibus: Christo, nõ legi: fidei, non meritis nostris, acceptam fert nostri saluationem. Hinc est illud: iustus fide sua uiuet. Non utiq; operibus: sed fide, qua uidelicet adprehendit, sicut gratię donum, iustificatorem & redemptorem Christum. Et habet ea in Christo æternam uitam. i Ioan. v. Qui credit in filium, habet testimoniũ Dei in se Qui uero non credit Deo, mendacem facit eum: quia non credit in testimonium, quod testificatur deus de filio suo. Et hoc est testimonium, quoniam uitam æternã dedit nobis Deus: & hęc uita in filio eius est. Qui habet filium Dei, habet uitã, qui nõ habet filiũ dei, uitã nõ habet. Ergo fides nulla exteriore, seu accessoria forma, uirtute & efficacia, opus habet, sed per se est ornatissima apud deũ, & perfectissimę beatitudinis, pulcherrima, uiuacissima, sanctissima & efficacissima uirtus, propter Christũ, quem homo per fidẽ, in cor suum, ut unicũ, perfectissimum & ęternũ thesaurum, includit.

fidem.

Illud quidẽ uerũ est, opera bona sequi debere nostrã fidẽ, quod nos melius docemus & confitemur, quam omnes aduersarij nostri. Sed fidẽ sequuntur, in illius confessionem, exercitium & confirmationem, non ut coniuncta fidei mereãtur homini iustificationẽ. Nõ pertinẽt eñ opera nostra ad illius meritum: quia sanguis Iesu Christi filij Dei, emundat

nos

tios ab omni peccato. Sed pertinent ad fidei confessionem, gratiarū actionē, exercitiū, et cōfirmationem. Et quia hęc exercitia sunt necessaria, tanq̃ uerę fidei fructus, ideo dicit Paulus, corde creditur ad iusticiam, ore fit confessio ad salutē. Non sentit, ꝙ nostra confessione salui efficiamur: quia premittit, corde credi ad iusticiā, hoc est, fide impium & peccatorē iustificari. Postea addit de fidei fructu, quo iusti Deū glorificamus: ore fit confessio ad salutē. Nulli em̄ licet deesse in cōfessione Christiana glorię dei: uel periculo ęternę salutis, sicut docetur Matth. x. Luc. xij. Et tamen confessor hoc ipsum ore suo profitet̄, q̃d credit in corde: nempe, se non propter confessionē, seu ulla legis opera, sed per misericordiā, propter Christum saluari a peccato & ab ęterna morte. Sic ergo dici possit, quod bona opera ornent fidē, ut fructus & effectus fidei: nō uiuificant, nec efficacē reddūt, seu forma quę dat esse rei & uitā, quasi illis saluationē mereamur. Hęc em̄ est donū & gratuita beneficētia Dei, quę sola fide accipitur & possidet̄: uidelicet, adprehenso in fide iustificatore Christo, quē quisquis habet, habet iusticiam & ęternam uitam.

Cū igit̄ fide consolationē Euāgelij cōcipimus, de placato nobis deo, & remisso peccato, propter Christū, tunc corda nostra, prius pauefacta, territa & cōsternata lege, iterꝫ respirāt et uiuificant̄. hoc est, iustificant̄ seu absoluūtur a peccato & a morte. Creat̄ aūt in nobis hęc fides a deo, Euāgelij promissiōe & spiritu sancto. Quo rursus intelligere est, q̃ fœde & turpiter errent, q opeꝶ iusticias fingunt caussam saluationis esse, quasi lex sit iustificationis doctrina: sic em̄ abijciunt gratiā. Gal. ij. Aut quasi Euangelij annūciatio, sit doctrina de iusticijs nostris: cū in illa, de sola gratię promissione, & Christo iustificatore, agatur. Nā doctrina de nostris iusticijs, est legis doctrina: non Euāgelij. Quanq̃ aūt & de nostris iusticijs, & nostra obedientia, cōcionentur Christus & Apostoli, tamen illa opera nostra, quoꝶ debitores quidem sumus, non faciunt iustificationis causam, & uiuificationis seu ęternę beatitudinis: sed hāc transferunt in Euāgelij promissionem & autorē iusticię & uitę Christū, quem a iustificādis oportet fide adprehendi. Ioan. iij. Rom. iij. Eph. i. Gal. ij. & infinitis alijs locis: quibus derogatur nostris operibus meriti saluationis gloria, quam illis tribuunt Sophistæ.

Ergo fide liberamur a peccato et morte: & is ē principalis fidei effectus. Eius aūt signū, qn̄ uera nobis adest fides, ē pax in corde: hoc est, q̃dā certitudo et securitas saluationis et recōciliati dei ꝓpter Christū Ro. 5. Hac igit̄ uincimus oēs terrores in cōscientia: quas excitat alioq pc̄tm̄: et metū ęternę mortis excludimus. Et in oībus afflictiōibus, quas ꝓpter Christi nomē sustinemus, duramus. Et cōfessioni glorię dei, in oībus studijs et tota nostra uita nō possumus uelle deesse. Sed de his oībus effectibus fidei, q cōspiciunt̄ in iusticia morū & opeꝶ bonoꝶ, cōmodius alio loco dicet̄: et dictū est nonnihil, in superiore parte, de cōtritione, in cap. de legibus &c,

Proinde hæc obiter & paucis omnia: quæ suis quæque locis copiose explicabuntur. Nunc enim satis est tenere, liberationem nostri a peccato & morte, nō fieri, nec obtineri a nobis, nisi gratuita misericordia dei, propter redemptorem Christum. Deinde eius beneficij fide, pauidas mētes, consequi ueram consolationem & pacem coram deo: sine qua nemo acceptus illi, aut beatus fieri potest. Denique iusticiam operum uere bonorum non aliunde proficisci, quam ex hac eadem misericordiæ Dei fide, propter Christum.

QVOD IMPOSSIBILE SIT, HOMINEM *coram Deo per legem, seu meritis operum suorum iustificari.*

CAP. II.

NVnc Pauli sententiam, quam in hac iustificationis doctrina, uice status, ut dixi, sequar paucis docendi gratia partiar in duo capita. Nam & Paulus duo in ea prædicat & affirmat: prius, neminem per legem unquam potuisse iustificari. Nec sunt illius aliæ rationes & causæ, nisi quod plura, sublimiora & sanctiora nobis præcipiuntur per legem: quam ab ægra natura, serua peccati & Diaboli, fieri & præstari queant. Lex enim spiritualis doctrina est, qua a nobis non externa opera solum, uerumetiam animorum puritas exigitur: perfecta in deum fides, sine omni hæsitatione, uerus dei timor, uera dilectio, spes firma in omnibus calamitatibus & morte. Dilectio proximi uera & durans: ut quæ nulla ingratitudine, nulla offensa, seu amicorum seu aduersariorum & inimicorum, superari, uinci ac frangi possit.

Infirmari legem per carnem.

Vocat igitur Paulus infirmari legem per carnem, quando legis conatus optimus ille, qui est exigere perfectam iusticiam & obedientiam, frustratur, debilitatur, & in nihili obedientiam cadit, propter imbecillē naturam, peccato obnoxiam: nisi quantum peccatum nostrū retegit nobis & ostendit, & conuincit, quod debitæ obedientiæ nemo prorsus soluendo esse potest. Adeoque iræ diuinæ sententiam in nos confirmat: iuxta illud. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Hoc igitur principale legis officium est, exigere perfectam iusticiam: sed quia incidit in carnalem naturam, nihil efficit, seu potest efficere lex, nisi accusare peccatores, reos agere, iram & damnationem in peccatores prædicare. Et hæc est pars prior de lege, spirituali & arcana doctrina, quæ est rationi humanæ prorsus ignota & incomprehensibilis.

Altera parte docet Paulus, quod per gratuitam gratiam dei & redemptorem Christum iustificemur, seu liberemur a peccato & morte: in quo uidelicet, legem destituit successus. Christus enim filius dei, pro redimendis nobis incarnatus, passus, mortuus, & glorificatus resurrectione a mortuis & æterna gloria, pro peccatis nostris satisfecit, mortem destruxit, & Diaboli tyrannidem oppressit, ac legem chirographum

phum contrarium nobis deleuit. In summa, peccatum, maledictionem & mortem abstulit: & nos deo reconciliauit. Denique & spiritum sanctum promeruit: quo nos gubernat & regit, ut poenitentiam agamus, & mandata dei seruemus ac faciamus. Vt clarum est in Pauli uerbis, hæc beneficia nobis per Christum contigisse, prædicari. Quare de hac tota ratione subinde copiose dicemus; & nunc, quæ prioris partis sunt, tractabimus.

Non obscura uox est legis, Deut. vi. Diliges dominum deum tuum, toto corde tuo, tota anima tua, & tota fortitudine tua. Et ei similis: Leui. xix. Diliges proximum tuum sicut teipsum. Ac constat, quod sine his duobus mandatis perfectissime obseruatis, nemo possit de perfecta obedientia erga legem gloriari, quascunque operum iusticias habeat. Et rursus clarissimum est, legis exactioni, quæ in hoc compendio istorum mãdatorũ summatur, & comprehenditur tota, sicut Christus testatur, Mat. xxij. a nemine prorsus per iusticias operum suorum posse satisfieri. Non enim reputantur in iusticiam coram deo, opera quæ mundicia & puritate cordis destituuntur. Hæret autem in carnali natura impia quædam ignorantia & contemptus dei: & concupiscentia immodica, contra omnia quæ deus requirit & præcepit, sicut docui in loco de peccato. Quare non modo non diligit perfecte homo deum, & legem: uerumetiam odit, & seruiliter metuit. Sed & quomodo amare posset, quem non nouit? & si per legem cognoscit, non tamen audit uel intelligit deum uelle alium esse, quam rigidissimum iudicem contra peccatores?

Legi nemo potest satisfacere.

Quis est ergo, qui in nullo præcepto opere deficit: & in omnibus perfectus est? & si deficit, (quod uerum est in omnibus hominibus. Nemo enim potest dicere mundum est cor meum, purus sum a peccato.) quomodo potest legem & iudicia dei, iusta, uera & sancta amare? Quis timet, fidit, sperat, amat, obedit, quantum debet? Quis tolerans est afflictionum & mortis: ut illas sine murmure, & sine omni ira malæ opinionis de deo perferat? Quem nunquam perturbat in proposito operis boni, praua & uiolenta concupiscentia carnis? Quis ita diligit proximum ut semetipsum: ut una sit erga amicos & inimicos dilectione præditus? Imo in quibus ea est operum externorum obedientia, ut ueraciter gloriari possit, se nunquam ulla in parte deliquisse, & negligentius egisse? Cum igitur sint tantæ transgressiones, quarum etiam nullus modus est, nec finis, in omnibus nobis contra legem: qui fit, quod de nihili iusticijs nostris contra gratiam & Christum Iesum, tam superbe, arroganter & impie gloriamur, quasi per eas, gratiam saluationis mereamur? Quæ quidem eo pacto non esset gratia, sed debita merces; & homini summam glo-

riam afferret, qua illi confidendum esset & gloriandum. Quod quam sit impium, uel cogitare, infra dicetur.

Sic ergo statuamus potius, hominem sibi relictum, & sine gratiæ auxilio constitutum, non posse nisi peccare: & haud quaquam consentiamus insipientibus Sophistis, qui homini tribuunt perfectionem iusticiæ, per opera legis. Huc facit illud Pauli Roman. iij. Caussati em̃ sumus omnes sub peccato esse: sicut scriptum est. Quod non est iustus quisquam, non est intelligens, non est requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. Et mox subijcit exempla enormium criminum: quorum accusat reum totum mundum: scilicet, carnalem naturam, regnum & imperium Diaboli. In tentatione enim omnes in similia uicia ruunt: & nemo sanctius uiuit, nisi quem liberauerit gratia Iesu Christi. Tandem concludit legis doctrinam non ualuisse neque ualere, quam ad ostensionem & accusationem nostri peccati. Quare iusticiam & saluationem, nemo per legem assequi potest: nisi qui potest sua ipsius uirtute legi plenissime obsequi & satisfacere, imperium peccati & Diaboli de ceruice sua excutere & sine misericordia Dei, sine Christo redemptore, & sine spiritu sancto, iustus, beatus & saluus esse.

Sed Theologi Scholastici tribuunt homini, quod legem Dei possit implere, & proprijs uiribus Deum supra omnia diligere. Quãquam autem res ipsa & experientia aliud doceat, ut ostendi: tamen in confirmationem suæ impiæ opinionis existimant seruire, omnes condicionatas promissiones: & addunt, uideri absurdum esse, legem scribi a DEO, quam homines facere & implere non possit: cum longe absurdissimum sit, arrogantissimum & iniquissimum, uel somniare, quod legem diuinam spiritualissimam & sanctissimam doctrinam, carnalis natura facere & implere possit. Quid est enim omnis caro ad Deum & ad legem, uere igneam in dextera eius, comparata? Quid, nisi fœnum & stipula, quam uorax flamma absorbet? Longe melius sapuit, qui dixit: Et ne intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Sed uide assertionem: tribuunt homini potentiam absolutæ iusticiæ efficiendæ coram Deo, cuius nullum exemplum possunt ostendere, & cui assertioni omnis experientia refragatur. Nam perfectam obedientiam erga legem nemo unquam præstitit, nec potest præstare: quæ una ratio satis potest os impijs obstruere & opilare. Experientia enim, ut dixi, conuincimur omnes.

De conditione legali.

Cæterum conditio, qualis in lege proponitur, ut est illa: Conuertimini ad me & ego conuertar ad uos, non arguit possibilia esse, uiribus

tribus nostris, mandata Dei. Nam primũ, si possibilia nobis diuina mãdata essent, certe nasci in peccato, esse seruum peccati, esse sub imperio Diaboli, & natura filium irae, homini in arcanis literis non recte tribueretur. Posset enim absolutam iusticiam suis uiribus praestare: & sic neque peccator, nedum seruus peccati & Diaboli, neque filius irae esse. Deinde, nihil opus esset nobis gratuita remissione peccati, aut beneficio mortis Iesu Christi, aut regeneratione per spiritum sanctum: quia homo sua dignitate, & suis meritis posset saluationem habere. Oportet igitur conditionis aliam rationem esse, quam imaginantur Theologi rationis. Deinde, multa in omnibus caussis dicuntur per conditionem, quae sunt impossibilia. Ad impossibile enim, ut aiunt, sequitur quodlibet. Sunt igitur impossibiles conditiones, cum dico: si amens & furiosus iste cerneret sua mala, quiesceret. Si caecus ille, beneficio oculorum suorum uteretur, non impingeret tam saepe: si stipiti & trunco hanc de lege doctrinam explicares, citius & foelicius doceri posset, quam doctores iusticiae rationis. Si homo perfecta obedientia faceret totam legem, non immerito gloriari posset, de absoluta & perfecta iusticia coram Deo. Si Deus est hypocrita, uanus & mendax, acceptat haud dubie & probat hypocritas, uanos & mendaces. Qui fecerit haec, uiuet in eis. Hoc fac, & uiues. Et tamen istae omnes conditiones sunt uerae, a positione antecedentis. Sed uide quantis probationibus opus sit ad ueritatem antecedentis.

Non aliter sunt impossibiles conditiones in omnibus legalibus promissis. Adpropinquate Deo, & adpropinquabit uobis. Quaerite, & inuenietis: Si quaesieritis me, inueniar a uobis. Nam Deus, ut abrogaret legis impossibiles conditiones, nouas alias per Euangelium proponit: uidelicet tales. Qui credit in filium DEI habet uitam aeternam. Qui incredulus est filio, non uidebit uitam: sed ira DEI manet super eo. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Qui uero non crediderit, condemnabitur. Potestatem dedit filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. His enim conditionibus requiritur a nobis, non perfectio aut dignitas iusticiarum nostrarum: sed gratiae fides, ne unquam de iusticijs nostris, sed gratiae dono gloriemur. Et nouis conditionibus, abrogatur legis conditio, ne illa perpetuo possit accusare & damnare peccatores. Quatenus enim credunt in Christum, & spiritu illius ducuntur, non sunt sub lege: Roman. vi. Gala. v. *Euangelij conditio.*

Porro, conditione legali incitamur, ut melius intelligamus, quanta sit imbecillitas ad resistendum peccato in natura: siue ad prestandam perfectam iusticiã, exactam in lege. Deinde, conditio aliter loquitur pijs & aliter impijs. Incredulos enim & impios cõuincit conditio quod eter-

narum maledictionum sunt rei; pios autem, qui credunt in Christum, & qui uirtute spiritus Christi agunt poenitentiam, non potest conditio accusare. Sicut Paulus dicit: aduersus tales, nihil habet lex. Sic enim per Euangelium, Christum & spiritum sanctum possibile fit, quicquid per legem erat impossibile. Non tamē operibus nostris conditionaliter quicquam meremur: sed per gratiæ conditionem, iusti, beati & salui sumus, quatenus credimus in Christum: cuius spiritu in omni debita iusticia perficimur. Sed cum incidit conditio in carnalem naturam, illa legalis, declarat quanta immundicia peccati hæreat in natura: & quanta impossibilitas, ad faciendam legem. Ideo impellit hominem, ut uiā aliam quærat, qua cum deo redire in gratiam queat, quam iusticias legis. Istis eñ pertingere ad deum, & ad beatam uitam, nemo potest. Quia nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, filius hominis qui est in coelo, Ioannis tertio: & cui per hunc filium hominis contingit ascendere, hac conditione: Sic deus dilexit mundun, ut filium suum unigenitū daret, ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat uitam æternam.

Lex præcipit de affectuum puritate.

Sed Theologi scholastici, non agnoscunt, legem ita rigide præcipere, de perfecta obedientia & affectuum puritate: sed de externis factis illā solum exponunt. Quid ad nos? Habeant sibi suum crassum & impium errorem. Nam ipsis opponimus clara legis uerba: ut hæc duo summa mandata, de diligendo deo & proximo. Item mandatum contra concupiscentiam. Deinde testimonium & autoritatem Christi: qui legem de interna affectuum puritate exponit: & affirmat, hanc superbam & pharisaicam iusticiam, quam docent Scholastici non sufficere legi. Peccatum enim cordis significans per legem damnari, ait: ut refertur Matthæi v. Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Item, Omnis, qui uiderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Et Ioannis iiij. ait: Spiritus est deus, & eos qui adorant illum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Hinc & Paulus dicit. legem esse spiritualem doctrinam: ideo nimirum, quia requirit cordium nostrorum summam innocentiam, puritatem & pietatem. Vt hæc omnia supra: in parte de contritione, loco autem de legibus copiose dixi: ex quo plura, quæ huc faciant requiras.

Denique ipsi quoque prophetæ, in prædicatione gratiæ, quæ est noui testamenti, promittunt nouam quandam cordis iusticiam: utique sine qua nemo iustus coram deo esse possit, & quæ tamen in carnali natura non reperiatur: sed cuius autor nobis futurus sit spiritus sanctus, qui propter Christum datur. Testimonia habes Hiere. xxxi. Ezech. xxxvi. &c. Nemo igitur per legem potest iustificari: sed iusticia gratiæ per Christum & spiritum sanctum erimus beati.

Sed quid, si dare possis ex millibus unum hominem: imo uero in millibus

libus ne unum excipere, nisi de infantibus loquaris, qui non sit reus ali-cuius externi facinoris: ut idolatriæ, auariciæ, ambitionis, adulterij, for nicationis, immundicię, contentionis, rixæ, ebrietatis, & similium? ut sunt hæc uicia non rara in mundo. Quam ergo tunc monstrabis uiam miseris euadendi mortem? Num pars hominum maxima, in fauorem Sophistici erroris pręcipitabit se in ęternam desperationē: quia debitum perfectæ iusticiæ, quam potuit præstare non absoluit? Aut tunc ne per legis opera, pro præuaricatione & transgressione legis satisfacturus est? At omnes homines priusquam relabuntur, & protinus quam nascuntur, sunt debitores perfectæ obedientiæ: ut uel hac ratione nisi mediaret gratia nemo saluus fieri posset, nisi infantes, ut utilissimum esset & beatissimum in baptismo suffocari.

Peccata remittuntur non per iusticias nostras, sed per redemptorem Christũ.

Sed o pulchram Theologiam, qua in tantas difficultates & abominationes protrudimur. Velim igitur audire, quam cōsolationem possent doctores operum conscientiæ afflictæ, & eo pacto quo dixi, in periculo desperationis deprehensæ, afferre? non enim remittit deus peccata, propter iusticias legis, seu nostras: sed propter redemptorē Christum. Ioan. primo. Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Item, i. Ioannis primo: Sanguis Iesu Christi, emundat nos ab omni peccato. Ergo nemo per legem iustificatur coram deo. Quid uero, si audiatur uox legis, requirens a nobis non dictorum solum & factorum, uerumetiam cordium nostrorum, & penitissimorum affectuum puritatem, num tunc satis erit in periculo conscientiæ respondere? hoc uideri absurdum esse, ut plura præcipiantur nobis in lege, quam præstare possimus. Et, mitigandum esse legis rigorem aliqua cōmodiore expositione: Item, hoc ita placuisse multis Theologis, prudentibus, sanctis & pijs uiris? Nō erit satis. Quid enim si errauerint omnes isti? Et tamen hoc tempore multi ista responsione debellatum esse clamant: nihil ultra periculi restare in tāta causa, quin se plane ac prorsus nodi difficultate alioqui indissolubilis explicuerint. Hypocritis igitur placent istæ responsiones: non tamen satisfaciunt luctanti conscientiæ, cum terrore mortis & desperationis: sed magis illam inuoluunt, cũ sentiat onus legis, cuius exactioni nunq̄ satisfacere possit.

Quibusdam etiam uidetur satis esse, si in tanta difficultate doctrinæ & dissidiorum, allegent nobis consensum Ecclesiæ Romanæ: quæ uidelicet, tradat, quod per opera nostra remissionem peccati nobis mereamur. Esse enim fidei magistram: & hęreticum esse, qui contrarium sentiat ac statuat, quam ipsa de facto tuetur. Huic addunt autoritatem Romani Pontificis idem statuentis: cui tribuunt, quod solus possit pro arbitratu suo omnes scripturas interpretari & limitare, & hac sua limitatione, tāquam regulæ fidei infallibili standum esse. Sed nihil his dictis promouebunt: quamdiu doceri potest, consensum Ecclesiæ Christi,

Christū ipsum, prophetas et Apostolos aliter sentire statuere & docere.

Hieronymi dictum. Recurritur etiam ad Hieronymi uerbum, qui scripserit: Anathema esto, qui dixerit deum impossibilia praecepisse. Sed cur non anathema potius Hieronymus, quia tam audacter sentit contra deum? Precor pios lectores, ut mihi ignoscant, & permittant ita loqui in Hieronymum, cuius scripto hypocritae abutuntur. Nam Hieronymi exemplo, hic non nihil ostēdam, quam sit nepharium, hominū scripta uerbo dei opponere: nedum si corrupta sententia & dicto autoris, illa contra dei uerbū abutaris. Dicit em̄ Paulus aperte, impossibile fuisse hoīes iustificari per legē: sed cur hoc, nisi quia mādata diuina sunt carnali naturę impossibilia?

Unde fit, cū uerbum hominis uerbo Dei opponitur. Quid igitur Hieronymus, homo, a quo non fuit alienum, posse falli & fallere, mētiri & blasphemare, obijcitur tam claro uerbo dei, qui solus fallere, falli ac mentiri non potest? Quem praesertim loquentem, necesse est, ut metuant ac tremant omnes ubique creaturae, coelestium, terrestrium & infernorum? An uero Hieronymus est aliquid plus quam homo? cur autem Hieronymo cogor credere, dicenti sententiam sine autoritate uerbi dei, imo contra uerbum dei: cum mihi nolis credere loquenti cum scriptura? Nihil igitur impediat reijcere uerbum hominis, quem constat aperte blasphemare, & uerbo dei contradicere. Nam infra claris & irrefragabilibus testimonijs sacrae scripturae euincam, mandata dei prorsus impossibilia nobis esse. Igitur sit etiam angelus Hieronymus, anathema est, si constet eum sentire contra deum. Gal. primo.

Quare pios homines, huiusmodi obiectiones, ne dicam cauillationes, contra gratiae doctrinam, nihil moueant: siue ex Hieronymo proferantur, summo uiro, siue ex alio quocunq; magni nominis scriptore. Nam conscientiae nostrae astrictae sunt uerbo dei: nec coguntur assentiri & seruire hominum dictis. Et summi scriptores, non minus iudicii aeterni sententiam metuere coguntur, quam nos. Non contemno Hieronymi autoritatem: sicut nec ullius alterius hominis: sed doceo, ubi & qua in re nihil ualeat. Non enim efferri potest supra autoritatem uerbi dei. Hieronymus enim non est supra uerbum dei: sed illius autoritati cedere cogitur, ut omnes sub coelo homines. Quorum autoritas non minus ualere debet, si quid ueri nos doceant, quam Hieronymi: iuxta illud: Omnia probate, quod bonum est tenete.

Age igitur, sint rudes & indocti, qui te doceant, non debes reprobare doctrinam, modo pie & uere te doceant. Rursus etiam, sint summi uiri & eruditi, a quibus doceris, non debes recipere & adprobare, si quid falsi & impij protulerint. Et tamen sunt hoc tempore multi, qui Euāgelij decreta, uel labefactare, uel prorsus refutare se posse confidunt, si nobis Hieronymi uel alterius hominis eruditi dictum opponere possint. Nō de hominum opinionibus litigamus, nō de numerosis suffragijs

gijs eruditorum & sanctorum, sed de uera & germana sententia uerbi dei, cui omnes creaturę honorem & reuerentiam debemus, & stare eius dicto, & nullo modo contra hoc mutire. Idem de præscriptionibus tẽporum dixerim. Quanquam uerbum & ueritas dei, antiquior est omnibus creaturis. Cum igitur manifestum sit legẽ diuinam a carne & ab imbecilli & ægra natura fieri non posse, nihil moueat nos, si isti ueritati alicubi contraria sentire & statuere homines uideantur, cũ pręsertim idonea ratio reddi possit, cur non tam sublimia mandata sint nobis posita a deo, quæ nemo uiribus suis implere possit: de qua non semel dixi, & infra pluribus de illa scribam.

Christianis præcipitur, ne quẽ alium doctorem audiant, uel recipiant, pręter quam unicũ illum magistrum suum Christum, qui autoritatem suam in eos Apostolos transtulit, qui nos docuerunt uerbum dei: uidelicet, Euangelium de gratuita remissione peccati & uita æterna, per Christum. Item, de uera poenitentia, quam in nomine Christi præstemus. Neque enim in alios quadrat hoc uerbum Christi: Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Lucæ x. In alios qui hoc uerbum, quod dixi, non docent, & tamen uolunt pro Ecclesię doctoribus haberi, cum diuersum doceant, dictum est: Attendite a pseudoprophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium: intrinsecus autem sunt lupi rapaces.

Qui nomine Christi sint audiẽdi & recipiendi.

Nam in rebus, quę faciunt ad gloriam dei, & ad nostram æternam salutem, quid posset ueri ac firmi ab homine, sine, extra & ultra uerbum dei doceri, statui ac disci: cum præsertim animalis homo, non percipiat ea, quæ sunt spiritus dei: quinetiam stulticia sint illi, neque possit percipere i. Cor. ij. Vide ergo quam sint inepti, qui in re iustificationis nostræ coram deo, & in quæstione de æterna uita, audent nobis hominũ doctrinas, ne dicam uana & inania somnia rationis obijcere. Satis iam & plusquam satis exemplorum est, præstaret enim minus esse, quibus tamen omnibus uix sero deprehendimus, quomodo per commnenta doctrinarũ hominum, a ueritate uerbi dei deiecti sumus & depulsi. Christus dicit: oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me. Et ego uitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.

Hæc in nullum prorsus hominem quadrant, pręterquam Christum filium dei. Stultum est autem & impium alij tribuere, quod soli Christo debes, uidelicet, nunquam errare posse, & neminem fallere. Hoc ergo, si de Hieronymi scriptis affirmetur, seu de Romani Pontificis uoce, planum est quo spiritu dicatur, si pręsertim pertinatia asserendi impij dogmatis accessit: quod imperitis præbuit lapsus occasionem, & erroris.

Sed hæc hactenus per occasionem transtuli in Hieronymi personam:

Hieronymus seipsum expo nēs quatenus sint possibilia aut impossibi lia mandata De.

ut obiter admonerem, quid omnibus his cauillis & obiectionibus respondere conueniat, quae ex hominum doctrinis, sacrosanctae & inuiolabili autoritati uerbi dei obijciuntur. Caeterum Hieronymus non ignarus scripturae sententiae, dicitur sese exposuisse, in quodam suorum Diaogo: possibilia uidelicet esse cōfessus, diuina mandata, per gratiam: impossibilia autem uiribus naturae. Sic enim iugum Domini suaue est, & onus leue: utique per gratiae spiritum. Et sic mandata dei grauia non esse, dici intelligendum est apud Ioannem. Primum enim per gratiam remittit nobis deus omnia peccata: deinde implet ipse in nobis sua mandata, per spiritum sanctum: & postremum, si qua in re deficimus, id totum ignoscit nobis propter Christum. Hic sunt omnia suauia, facilia, prompta, expedita & iucunda, si quid agendum est, aut patiendum, nomine Christi: quę alioqui, & per se, sunt difficilima, durissima & prorsus impossibilia, carnali scilicet naturae.

Quare etiam magna & intolerabili iniuria afficiunt Hieronymum, qui ei hoc dictum: Anathema esto, qui dixerit deum impossibilia pręcepisse, tribuunt, sine hac intelligentia, quam ipsemet piam in suis scriptis posuit. Maior autem iniuria est istorum in Ecclesiam & Iesum Christū, qui imperitis, seu per truncata patrum dicta, seu in alienum sensum detorta, imponunt, & imponere non cessant. Nam hoc morbo peculiariter laborant Sycophantae horum temporum, nostri aduersarij, Pontificū adulatores: qui omnia scripturę sacrae contemnunt, & hoc unum agunt ut mandata & doctrinae hominum regnēt, Christi gloria etiam penitus oppressa & proculcata. Et iubent, ut idipsum quoque & nos faciamus: sed propitio Christo hoc nunquam impetrabunt.

Absurditas opinionis, qua sibi tribuūt homines, quod mandata Dei poßint implere.

Iam ad rationem hanc festiuam eamus, quae fingit grande piaculum committi, si quis dicat mandata dei impossibilia nobis esse. Ostendi autem supra, longe impudentissimum & arrogantissimum esse, id sibi tribuere hominem quod mandata dei implere possit. Est enim nimia carnalis pręsumptionis temeritas: fugienda pijs, ut quam deus odit & punit. Et quidem grauissimis poenis, sicut uidemus, excaecationis uidelicet, & duricia cordis: ne credant Euangelio gloriae Christi, & credentes salui fiant. Valeat igitur ista uanitas & stulticia superbae gloriae carnis: & det locum glorię Christi, & spiritui sancto. Primum, quia habemus clara & irrefragabilia testimonia, quae aperte conuincunt, mandata dei supra uires nostras esse: & de illis testimonijs paulo post agemus. Deinde, per Euangelium docemur, sola misericordia dei propter Christum: nos seruari a peccato & a morte. Neq; uero opus esset nobis, illa misericordia si mādatis dei ipsi satisfacere possemus. Et adprehendi a nobis illa misericordia per fidem debet: quia per uires suas nemo potest mandata dei implere, & sine peccato esse. Sed & spiritu sancto indigemus, qui nobis do-

bis donet noticiam dei & seruatoris Christi: adeoque faciat nos facere & implere Dei mandata.

Qui tantis argumentis nihil permouentur, ut dent gloriam deo, & minus arroganter de uiribus suis & iusticijs carnis sentiant, eorum furiosos clamores nos quoque contemnamus. Et ne existimemus absurdū esse, si quid in arcanis literis, in quibus agitur de diuina sapientia, non de sapientia carnis, doceatur: utcunque ab humana ratione capi & intelligi non possit. Si enim magistram & dominam rationem, pro iudicandis fidei rebus, uelis in consilium adhibere: quid obsecro te, non erit absurdum? imo, non ridiculum, ineptum, uanum ac penitus stultum? Ac satis nos docent plurima exempla horum temporū, quo prolabantur tandem, qui res fidei, pro rationis humanæ captu iudicant & metiuntur. Paulus dicit, spiritualia spiritualiter examinari, hoc est, spiritu sancto, per uerbum dei nos docente, & fide nostra, intelligi & capi. Inde enim certum est, eum qui uerbo dei credit, decipi ac falli non posse. Quare omnes boni captiuant rationis iudicium in obsequium uerbi Dei: & illo se gubernari patiuntur.

Iam uero priusquam scripturæ testimonia proferam, illa quæ nobis potentiam efficiendi ueram iusticiam, seu perfectam obedientiam erga legem, adimunt, dicendum paucis erit, quatenus a carnali natura lex fieri possit: Neque enim delectum rerum tollimus prorsus: nec arbitrij libertatem ita negamus, quia omnia fiant per meram & absolutam necessitatem. Experientia enim notum est, & usu omnibus perspectum, aliquo modo in potestate hominis esse, fugere quæ lex damnat ac reprehendit: & facere quæ requirit. Sed ita concedimus, quod extrinseca legis opera ratio aliquo modo facere possit. Sed carnalibus affectibus imperare non potest: etiamsi aliquo modo resistere illis possit, ne in externis operibus prauis regnet. Cæterum pios & sanctos motus cordis, quales lex requirit, solus deus spiritu sancto creat in nobis.

Questio de arbitrij libertate.

Cum ergo de externis operibus quæritur, seu de externa iusticia, cōcedendum est hanc aliquo modo in hominis potestate esse: sed addenda tamen correctio est, nisi peccatum, quod hæret in natura, & extrinseca uis Diaboli impediat. A peccato enim, cuius serui sumus, priusquam a Christo liberamur, quot obsecro modis impeditur in nobis propositum boni operis? Quem enim non uincit aliquando ira, cupiditas habendi, quæ dicitur auaricia, ambitio, inuidentia, animus libidine incensus, & subiti alij praui motus, uere uiolenti in natura, ut indigna bono uiro, ne dum Christiano, admittat. Nec aliter sunt uiolentę inspirationes Diaboli, in eo qui nō gubernatur fide in Christū, & spiritu sancto. Sicut liquet ex illo Pauli, ubi affirmat aduersarios doctrinę ueritatis esse in Diaboli laqueis, & captiuos teneri ad ipsius uoluntatem. ij. Timoth. ij.

Sed sine horũ consideratione, quatenus homo sequitur iudicium & delectum rationis, non impeditus, nec a peccato, nec a Diabolo, concedendum est, quod possit aliquo modo facere externa legis opera bona: quorum etiam debitor est coram Deo, etiamsi absq; spiritu sancto, & sine interna renouatione illa præstet. Sic profecto non erat nulla operũ iusticia, quam Paulus præstitit adhuc pharisæus: qua etiam melior fuit, & magis placuit Deo, quam flagitiosi a quibus Deus & lex in totum cõtemnebatur, si impia opinione caruisset. Sic in Gentibus multi fuerunt, qui prę stiterunt singulares quasdam & summas uirtutes: sed non ideo sunt iusti habiti coram Deo, siue beati. Necq; dici de illis potuisset, quod perfectam obedientiam erga Dei mandata ideo habuissent: etiamsi in externis nunquam deliquissent.

Phil. 3.

Non ergo negamus, operum legis iusticiam nullam prę stari ab homine, sine spiritu sancto, posse: sed docemus, per uires nostras non posse legi satisfieri, & hominem perfectę iusticiæ esse. Et ideo de meritis operum nostrorum desperandum esse: & ad gratię asylum refugiendũ. Eius enim alius finis spectari debet, quam est meriti remissionis peccati: quæ contingit solis qui in misericordiam Dei credunt, propter Christũ. Finis est politicus, ut pax in terris & externa rerum tranquillitas conseruetur: & bene ac fœliciter apud homines uiuatur, de quo docet nos Paulus Gala. iij. & prima Timoth. primo. Sed Sophistę hunc finem transferunt ad spiritualia, ubi agitur de remissione peccati, perfecta iusticia coram DEO & de salute æterna, stupidissimo & pernitiosissimo errore.

Politicus finis operum externorum.

Quid, quod ista rationis iusticia, quosdam alios motus habet, quibus coram Deo polluitur. Paucos enim reperias, qui ex animo eam prę stet: sed aut pudore prohibentur a uicijs, & metu ciuilium pœnarum. Item cupiditate honoris, & carnalium aliarum uoluptatum bene operantur. Sic millibus affectibus ducuntur autem hypocritę & Pharisæi, qui per iusticias suas contendunt inferni pœnas effugere, gratiam & salutem mereri: sed ita seipsos efficiũt abominabiles idolatras coram Deo, quos propter ignorantiam gratię necesse est inæternum perire. Roman. ix.

Externa iusticia operũ etiam polluta est.

Diserte igitur negamus, quod in hac corrupta natura, possit esse uera & perfecta obedientia, sine spiritu sancto, erga diuinam legem, spiritualissimam & sanctissimam doctrinam. Non tollimus libertatem arbitrij, nisi respectu perfectę obedientiæ, & meriti gratiæ, seu remissionis peccati & uitę ęternę. In his enim constat nullum esse. Nec de externis factis principaliter litigamus: sed de internis uicijs quæ hęrent in natura, sic ut a nemine tolli possint: etiamsi lex prę cipiat, tolli. Item de motibus cordis, erga Deum & legem pijs & sanctis efficiendis: quos constat certe ab homine effici non posse. Et tamen illorum est debitor: & nisi per fidem

dem gratuitæ remissionis peccati liberetur ab exactionibus legis, nō potest saluus fieri. Nulla igitur est arbitrij libertas: quia iusticię nostræ sunt carnales, & non potest illis legi Dei satisfieri, neque quisquam iustus per illas coram Deo esse. Deinde per solam gratiam liberamur a peccato & morte. Sed aduersarij nostri uociferantur, blasphemum & hęreticum esse, si quis doceat, homini deesse facultatem implendæ legis. Sed si liberum est homini arbitrium, in his rebus, de quibus dixi, recte negari, liberum esse: oportet tale esse, ut illo se explicet sua uirtute, a laqueis peccati, Diaboli & æternę mortis. In summa, quo uiuat sine omni peccato: & præstet perfectam obedientiam erga legem, sine spiritu sancto, ut sine gratia Dei, & sine Christo, possit iustus, beatus & saluus esse. Quod si hoc arbitrium defendunt aduersarij nostri, sanctiores pharisæo, iactatore suarum uirtutum, Lucę. xviij. & expeditiores in legis iusticia, quam omnes Pelagiani ueteres & noui: ad quid gloriam gratiæ Dei & effusi sanguinis Christi requirimus? Sin autem tale nec prædicant nec defendunt, quid litigant nobiscum, qui prędicamus gloriam Dei & gratiæ illius, & Domini nostri Iesu Christi? Nec aliud agimus nisi ut homines per legem peccata sua uere cognoscant: & per uerbi gratiæ fidem quærant reconciliationem & ignoscentiam suorum delictorum: cum sine ea nemo saluus fieri possit.

DE SCRIPTVRAE TESTIMONIIS, QVIBVS *docetur, quòd impossibile sit hominum meritis operum suorum iustificari: Item de caussis traditæ à Deo impossibilis legis.*

CAP. III.

NVnc ergo plana est nobis & expedita uia ad proferendum eos scripturæ locos, quibus docetur, legem a carnali natura non posse impleri: & impossibile esse homini ut meritis operum suorꝫ coram Deo iustificetur. Eorum igitur testimoniorꝫ primum sit illud, quod huius doctrinę de iustificatione statum feci: nempe, quod ita legitur Roman. viij. Nam quod impossibile erat legi, eo quod infirmabať per carnē. Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati: & de peccato damnauit peccatum in carne. Si igitur in hac ægra & corrupta natura legi perfectam obedientiam præstare possemus: aut per opera legis iusti coram Deo esse: quam improbū esset, & audax commentum in hac assertione Pauli? uidelicet, quæ dicit: legis conatum, (qui profecto optimus fuit: nempe, præcipere de perfecta & summa coram Deo iusticia.) per carnem, hoc est, imbecillem & ægram naturam, debilitatum fuisse. Nulla sane alia caussa, nisi quia lex scripta non potuit ex peccatoribus iustos efficere: ex filijs Diaboli, filios Dei. Neque enim possunt corda hominum purificari scripta lege. Quare pro iustificandis illis opus fuit mitti filium Dei, & tradi in mortem. Quid istis contradicas?

Nam quia CHRISTVS pro nobis saluandis & iustificandis uenit in mundum: causam habuit, quia nemo potuit lege & meritis operum suorum iustificari & saluari a morte. Si enim per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est. Gal. ij.

Actorũ iiij. Hic est lapis, qui reprobatus fuit a uobis aedificantibus: qui factus est in caput anguli. Et non est in aliquo alio salus. Neq; enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Si igitur per legis opera, tanquam plena & perfecta iusticia, quam lex requirit, potuit homo iustificari, mereri remissionem peccati & uitam aeternam: cur hic dicitur, non est in alio salus, nisi in Christo? Deinde, quorsum additur: neq; aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, si legi, quantum ad debitum perfectae iusticiae, possumus satisfacere: & per opera illius mereri remissionem peccati, & liberationem ab aeterna morte? Num haec tanta opera, & tanta merita, nulla nomina sunt, nulla gloria digna? Siue non praestant potius, atq; excellunt, omnem gloriam meritorum Christi? cum praesertim tantae caussae salutis inde nobis exoriantur? O caeci & blasphemi iusticiarij & hypocritae.

Oportet enim in doctrina de iustificatione, qua detrahitur legi, quod potuerit iustificare coram deo peccatores & saluos facere, semper addere antithesim illam, quae per gratiam Euangelij, promittit gratuitam remissionem peccati, iusticiam & aeternam saluationem, propter Christum, omnibus qui in illum credunt. Si enim necesse fuit Christum mori, pro iustificandis nobis, & redimendis a peccato & aeterna morte: sicut Petrus docet, Actorũ decimo. Huic omnes prophetae testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum: certe adimitur nobis ea nominis gloria & legi, & soli Christo tribuitur. Quomodo igitur dicunt quidam, quod legi satisfacere possint: & illius operibus iusticiam mereri? Quod si legis exactionibus satisfacere possemus, nihil posset deus in nobis reprehendere: nemo sub peccato, & nemo filius irae nasceretur: nec opus haberet quisquam redemptore & iustificatore Christo.

Praedictis accense hanc nobilissimam Pauli sententiam, quae refertur Actorũ xiij. in quadam eius contione: Notum igitur sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccati annunciatur, ab omnibus a quibus non potuistis per legem Mosi iustificari per hunc omnis qui credit iustificatur. Negat aperte iusticiam per legem nobis contingere: & donum remissionis peccati tribuit uni beneficio liberatoris Christi. Quod cum annunciatur nobis per Euangelium, requirit certe fidem gratuitae remissionis peccati a nobis. De caussa autem, cur per legem nulli contingat iusticia: uidelicet, quia legi nemo satisfacit, nec potest

satisfa-

satisfacere, prius sæpe, & plusquam satis a me dictum est. Similia testimonia de gratuita iustificatione nostri per Christum, passim uidere est in literis Apostolorum. Nec aliud habet Euangelij, siue totius noui testamenti doctrina. Nec huius doctrinę de iustificatione, cuius tam non capax est ratio humana, alia usquam ratio reddita est quam ea, quę dicit, quod homines legis exactioni non possunt satisfacere. Cogor enim rem eãdem, usque ad tędium & morositatem, propter morosos quosdam & impios atque blasphemos gratię hostes inculcare. Quare opus habemus in iustificatione nostri, gratuita remissione peccati: quę contigit quidem, & donata est nobis, propter Christum: Lege quę sunt Actorum xv. ubi de gentibus agit, iustificatis sine lege. Inter quos Deus, semper prophanos homines, a iusticia legis alienos, & Iudęos, iusticię legis ęmulos & studiosos sectatores, nihil discreuit. Purificabat enim Gentium corda fide: ut est Actorum decimo, qua emundatione & purificatione semper & Iudęi indiguerunt, cum nemo per legem possit a peccato mundari.

Ex hac eadem ratione nata est Paulo illa comparatio Gentium & Iudęorum: de qua est Roman. nono. Quid ergo dicemus? Quod Gentes quę non sectabantur iusticiam, adprehenderunt iusticiam. Iusticiam autem, quę est ex fide. Israel uero sectando legem iusticię, in legẽ iusticię non peruenit. Quare? quia non ex fide: sed quasi ex operibus. Impegerunt enim in lapidem offensionis: sicut scriptũ est. Ecce ponam in Sion lapidem offensionis, & petram scandali, & omnis qui credit in eum, non confundetur.

Nec possum hoc loco pręterire, quod idem Apostolus in eadem Epistola cap. x. in hæc uerba scribit: Ignorantes iusticiam Dei & suã quęrentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti. Finis enim legis Christus, ad iusticiam omni credenti.

Extat & Roman. iij. pro horum, quæ dico, confirmatione, pulcherrimus locus. Ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo. Et ad Gala. ij. similis: Nos natura Iudæi, & non ex Gentibus peccatores, (uides, ꝙ prerogatiuas iusticiæ operum legis, quæ fuerunt Iudęorum allegat: quas affirmat tamen nihil ualuisse coram Deo, pro impetranda iustificatione.) Scientes quod nõ iustificatur homo ex operibus legis: sed per fidem Iesu Christi. Et nos in Christum Iesum credimus, ut iustificemur ex fide Christi: & nõ ex operibus legis. Propterea ꝙ ex operibus legis non iustificat̃ omnis caro. Quid potuit firmius dici, contra inanes glorias et superbas carnis? Nã profecto gloria meriti iustificatiõis non posset hoĩ adimi, si sufficerẽt ad pręstandã perfectã obedientiã et iusticiã opa legis externa. Quid relinquit̃ ergo, nisi mãdata Dei, nobis esse factu impossibilia: et meritũ lib. arbitrij rẽ esse de solo titulo, & nomẽ sine re;

Est & Ephe. ij. locus, qui maxime huc facit, uidelicet ille: Gratia enim estis saluati, per fidem, & hoc non ex uobis. Dei enim donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, per Christum Iesum, in operibus bonis: ut in illis ambulemus. Hic comprehendit utrunque: gratuita gratia nos saluari, quatenus credimus in Christum: & spiritu sancto impleri in iustificatis mandata Dei. Quorsum igitur de iusticijs nostris gloriamur?

Sed & illud insigniter in iam citato loco notandum est: quod ait, saluationis gratiam dono dei nobis contigisse, nõ ex operibus, ne quis glorietur. Deus enim superbam carnis gloriam non potest ferre. At debebatur gloriæ non minima portio coram deo hominibus, si ipsi per iusticias suas potuissent remissionẽ peccati sibi & uitam æternã mereri. Sed beneficia euãgelij cõtigerunt hoĩbus, ut laudetur gloria gratię dei Eph. i.

Iam tandem accenseã prædictis, & hunc Pauli locum. ij. Timoth. i. Qui saluos fecit nos, & uocauit uocatione sua sancta: nõ secundum opera nostra, (nota exclusiuam.) sed secundum propositum suum & gratiam: quæ data est nobis per Christum Iesum, ante tempora æterna. Manifestata est autẽ nunc, per adparitionem saluatoris Iesu Christi: qui destruxit quidem mortem: uitam autem, & incorruptibilitatem in lucem produxit per Euangelium. Per Euangelium signanter: hoc est, per gratiæ promissiones & Christum: non per iusticias legis.

Nondum tempero mihi, nisi prius & hunc Pauli locum adiecero, qui est Tit. tertio. Cum autem benignitas & humanitas adparuit, saluatoris nostri dei, non ex operibus iusticiæ quæ fecimus nos, sed secundũ misericordiam suam saluos nos fecit. Adeo fuit impossibile ægram naturã per legẽ coram deo, curari: seu iustificari: ut nisi gratuita misericordia intercessisset, per redemptorẽ Christũ, nullus homo potuisset saluari.

Sed iam satis est testimoniorum scripturæ quæ detrahunt legi efficaciam iustificandi: & negant quod per opera nostra saluationem mereri possimus. Sed iustificationis donum tribuunt gratię dei & redemptori Christo: quod habeant quidem, qui in oblatam & gratis donatam gratiam credunt. Iam prudenti & pio lectori facile est iudicare, quanta sylua testimoniorum ex sacra scriptura huc a me adduci posset, si calamo indulgere uellem. Cæterum qua temeritate & inscitia quidam audeant has firmissimas scripturæ sententias cauillari, & testimonijs spiritus sancti illudere, dicam in quodam alio libro: in quo ad malignas & uanas aduersariorum cauillationes, in confutatione ad hoc instituta, respondebo.

Prædictis uero testimonijs adijci & illa poterunt, quæ ex Prophetarum libris citantur, de gratia noui testamenti: quale est, quod legitur apud Hieremiam capite xxxi. Ecce dies uenient, dicit Dominus: & feriam domui Israel & domui Iuda foedus nouũ. Non secundũ pactum, quod pepigi cum

pigi cum patribus uestris: in die qua adprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum dicit Dominus.

Obserua primo omnium de causis abrogatæ legis dici: nec alias allegari, nisi ꝙ exactionibus legis, nemo inter tot sanctos Israelitas & Iudæos satisfecit: imo nec potuit satisfacere. Si enim potentia satisfaciendi illis affuisset, haud dubie satisfecissent multi: quia multis illorum non defuit bona uoluntas: scilicet, inter tot æmulos & sectatores, tot seculorum, iusticiæ legis. Et illis quidem satisfecisset lex: nec opus habuissent nouatione doctrinæ, seu permutatione, legis uidelicet in gratiam. Sed abrogatur lex, ut difficillimum onus: & quidem inutile ad iustificandum. Quanquam ad accusandum peccatum, & irrogandam maledictionem necessarium & utilissimum. Huc accense, quæ sunt, de discrimine ueteris & noui testamenti, apud Paulum. ij. Cor. iij. Sed pergo referre testimonium Prophetæ: sic enim sequitur.

Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos dicit Dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eā: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Ecce promittitur noua iusticia, non quæ sit operum legis, sed interna cordis, hoc est, qua lex fit ex corde, plene & perfecte renouatā natura carnali in spiritualem. Hæc igitur gratiæ iusticia est, qua contigit his, qui in Christum Iesum credunt, gratuita remissio peccati: & cordium purificator spiritus sanctus: quæ est uera nouitas, eorꝫ, qui ex Deo nati sunt.

Qui fit igitur, quod hanc gratię promissionem & iustificatorē Christum adeo negligimus: & per abrogatam legis doctrinam, quæ iamdudum nihil ualuit, quærimus meritum saluationis? Lex enim quo ad impetrandam iusticiam nihil ualet: & propter impossibiles exactiones beneficio euangelij abrogata est, ut etiamsi quis legi satisfacere posset, tamen iusticiam & salutem non posset mereri. Quanquam nemo est, qui illi satisfaciat, ideo alia res proposita est nobis, per quam remissio peccati & saluatio obtinetur, nempe, fidei promissio, de Iesu Christo, noui & æterni testamenti mediatore, per quē nobis placatus est deus: ut sequitur.

Et ero eis in Deum: & ipsi erunt mihi in populum. Significat enim recōciliari deo populum suum, beneficio redemptoris Christi. Sicut Paulus docet ij. Cor. v. Quoniam deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta eorum. Et ea causa defendi hunc populum a deo: & liberari illum a peccato & æterna morte.

Rursus sequitur: & non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum, dicens: Cognosce dominum. Hęc est manifesta abrogatio legis. Causa est, ut dixi, quia carnali nostræ naturæ, lex frustra occinitur. Non enim potest obedire: etsi audire possit, quibus peccatis accuse-

tur & quantæ damnationis rea peragatur. Omnes enim cognoscent me, a minimo eorum usq; ad maximum, ait Dominus. Tunc profecto, quando deus pater nos docet uerbo gratiæ & spiritu sancto: de remissione peccati nostri, & dono uitæ æternę. Hæc enim sunt credentium, filium dei incarnatum, & traditum pro nobis in mortem.

Quia propitius ero iniquitati eorum, & peccati eorum non recordabor amplius. Sic inquam, cognoscent me: Intelligent ex uerbo gratiæ, hoc est, ex Euangelio, de Christo incarnato, passo, & glorificato, sibi peccata sua ignosci & condonari. Hęc intelligētia est fides in Christum: iuxta illud Esaię. liij. In scientia sua, iustificabit, ipse iustus seruus meus multos: & iniquitates eorum ipse portabit.

In hoc igitur Hieremiæ uaticinio de causa abrogatę legis agitur: quę & dicitur fuisse, quod illius exactionibus nemo satisfaciat. Quod quid est aliud, quam deum impossibilia carnali naturæ præcepisse? Deinde promittitur noua alia iusticia, qua ab exactiōibus legis liberamur: neq; hoc solum, uerumetiam a peccato & æterna morte. Cuius hæc efficacia est, quod animos credentium, nouis motibus, spiritualibus uidelicet & sanctis, induit ac munit, aduersus imperium peccati & Diaboli: planeque sic renouat, ut legem diuinam non absq; singulari desiderio, hilariter ac sponte, & cum summa uoluptate, libeat ipsis facere: cuius prius magno odio tenebantur.

Si igitur legis diuinæ mandata nunquam potuerunt impleri a carnali natura: idque declaratum est omnium Israelitarum & Iudæorum exemplis: quomodo & qua fronte dicunt quidam, nec impossibilia esse legis mandata, & illius exactiōibus nos satisfacere posse, & mereri hoīem illa sua obedientia æternam saluationem? Hocne est Christum soluere, e cœlo deturbare, & Antichristum in locum eius ponere? Oportet igitur reijcere istas omnes impias doctrinas, quæ prædicant meritum iusticiarum nostrarum: aut contra, omnia quæ in nouo testamento tradita sunt de gratia, remissione peccati, iusticia, & æterna uita, deque seruatore Christo, fide in Christum, & spiritu sancto, pro ut est efficax in credentibus, semel negare. Intelligis ergo quo loco sint buccinatores carnalium iusticiarum? Sed pergam etiam explicare, quæ causæ fuerint apud Deum, latæ nobis impossibilis legis.

Secunda pars Cap. Tertij.

De causis latæ impoßibilis legis.

Proinde in doctrina de iustificatione nihil disputamus de legis politico usu: sed de quodam alio spirituali, uidelicet, quo deus per accusationem nostri peccati, uoluit nos ad ueram animi humiliationem perducere. Oportet enim omnes eos, qui salui fieri debent, ante omnia humiliari coram deo: ad noticiam immundiciæ suæ uenire, & ad timorem dei. Qua causa lex, non externam tātum operum iusticiam prædicat: quā uiribus rationis utcunque facimus, sed cum hac aliam quandam, quæ

est lon-

est longe supra omnes uires nostras: nempe, iusticiam cordis, quam qui habent, eos necesse est sine omni peccato esse. Et impossibile est illam in hac infirma natura habere: nisi per cōtinuam remissionē peccati & fidē, & spiritum sanctum gubernātem eorꝫ corda qui Euāgelio crediderūt.

Si igitur lex talem iusticiam prędicaret, quam quilibet superbi pharisęi & hypocritæ pręstare possent: sicut existimabat ille nepharius hypocrita, apud Lucam cap. xviij. quomodo posset peccatores, per ostensionem peccati coram deo humiliare? Sed Paulus tradit hunc potissimū legis usum esse, ostendere & accusare nostrum peccatum, Roma. iij. & vij. Deinde quomodo esset doctrina timoris lex, cuius iram quilibet impij, idolatræ in mente, auari, ambitiosi, inuidi, &c. per externa opera uitare, cauere & fugere possent? Eueheret potius hominem in superbam gloriationem, & fiduciam iusticię carnis, quam compressa illius arrogantia & impio tumore terreret eum & cor eius concuteret: & sic plane magis noxia esset homini quam utilis. Sicut claret ex omnibus quæ de contritione dixi. Quidam tamen legis doctrinam, suo illo abusu, quem dixi, in uenenum, & impietatis caussam conuertunt. Nam pessime abutuntur lege, qui illam pro iustificationis doctrina habent.

Quare aliam quandam perfectam iusticiam prędicat lex: & illius spem quandam nobis facit. Non enim frustra pręcipitur, quasi eam nūquam simus accepturi. Amissa est quidem ea iusticia in Adam, ad quam initio creati sumus. Quanquam autem impossibile sit illam a carnali natura pręstari: tamen eius debitores sumus. Nostro enim uicio mali sumus. Cęterum in Christo Iesu iterum recuperamus eam: cuius nunc primitias accepimus, quatenus primitias spiritus Christi hausimus: illius plenitudinem & perfectionem iusticiæ accepturi in æterna patria. Sed in hac carnali natura obtineri a nobis perfecta haudquaquam potest: nam & renati habent peccatum Roman. vij.

Sed interim dum hic sumus, debiti nostri, & peccati quod habemus in natura, admoneri debemus: quod nisi per legem, spiritualiter prædicatam, de utrisque motibus cordis, uiciosis & sanctis, illos damnando, & hos exigendo, fieri nō potest. Ac nisi ad perfectam noticiam peccati nostri perueniremus, neqꝫ conteri coram deo, neqꝫ intelligere beneficium redemptionis possemus: & nullo modo beati ac salui fieri. Nec interim obliuioni tradenda est & hæc ratio, quam paulo ante attigi, ideo etiam proponi nobis impossibilia mandata, ne ignoremus hanc ueterem & corruptam naturam penitus abolendam esse: & nouam ac spiritualem condi oportere, quæ futura est perfecte iusta, plena sanctitatis & ueritatis coram deo. Has rationes firmas ac ueras, latę a deo impossibilis legis, quæ uidelicet, omnes uires nostras longissime superat atqꝫ excedit, qui surdis auribus audiunt, & discere contemnūt, eos oportet iudici deo cō-

mittere: & precari, si quando Deus det eis pœnitentiam, ad cognoscen-dum ueritatem, & resipiscant a diaboli laqueis, a quo captiui tenentur, ad ipsius uoluntatem.

Igitur in doctrina legis hoc præcipue spectari a nobis debet, ut ad cognitionem peccati nostri illa perducamur. Id fiet, si uires nostras conferamus ad legis spiritualem exactionem, qua requirit a nobis non solum operum exteriorũ iusticiam, sed etiam internam cordis puritatem. Hoc qui nõ faciunt, semper fingent absurdissimum esse, dici, ꝙ tales leges positæ sint nobis a deo, quibus nemo debitam & perfectam obedientiam possit præstare, nemo gratiam illis mereri.

Sed sumus omnino perfectę iusticiæ debitores: quam præstari a nobis est impossibile. Quod si homo in peccatum nunquam collapsus fuisset, habuisset eam iusticiam, futurus in omni uita sua perfecte iustus, uerax, & sanctus coram deo. Nunc uero quia incidit in peccatum: & lex, in carnalem naturam, spiritualis & sancta: non iustificatur lege, sed peccati sui, debitæ & perfectæ obedientiæ, admonetur: deniꝗ & reus peragitur omnium maledictionum legis, ut nisi per gratiam, quæ offertur in Euangelio, saluari non possit.

Plures autem, uel contra uoluntatem legis, tegũt atꝗ excusant suum peccatum: quod quanto periculo faciant, disce i. Ioan. i. Isti sunt qui peccatum cordis negant esse peccatum. Nam alioqui, non possent suum peccatum tegere & excusare: nec possent serio dicere, non peccaui, facti homicidæ, adulteri, raptores, & horum similes. Ergo aliud peccatum est, ꝗd negant peccatũ esse: quanꝗ nesciant quid dicãt, & nihil prorsus legis intelligant. Sic autem excusabat peccatũ suum pharisæus Lucæ xviij.

Nunc uide quę sit absurditas docere, quod lex plura exigat quã præstare ualeamus. Nisi enim hoc faceret, nec de peccato nos satis doceret: nec ad gratiam Christi quærendam impelleret. Et per consequens, ad rem iustificationis coram deo uana & inutilis doctrina esset. Non enim uult nos deus per legis exactiones opprimere: sed saluti nostræ consulere, eo quem dixi modo.

QVOD LEGIS EXACTIONI DEBVIMVS, *expendisse pro nobis Christum: adhæc de promißionibus & Euangelio.*

CAP. IIII. DElati sumus tandem curriculo sermonis ad eum usꝗ locum, quo explicanda est pars illa altera doctrinæ Christianæ, quæ tradit, quomodo per gratiam, & cuius beneficio a peccato & ęterna morte liberemur. Id enim exigit propositi operis ratio. Satis enim dictum est hactenus: cur impossibile sit, legibus ullum hominem iustificari, seu liberari a peccato & morte. Quia exactionibus legis nemo potest satisfacere: quare nec iustus aut beatus esse, per opera sua corã deo. Impedimur enim,

enim, carnis, hoc est, naturæ carnalis, imbecillitate, & tyrannide Diaboli, quam aduersarius iste Dei & Iesu Christi exercet in omne genus humanum, quod liberum quidem futurum erat, si sine peccato mansisset. Nunc uero peccato seruit & peccat: quo nomine ex Diabolo est: sicut Ioannes ait: Qui facit peccatum, ex Diabolo est. i. Ioannis tertio. Nam homo quidem conditus fuit rectus, qui si in sancti operis proposito, & uera erga Deum obedientia permanere uoluisset: potius, quam impia suadenti Diabolo obsequi & parere, nunquam perijsset. Sed quia diuersum secutus est, horribili calamitate corruit: qua se & uniuersum genus hominum seruum peccati & Diaboli constituit, & in laqueos æternæ mortis coniecit. Sic enim est peccator homo, ut iam pro naturæ suæ ingenio, non possit nisi insignis contemptor Dei esse, contraria uoluntati Dei affectare, cupere & uelle: & plerumque quo trahit cupiditas sequi. In summa, iræ filius esse. Nec parua hæc iniuria in Deum est: sed hanc peccati uiolẽtiam cernere est in omnibus, qui nõdum sunt renati per fidem in Christum. Quanquam ipsi quoque renati non sint liberi prorsus: hoc est, sine omni peccato in carne. Quia cum peccato omnes sancti luctantur: ac sustinent difficilimum certamen. Cæterum hęc mala nobis adesse, debuit per legẽ declarari: reliquum est, ut de euãgelio loquamur, quo docemur, quomodo & per quem rursus ex illis liberemur.

Hæc est ergo promissionum & Euangelij doctrina, quod gratis, per misericordiam Dei, propter Christum redemptorem, & peccato & morti eripiamur. Ad hoc enim, misit Deus filium suum, & damnauit peccatum in carne, hoc est, in filio suo, quem uere incarnatum, tradidit pro liberandis nobis in mortem. Christus igitur rem salutis amissam, & omnium manibus perditam, sua cruce & morte iterum nobis restituit, ac reparauit. Voluntaria enim morte sese precium dedit & uictimam pro nostris peccatis: & sic a maledictionibus legis redemit. Denique seipsum donando nobis, exhibuit ueram iusticiam & ęternam uitam: ut quicunque in eum credunt, sint iusti, sancti & beati coram Deo, nihil habeant cum lege, nec lex quicquam contra eos, sed sint gratiæ filij, & habeant uitam æternam. Sed & spiritum sanctũ nobis promeruit, quo ductore & gubernatore peccato & desyderijs eius prorsus ualedicimus, & in nouitate uitæ ambulamus. Hoc uoluerunt olim omnes promissiones illæ, quæ sunt ministerio sanctorum prophetarum, de gratia erga nos Iesu Christi, dictæ: sicut in literis Apostolorum diligenter exponunt. Illis enim clare docemur, quod sepe dixi, legẽ non esse iustificatiõis doctrinã: & oportuisse legẽ per reuelatas Euãgelij promissiones abrogari: quia alioqui nulli pateret aut patuisset unquam introitus in coelũ, & regni Dei hæreditatem. Quarum ea causa in hoc capite aliquot proferam. Sed prius eius gratiæ, quam dixi Euangelij esse, quædam testimonia præmittam, quo paratius ad

Promißionũ & Euangelij doctrina.

promissionum expositionem accedam. Igitur Ioannis tertio hæc referuntur ipsiusmet Christi uerba. Et sicut Moses exaltauit serpentem in deserto: ita exaltari oportet filiũ hominis, ut oĩs qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternã. Sic enim Deus dilexit mundũ, ut unigenitum filium suum daret: ut omnis qui credit in eum nonpereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum: sed ut saluetur mundus per eum. Qui credit in eum non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est. Quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.

Christus promeruit nobis uitam æternã Magnifica profecto hæc prædicatio est doctrinæ Euangelij de gratia, Christo & fide in Christum: & quæ mihi locum Pauli: Deus misit filium suum, & de peccato damnauit peccatum in carne, adposite ac clare exponit. Primum enim testatur, conferri nobis uitam æternam: sed liberatis beneficio mortis Christi, crucifixi uidelicet, pro nostris peccatis. In cruce enim pendens, respondit typo exaltati serpentis in deserto. Iam ut aspectu ænei serpentis in gratiæ signum erecti seruabantur *Num.21.* morte, icti ab ignitis serpentibus: ita qui fide promissionis Euangelij respiciunt in Christum seruantur a morte. Nec impedit illos peccatum antiqui serpentis, hoc est, Diaboli morsus, prima Cor. xv. Aculeus mortis peccatum est: uirtus uero peccati lex. Deo autem gratia, qui dedit nobis uictoriam, per dominum nostrum Iesum Christum. Quare testatur hic locus, uitam æternã ijs cõferri, qui in Christũ credunt: quã lex nulli potuit impetrare. Quia neminẽ potuit a peccato liberare, seu iustificare.

Quod beneficium redemptionis sit gratuitum. Secundo agitur de gratuita misericordia Dei, qua acceptamur in filios gratiæ, & uitæ æternę hereditatem, nullius alterius beneficio præterquam unigeniti filij Dei: quem ille quidem per meram charitatem suam qua dilexit nos, precium dedit & satisfactionem pro nostris peccatis. Proinde hac exclusiua apertissime tollitur meriti operum nostrorũ gloriatio. Dilexit enim nos Deus, misertus nostri: non respiciens merita seu dignitates nostras. Imo quid merebamur peccatores nisi æternam mortem? Gratis ergo succurrit nobis: & tam charo precio, nempe, unigeniti filij sui morte, salutem nostram redemit. Nec requirit a nobis Deus aliud, nisi ut tam amplum gratiæ beneficium per fidem recipiamus & æternaliter possideamus: ornantes hæc gratiæ dona, confessione, laude, inuocatione, gratiarum actione, & totius uitæ nouitate. Necꝫ tamen est recompensatio beneficij huius in hac nostra obedientia: quia saluationis gratia recipitur per solam fidem. Qua ratione constat dona illa Dei gratuita esse: & sine meritis operum nostrorum donari: Imo exclusa meriti operum nostrorum gloriatione. Sicut Paulus docet: Roman. tertio. Ephes. secundo. Sicut enim sine meritis operum nostrorum in gratiam recipimur: ita recepti in gratiam, & iustificati per Christum, non me-

remur

remur gratiæ donum, sed Deum pro gratia glorificamus. Tertio adijcitur, quomodo non missus sit Christus tanquam seuus quidam & implacabilis Iudex: qualem imaginantur esse, hypocritæ isti & iusticiarij, qui illum sibi conciliandum esse operibus suis ducunt: cum sit omnium seruator clemētissimus. Iuxta illud Esaię xlix. Parum est, ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea, usq; ad extremum terræ. Hæc est amplissima consolatio, qua uniuersaliter omnibus æterna salus in Christo offertur: neq; reijcitur ullus homo, quātumcunq; sit peccator: modo talem recipiat fide sua esse Christum, nempe, æternum omnium seruatorem, qualis offertur. Condemnationis enim unica causa est, non credere: & non recipere, Christum talem esse. Itaq; & qui manent in incredulitate, seipsos excludunt a gratia: & æternam salutem a se reijciunt. Atq; huc facit illud Ioannis xij. Ego lux in mundum ueni: ut omnis qui credit in me, in tenebris nō maneat. Et si quis audierit uerba mea, & nō custodierit: ego non iudico eum. Non enim ueni, ut iudicem mundum: sed ut saluificem mundum. Qui spernit me, & non accipit uerba mea, habet qui iudicet eum. Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Roman. viij. Nulla nunc condemnatio est his qui sunt in Christo Iesu.

Quod Christus non sit crudelis iudex: sed clementißimus seruator.

Quarto, reditur ad fidei conditionem, sæpe inculcatam. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est. &c. Nā Euāgelij prædicatio, proponit & offert nobis hāc nouam conditionem, seu nouum pactum, ut fide recipiamus oblatam gratiam, remissionē peccati, iusticiam & æternam uitam: hæc enim dono gratiæ, per gratuitam misericordiam, nobis exhibentur omnia, propter Christum & in Christo. Nam Christum mediatorem habemus & pignus, huius noui pacti, seu nouæ conditionis: nec excidunt ab hac gratia homines, nisi per incredulitatem. Contemnit enim incredulitas Euangelij uerbum: tum ipsummet seruatorem, filium Dei Christum: tum ipsam quoq; misericordiam Dei patris. Ideo meretur castigationem æternæ condemnationis. Mar. ultimo. Euntes in mundum uniuersum, prędicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit, condemnabitur.

Noua fidei conditio: seu nouū pactum

Porro, illi loco qui iam enarratus est, addam hoc Pauli testimoniū, de eadem saluationis gratia, quam per Christum habemus, quod est ad Col. secundo. Et uos cū mortui essetis in delictis, & præputio carnis uestræ, cōuiuificauit cum illo: donans uobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographum decretis constans, quod erat contrariū nobis. Et sustulit illud e medio, affigens cruci: & expolians principatus & potestates, ostentauit palam, triumphans illos per se.

Idem ad Tit. iij. scribit: non ex operibus iusticiæ quę fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit.

Abrogatio legis.

Docet igitur Paulus abrogatã esse legem, beneficio mortis Christi: sed cur abrogari quęso debuisset, si illa iustificari potuissemus? Et cur ita abrogata est, si aliter quam per traditionẽ Christi in mortem liberari potuissemus a peccato et a morte? Verum quia per legẽ nemo potuit iustificari, illa tantũ ęternis execrationibus deuouit peccatores: quę maledictio & ira potissimum intelligi debet abrogata et inducta esse, ubi agitur de legis abrogatione: seu ius illud exigendi perfectã obedientiam, seu debitum perfectę iusticiæ, cuius nemo unquã potuit esse soluendo. Eoq; nemo, nisi condẽnari per legem. Sed beneficio Christi habemus, quod etiãsi exactiõibus legis nemo satisfaciat, tamẽ lege nemo condẽnari possit. Huc facit illud Pauli. ij. Cor. v. Eũ qui nõ nouerat peccatum, pro nobis peccatũ fecit, ut nos efficeremur iusticia dei in ipso. Gal. iij. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Sed interim tamen manet obedientia erga legẽ, ut cuius sunt renati debitores, quia sunt debitores mortificandę carnis & seruiẽdi proximo. Quanquã autem hæc obedientia omitti non possit: tamẽ saluatio gratis contingit, sine meritis operum nostrorum, per misericordiam, propter Christum, quod gratiæ beneficium omnibus pietatis operibus ornare debemus.

His fundamẽtis doctrinę Euãgelij præiactis, mox subscribã aliquot earũ promissionũ, quę factę sunt per sanctos prophetas, de regno gratię Christi, contra imperium, imo tyrannidẽ, peccati, mortis & Diaboli. Idq; hoc consilio, ut palam fiat, hanc iustificationis doctrinã, de qua in hoc scripto ago, non esse nouã in Ecclesia: sed semper a condito mũdo, usq; ad hęc tempora, eandem apud omnes pios, qui modo recte instituti sunt, perdurasse: & duraturã usq; ad diem aduentus iudicis Christi. Error est eñ, cuius nemo potuit autor esse, nisi Diabolus & Antichristus, quo existimatur, q; ex operibus legis, nostra industria factis, iusticiam coram deo & salutem consequamur.

Promißiones propheticæ de regno Christi.

Proinde initia Euangelij sunt uetustissima: mox enim cũ lapsus esset primus homo in peccatũ: et per peccatum in diaboli potestatẽ redactus, erexit eũ deus & consolatus est prima Euãgelij promissione. De qua Gene. iij. scribitur in hũc modum: inimicitias ponã inter te & mulierem, & inter semen tuum & semen illius. IPSVM conteret caput tuum: & tu mordebis calcaneum eius. Significatum est enim hac promissione, nasciturum fuisse uerum hominem, qui oppressurus erat Diaboli imperium, & omnem illam potestatem ei erepturus, quam per peccatum in uniuersum hominum genus usurpare coeperat. Tunc cum uerbum dei calumniari coepisset: & fidem ac reuerentiã illius, homini uix dum creato, abstulisset. Hoc igitur fuit, isti antiquo serpenti Diabolo,

caput

caput conterere, imperium uidelicet, & sæuam tyrannidē eripere, qua obnoxiū tenuit totum hominum genus, seruum peccati & reum æternę condemnationis. Deinde hominē ipsum, cum tota posteritate, in pristinum statum filiorū dei restituere: hoc est, liberare a peccato & æterna morte, & efficere iusticiæ & ęternæ uitę hæredes. Quod factū esse quidem & impletū, per Iesum CHRISTVM Dominum nostrū, ipsi Euangelistæ & Apostoli sunt nobis locupletissimi & firmissimi testes. Nā in huius prædicatione consumāt totius noui testamenti doctrinam.

Vicit ergo & contriuit caput istius serpentis, auferens illi regnum, ac destruens, quod fuit peccati & mortis, Iesus Christus Dominus noster. Et in nos huius suæ uictorię beneficiū omne contulit: non respiciens, quid nos merebamur, siue nostram indignitatem: neq; requirēs aliud a nobis, nisi gratię suę fidē. Quanquā hac eadem gratia erudiat nos, ut abnegata impietate & secularibus desyderijs, sobrie, pie & iuste uiuamus in pręsenti seculo. Sed apprehēdi illa gratia & teneri aliter nō potest nisi per fidē. Contingit eñ gratis, per misericordiā dei, propter Christum. Hinc etiam omne, quod non fit, per huius gratuitæ gratiæ fidem, uere peccatum est coram deo. Et quo maior est arrogantia & fiducia proprię iusticiæ, eo grauius peccatur.

Insidias tamē adhuc struit malignus iste, & contriti capitis serpēs, regno filij dei: & homines perdere, nō prorsus quiescit, sed laborat ut saltē aliquot Christo eripiat: ut etiā Petrus dicit. i. Pet. v. Sed & in promissione huius periculi admoniti sumus. Sed nihil potest cōtra nos efficere, nec succedit eius pestiferis conatibus: modo uera in Christū fide pręditi simus ac permaneamus. Tradita est eñ Christo omniū rerum potestas. Matt. xxviij. Et ideo de Ecclesia, quę fidit liberatori Christo, dictū est: & portę inferorū non pręualebunt aduersus eā, Matth. xvi. Petrus etiā eodē respiciens iubet ut Diabolo fide nostra uiriliter resistamus: uticq; qua illi obijcimus redemptorē Christum, qui pugnat pro nobis cōtra Diabolum. Proinde ipsa quoq; Ecclesia superat, cōculcat, uincit ac cōterit fide sua Diabolū: a Christo contritū. Non eñ est opus alijs pręsidijs ad hāc uictoriā: nisi fide debellati a Christo et cōtriti aduersarij istius Diaboli. Nostris operꝫ iusticijs, nunq̄ posset uinci: sed ut uinceretur a nobis, Christus sua uictoria nos donauit. In hac ergo dum gloriamur per fidem, uictores & ęternū beati sumus. Hęc ergo pria gratię et Euāgelij ꝓmissio fuit: ex qua deinde oēs reliquę de Christo promissiōes fluxerunt: donec manifesta Euāgelij pręedicatiōe, de incarnatione, morte, resurrectiōe Christi, filij dei, illius gloria declarari coepisset. Porro sancti patres, qui olim daruerūt, iusti et filij dei, harꝫ promissionū fide sunt salui facti, nō aliter q̄ nos fide promissionū Euāgelij saluamur. Quę ab illis quę patribus sunt factę, in nullo penitus uariant. Nisi quod testantur Christum promissum, esse exhibitū & regnare. Et prophetarꝫ quidē promissiones

sunt aliquanto obscuriores Euangelio: quemadmodum alijs & alijs promissis deus subinde clarius adperuit, adhibitis uarijs circunstātijs, locorum, temporum, signorum, ubi, quando, & in quo populo, ex qua tribu, Christus ille, insignis rex, deus & homo, sui populi uerus pastor, & æternus seruator, esset proditurus. Quorum nunc aliquot exempla subscribam.

Promissio Abrahæ facta.

Igitur cum plures de Christo promissiones colligi possint, ex libro Genesis, maxime tamen præclara extat capite xxij. in hæc uerba. Per memetipsum iuraui, dicit DOMINVS: quia fecisti hanc rem, (sic enim Abrahæ locutus est, consolans eum) & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum, sicut stellas coeli, & uelut arenam quę est in littore maris. Possidebit semen tuum portas inimicorum tuorum: & benedicentur in semine tuo omnes Gentes terrę. Quia obedisti uoci meæ. Nō enim permittendum est, ut hæc spiritualissima promissio Iudaice exponatur. Loquitur enim in ea Deus de Ecclesia, quæ ex omnibus Gentibus & populis per Euangelium in fide nominis CHRISTI nascitur & congregatur, uerum Abrahę semen: & prędicitur regnatura, spūali uticp & æterno regno per Christū.

Quanquam quia in Iudaico populo nasci debuit Christus, semen Abrahæ intelligendum est dici, ante omnia Iudæos: ex quibus secundū carnem genitus est Christus Roman. primo: Per quem omnes benedicimur. Gala. iij. Spiritualibus & coelestibus benedictionibus. Ephe. primo. Atcp hinc certe clarum est germanum illud & spirituale semen Abrahæ, populi qui hic promittitur, cuius rex & saluator Christus est, & qui uincit perpetuo peccatum & mortem, atcp in æternum durat, eos filios esse, qui promissioni remissionis peccati credunt & uitæ æternę per Christum: sicut Paulus docet Roman. ix. Iam etiā Paulus hāc promissionem, de Christi regno & spiritualibus benedictionibus, intellexit atque exposuit Gala. iij. Necp uero operum Abrahæ meritum, seu dignitas illorum coram deo, in hac promissione prędicatur, quasi in illam respexerit deus, sed obediētia, opus perfectæ fidei, in eo laudatur: fidei in quā, quę gloriationem illam operum, meritorum & dignitatis nostrę, penitus tollit, aufert & excludit: scilicet, superciliosam & impiam. Ideo nullo modo illam secum ferre potest fides: sed nude conijcit se in promittētis gratiam & bonitatem. Atque ita omnem saluationis gloriam tribuit deo, & fert misericordię eius gratuitæ acceptam.

Prophetia Iacob de aduentu Christi.

Signa temporū Christi certa & infallibilia prędixit Patriarcha Iacob, Gene. xlix. Nō auferet sceptrū de Iuda, nec ductor de subsellijs eius, donec ueniat Silo, cui adhęrebunt populi. Quia post exhibitū & reuelatū Christū, nō fuit necesse ultra discernere inter gentem & gentē, populū & populum. Ideo regnū, seu sceptrum, & imperij terreni & corporalis

maie-

maiestas, tunc cessare debuit & auferri a populo Iudaico: & Christus prędicari omnibus sub coelo gentibus & populis unus & idē Dux, Seruator, Rex & Pastor ęternus. Ezec. xxxvij. Quare regni & sacerdotij tēporalis in Iudaico populo abrogatio, signū est adimpletarū promissionū, & Christi ubiq; regnātis: ne porro alium seruatorem expectemus, quā eum qui missus est, & Euāgelistę & Apostoli nobis prędicant, nempe, Christū Iesum. Qui his signis etiam apud Iudęos claruit, quibus prędixit eum Esaias fore nobilē: cap. xxxv. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut ceruus claudus, & aperta erit lingua mutorum. &c.

Exodi xxiij. talis promissio extat. Ecce ego mittam angelum meum: (angeli nomen, misso cōpetit: qualis fuit Christus, Euāgelij nuncius & pręco apud Iudęos. Roma. xv.) qui pręcedat te & custodiat te: (hoc est ducis, & seruatoris.) & introducat in locū, quē pręparaui. (in māsiones illas ęternas in coelis. Ioan. xiiij.) Obserua eū et audi uocē eius. Quia non dimittet cū peccaueris. Est em̄ nomen meū in illo. Sic ergo de Christo et hęc promissio facta est, qui futurus erat dux & seruator populi dei: quem etiā solus liberare potuit a peccato & morte, & introducere in æternę uitę gloriā, pręparatā sanctis a deo. Quē nos ea causa, et hoc noīe, per obedientiā fidei honorare & colere debemus: et uocē illius audire, hoc est, credere Euangelio et promissioni gratię per ipsum, cū præsertim eos qui credūt Euāgelio, in nullo peccati discrimine deserat: sicut et Ioan. testat̄. i. Ioan. ij. Quem deus hoc diuino nomine, suę erga nos gratię, bonitatis et misericordię, signauit. Quod de alio, quā de Christo intelligere non licet. uide Ioan. iij. Acto. iiij. x. et xiij. *Promißio de Christo Ex. 23.*

Deut. xviij, prędictus est, fore propheta et doctor sui populi Christus. Doctor autē, nouę utiq; et alterius doctrinę, quā tradita fuerat per Mosen in lege. Nam ut iustificationis autor et causa omnibus fieri debuit: ita necesse habuit iustificationis doctrinam adferre. Eam igitur attulit per Euāgelium, in quo est promissio reconciliationis, remissionis peccati, iusticię et uitæ ęternę: quā habeant, qui in ipsum credunt. Verba promissiōis sic habent: Prophetā de gente tua et de fratribus tuis, sicut me suscitabit tibi dominus deus: ipsum audies. Nā et Apostoli hāc promissionē de Christo intellexerūt et exposuerunt: sicut habes Act. iij. Est aūt memorabilis ea gratię promissio, ꝓpter causas illas abrogatę legis, quę ostēdunt̄ nō alię fuisse, nisi q̄ lex neminē potuit a pctō et a morte liberare, neminē uere iustū efficere corā deo. Quanq̄ nō destitit peccatores accusare et cōdēnare. Propterea fuit durissima et intolerabilis doctrina, quā etiā dep̄catus est populus. Cui deus ānuēs, et pro āplitudine misericordię suę respōdit: bn̄ oīa locuti sunt. Prophetā suscitabo eis, de medio fratrum suorū, sicut te: et ponā uerba mea in ore eius: loqueturq; *Christus, doctor promissus Deut. 18.*

ad eos omnia quę pręcepero illi. Qui autē uerba eius, quę loquet in nomine meo audire noluerit, ego requirā ab eo. Nihil significat se punitu rū, nisi gratiæ contemptum: qui est in illis, qui Euangelio non credunt.

Christus de familia Dauid promissus

II. Regum vij. de domo & familia Dauid nasciturus prædicitur, rex ille æternus & omnium seruator Christus. Promissionis uerba sic habent: Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo: & fortunabo regnum eius, ipse ædificabit domum nomini meo. (Hæc domus est Ecclesia sancta, catholica, omnium qui crediderunt, credunt & credituri sunt in Christum: ędificata per uerbum Euangelij & spiritū sanctum, in qua una deus habitat, & uere glorificatur: non in manufactis templis, Esaię ultimo, Act. vij. & xvij.) Et fortunabo thronum eius, usq; in sempiternum. Ego ero ei in patrem: & ipse erit mihi in filium. Is igitur est Christus, unigenitus ille filius dei: qui unus omnibus placat Deum patrem, & in regno gratiæ efficit filios & hæredes. Nec haberet regnum, nisi filios constitueret: nec aliter sempiternum, nisi per reconciliationem cum Deo.

Promissiones Dauidi factæ

Eodem pertinet hæc in Psalmo cxxxij. promissio. Iurauit DOMINVS Dauid ueritatem, non auertetur ab ea: de fructu uentris tui ponam super sedem tuam. Item hæc, quæ promittebat Christum fore æternum pontificem & sacerdotem Psal. cx. Iurauit DOMINVS Dauid, non poenitebit eum: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchizedec. Nam Christus placare nobis sanguine suo in hoc pontificatu, Deum patrem debuit: & sic liberare a peccato & ab ęterna morte. Quę reconciliatio & salus, per legem non potuit haberi. Ioannis primo. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Cæterū apud Esaiam maxime nobiles & præclarę de Christo promissiones extant. Nam de foelicitate temporum & regni Christi primus locus est apud eū Prophetam cap. ij. nec dissimilis ad modū cap. v. quos non uideo, qua commoditate possim huc transscribere: cum & prolixiores sint, & figuratis locutionibus nonnihil obscuri. Sed cap. vij. prophetia est, de ortu Christi, ex uirgine incorrupta. Nam oportebat eum uerum semen mulieris nasci: & sine peccato. Et huius uaticinij meminit Euangelista Matthæus. capite primo, quod ut notum omitto. Est & capite undecimo apud Esaiam irrefragabile de CHRISTI regno testimonium: & alijs subinde locis, apud eundem Prophetam, de eadem re clara uaticinia. Quæ omnia relinquo sedulitati pij lectoris inuestiganda. Quæ igitur propheta ille de CHRISTI regno habet uaticinia, nos recte interpretamur, de interna & spirituali administratione: quę Iudęi prodigiose et ineptissime per coactā literā et uiolēter, ad corporale & mundanū regnū, q̄d somniant, torquēt: non intelligentes scripturā Christo, & sanctis in Christo,

Promissiones de Christo apud Esaiam.

pro-

promittere regnum spirituale, diuinum, coeleste, & aeternum: quo libe ramur a peccato & ab aeterna morte. A Capite autē, xlix. apud Esaiam, prope historia texitur de Christo: usq; ad eius prophetici libri finem. Nam & in ea narratione de Christo ibidem non pauca dicuntur, quasi sit rerū prius gestarum descriptio quędam: cuius require exemplum prae cipuū cap. liij. de passione, morte & glorificatione Christi.

Apud Hoseā uaticiniū est, de mortis & inferni abolitione per Christum. De manu mortis liberabo eos, de morte redimā eos. Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Sic enim loquitur Deus ille, qui incar natus, passus & resurrectionis immortalitate glorificatus, inferni mortē destruxit. Et credibile est, quod eum locū signarit nobis Paulus. i. Cor. xv. ubi hoc agit, quomodo per resurrectionē Christi a morte, nostra mors aboleatur, ita scribens: Cū autē mortale hoc induerit immortali tatē, tunc fiet sermo qui scriptus est. Absorpta est mors in uictoria. Vbi est mors aculeus tuus? Vbi est inferne uictoria tua? Aculeus aūt mortis peccatū est, uirtus uero peccati lex. Deo autē gratia, qui dedit nobis uic toriam, per Dominum nostrum Iesum Christum.

Vaticiniū de abolitione mortis & inferni, apud Oseam.

Micheas inter alia suorum uaticiniorū, etiam locum natalem Christi indicauit, cuius prophetiae Mattheus Euangelista meminit cap. ij. Et tu Bethlehē Ephratah, paruula ut sis in milibus Iuda. Ex te mihi egre dietur, qui sit dominator in Israel. Et egressus eius ab initio, a diebus ęter nitatis: ut uideas etiam Deum, ab hoc propheta, Christum praedicari, lege Mich. v.

Micheas locū natalē Christi explicans

Apud Hieremiam de promissionibus gratię per Christum, praecipui loci habentur, cap. iij. xxiij. & xxxi. Nam & cap. xxxiij. irrefragabili testimonio, tribuit Christo diuinitatem, in hęc uerba: Ecce dies uenient dicit Dominus, & suscitabo Dauid germen iustum, & regnabit rex & sapiens erit, & faciet iudiciū & iusticiā in terra. In diebus illis, saluabitur Iuda: & Israel habitabit cōfidenter. Et hoc est nomē quod uocabunt eū: Dominus iustus noster. Nam hoc loco hebraeis est ineffabile illud: in ar canis literis soli Deo attributum.

Apud Ieremiam promissiones.

In Ezechiele est cap. xxxiiij. contra impios pastores scriptū: & rursus de unico illo, uero, saluifico, omniū populorum & seculorum pastore & rege Christo Iesu. Cap. xxxvi. insignem locū continet, de gratia noui testamēti: & lauacro spiritus sancti, qui est spiritus Christi, quo ille tin git & baptizat, quos est peccato & ęternę morti erepturus. Cap. autem xxxvij. agitur de restitutione generali, totius generis humani: quę con sumabitur, quādo omnes illi, qui in Christum crediderunt, excitabun tur ad ęternę uitę gloriam, sicut eodē loco docetur. Et promittitur prę terea uniuersali Ecclesię, suus ille unicus Rex & pastor Christus. Rex, inquit propheta, unus erit omnibus imperans, & non erunt ultra duae

Ezechielis locus de gratia noui testamēti.

Gentes, nec diuidentur amplius in duo regna, neq; polluentur amplius in idolis suis, &c. Quae omnia non quadrant, quam in Christum & Ecclesiam: sicut etiam ea quae mox subijciuntur. Et erunt mihi populus: & ego ero eis deus. Et seruus meus Dauid rex super eos: & pastor unus erit eorum, &c. Ioannis decimo.

Habacuc Promittit & Habacuc Christum illum eximium, regem aeternum: qui erat omnia unus restauraturus, ut per consolationem eam, quam dedit, populum in promissionis Euangelij fide retineret capite ij. Quia adhuc uisio procul, & apparebit in finem, & non mẽtietur. Si moram fecerit, expecta illum: quia ueniens ueniet, & non tardabit. Ecce qui incredulus est, non erit recta anima eius in semetipso. Iustus autẽ fide sua uiuet.

Zacharias. Zacharias multas habet de CHRISTO, Ecclesia, & legis abrogatione, praeclaras contiones: quae omnes commodius apud eundem prophetam cognoscentur, quam si huc a me transscriberentur. Introducit regem Christum, uenientem suae Ecclesiae, super asinam, & super pullum, filium asinae. capite ix. Deinde est apud eundem, capite xi. proditio illa & uenditio CHRISTI signata: quae facta est permutatione triginta argenteorum, uilissimo precio.

Malachias. Malachias denicq;, de sacerdotij legalis abrogatione, ut inefficacis ad iustificandũ, uaticinatus est: & de Christi aduentu, nouis & spiritualibus oblationibus, acceptis deo per Christum, hoc est, de nouo & spirituali dei cultu in omnibus Gẽtibus: qui situs est in fide cognitionis Christi, & uera poenitentia illa cordis & totius externae nouitatis. Ita ut abunde satis datur intelligi. Roman. xij. prima Petri. ij.

Et haec quidem sunt e multis pauca, quae hactenus a me relata sunt, & passim scripta a sanctis prophetis, de gloria regni gratiae filij dei, Iesu Christi, DOMINI & seruatoris nostri. Ex quibus maxime perspicuum est, nos saluos fieri, non per opera iusticiarum nostrarum: sed per fidem misericordiae dei, & propiciatorem Christum. Quia si per opera nostra coram deo iustificari possemus, Christus mediatoris & iustificatoris o[illegible]icium retineri & tueri haud quaquam posset: quod illi tamen, in iam dictis propheticis promissionibus omnibus tribuitur. Deinde uidere est hanc promissam misericordiam & saluationem, quae nostra a Christo est, esse gratuitam. Quia deus iustificat & saluat nos per filij sui mortem: quae est tanti precij, ut nihil pro ea ab uniuersis creaturis reddi possit. Hac igitur omnem illam gloriationem iusticiarum nostrarum funditus tollit atque excludit.

Prophetarum promissiones de Christo quo respiciat.

In summa, sic abrogatae sunt conditionatae legis promissiones, quae nobis propter impossibilitatem, naturã rebellem legi & Deo, inutiles fuerunt. Et alia res ad iustificandum proposita est, nempe, promissio reconciliationis propter Christum. Dixi autem supra harum fide, patres

qui sub

qui sub priori terstamento claruerunt, iustificatos esse, cuius habes testimoniū. i Cor. x. quās & nos in fundamentū iustificationis ponimus: sed exhibiti & regnantis Christi. Sic enim semper una uia, una ratio, & modus fuit, coram Deo iustificandi: tam patribus quam nobis. Vna est enim salus & æterna beatitudo, communis omnium, per unicum illum uictorem peccati & mortis, filium Dei unigenitum, Iesum Christum: quē patres per fidē non minus habuerunt, regnātem in cordibus suis, & destruentē peccatum & mortem, quam nos. Quia omnibus est unus & idem æternus saluationis mediator, qui credunt in eum. Hinc est illud Heb. xiij. Iesus Christus heri & hodie, idē est & in secula. Ioan. viij. Abraam exultauit ut uideret diē meum: uidit & gauisus est. Proinde hęc omnia arguunt errorem, insipientiam & uanitatem, eorum qui per opera legis iustificari quærunt: ijsq; tribuunt meritum remissionis peccati & uitæ ęternæ: prorsus cum abnegatione promissionum Euangelij, de saluationis gloria per Christum.

Per Christum patres atque ac nos iustificati.

Cæterum promissiones, quas dixi, secuta sunt reuelata Euangelij tēpora. Neq; aliud est Euangelium quam annunciatio impletarum promissionum, in Christo Iesu, incarnato & passo, pro nostris peccatis, & glorificato, pro iustificandis nobis & redimendis ab æterna morte. Vox lętissima & gratissima omnibus qui in conscientia onus peccati sui, grauissimum illud, aliquando senserunt: & horribilem iram Dei, qua per legem omnes damnamur, uere cognouerunt. Hæc enim res, desyderium Christi in omnium piorum cordibus, omnium temporum, accendit: sicut dicitur Malach. iij. Ecce ego mitto angelum meum: & pręparabit uiam ante faciam tuam. Et statim ueniet ad templum suum saluator, quem uos quæritis: & angelus testamenti, quem uos uultis. Sic Lucæ x. Beati oculi, qui uidēt quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi prophetæ & reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quę auditis, & non audierunt. Sic illi quidem desyderauerunt suum Christum: sine quo salui esse a peccato & morte non potuerūt. Et uiderunt tamen regnantē: sed per fidem promissionis, ut paulo ante docui, qua sola noticia Christi saluati sunt.

Promissiones temporū reuelati per Euangeliū Christi.

Proinde in hunc locum doctrinæ, poterunt, qui sunt pie studiosi sacrarum literarum, congerere & coaceruare omnia illa testimonia, quæ hoc tribuunt Christo Iesu, in Euangelistarum & Apostolorum literis, quod per eum & a peccato & a morte liberemur: siue, qui idem meritū iusticijs nostris adimunt. [illegible] sunt quidem huiusmodi testimoniorum innumera in literis noui testamenti. Neq; enim aliud agitur in principali eius parte, quam quod negatur, posse hominem suis meritis & sua iusticia saluari: deinde, uni Christo hęc laus tribuitur, uidelicet, quod per ipsum saluemur. Et ego quidem collegi non paruum thesaurum eorum

testimoniorum, supra in capite iij. quem hac mentione, uolo in hunc locum de promissionum & Euangelij doctrina, omnem reuocatum esse. Huc enim totus pertinet. Sed adijciam preterea quædam alia testimonia, ut locupletiorem reddam thesaurum doctrinæ, quo conscientię nostræ muniendę sunt & confirmandę, contra impiorum doctrinas. Nam Christus est precium & satisfactio pro nostris peccatis & pro æterna morte, adeoq; firmissimũ pignus promissionũ euãgelij, per quas nobis annunciatur placatus deus, remissio peccati, iusticia & ęterna beatitudo.

Christus medicus animarum.

In hanc sententiam dicitur de Christo, Matth. primo. Et uocabis nomen eius IESVM: ipse enim saluum faciet populum suum a peccatis eorum: Et cap. nono. Non est opus ualentibus medico: sed male habentibus. Nam his uerbis facit se Christus medicum animarum nostrarum: quod irreuerenter, ne dicam impie diceret, si ipsi per iusticias nostras possemus saluari. Huc facit illud eiusdem, cap. xi. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Et cap. xviij. Venit enim filius hominis seruare, quod perierat. Et xx. Sicut filius hominis uenit, non ut sibi ministretur: sed ut ipse ministret, & det animam suam redemptionem pro multis. In quibus omnibus, uel unicũ horum testimoniorum, maximum tonitru est, ad conterendam impudẽtiam & blasphemas arrogantias omnium iusticiariorum.

Mar. primo scribitur, testatum fuisse Christum, se in hoc uenisse, ut doceat Euangeliũ regni dei, in quo præcipuum fuit declarare, imo unice proprium, quomodo per misericordiam dei gratuitam, qua traditus est precium pro peccatis nostris Christus, salui efficiamur. Et hæc euangelij doctrina requirit a nobis fidem, gratuitæ huius misericordiæ, & præstitę per Christum saluationis. Sicut apud eundem Euangelistam docetur Cap. xvi. ex mandato Christi. Euntes in mundum uniuersum, prędicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit: qui uero nõ crediderit, condẽnabitur. Et ex illo intelligis, quid sit Euangeliũ regni dei annũciare: cuius se debitorẽ esse Christus agnoscit. Hoc uero an prędicẽt doctores operę, Papistas dico, ipsi uiderint.

Luc. i. in cantico Mariæ matris Domini ita legimus. Fecit potẽtiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Significat enĩ, quod deus damnet & abijciat, eos qui arroganter & superbe, de qualibuscũq; rebus suis sentiunt. Quales sunt non illi solum, qui potentiæ carnis plus confidunt quam deo: similiter & in opes suas, & honores quos habent, fiduciam ponũt. Sed uel maxime, qui de iusticijs & sapientia carnis, contra gratiam, gloriantur. Possem multo plura ex Cap. i. huius Euangelistæ, pulchra & præclara, de gratia Dei per Christum, hic proferre: sed breuitati studens, ea nunc omitto omnia. Cap. ij. hæc Angeli cœlitus demissi prædicatio est. Ecce annũcio uobis gaudiũ magnum,

quod erit omni populo: quia natus est uobis hodie saluator, qui est Christus DOMINVS in ciuitate Dauid. Cum hoc seruatore nihil habent, nec erunt participes eius beatitudinis quicunque de meritis iusticiarum suarum coram Deo gloriantur. Oportet enim priuatæ iusticię supercilium abijcere, ubi gratia regnat: aut a communicatione salutis, quæ est per Christum, perpetuo exulare. Sic possem plura ex hoc Euangelista proferre testimonia, eiusdem sententiæ: sed satis est indicasse illas opes, quas quilibet sibi, ex suis locis, cum maiore fructu, requirere possunt.

Ex Ioanne non uideo, quid potissimum eligam in cumulum nostri thesauri: nisi uelim totum eius librum, quem de Christo scribit, huc reponere. Vbi enim non prędicat ille, quod a solo Christo sit petenda omnis salus nostra: Christum esse lucem, ueritatem, uiam & ęternam uitam: & illis seipsum communicare, qui in nomen eius credunt: ut capite primo. In ipso uita erat: & uita erat lux hominum. Item, in propria uenit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: his qui credunt in nomen eius. Quæ omnia oportet, cum exclusiua quadam antithesi legere & intelligere: nempe, quia per Christum adoptamur in filios Dei, & salui erimus. Igitur per iusticias rationis non saluabimur. Reliqua apud Ioannem, diligentiæ pij lectoris committo.

Ex Actis nobilissimi loci de gratia, prius a me citati sunt: ut & supra memini, esse in capite iij. huius partis. Quibus possunt addi, contiones illæ Petri, & Pauli: quæ habentur Act. ij. & xiij. In quibus Apostoli illi diligenter exponunt, adhibitis testimonijs scripturarum, mundo exhibium esse, promissum seruatorem, Christum: per quem donum remissionis peccati & uitæ ęternę possideamus, quatenus in illum credimus. Non quatenus per iusticias nostras hoc donum quærimus. Qui enim per opera sua hoc quęrunt, illo frustrabuntur.

Roma. v. scribit Paulus: Iustificati ex fide, pacem habemus erga Deum, per Dominum nostrum IESVM Christum: per quem & accessum habemus per fidem, in gratiam hanc, in qua stamus & gloriamur sub spe gloriæ filiorum Dei. Gal. iiij. Vbi tempus completum est, misit Deus filium suum, factum sub legem: ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.

I. Petri ij. ita scribitur de Christo. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: ut peccatis mortui, iusticiæ uiuamus. Cuius liuore sanati estis. Significat ergo Petrus per Iesu Christi mortem tolli a nobis peccata nostra: ut eius gratiæ fide, per nouitatem uitæ Deo seruiamus. Nō operibus nostris saluationē quęramus: sed nō aliud spectantes in operando, nisi ut iusticiæ, in gloriam nominis CHRISTI studeamus. Increduli autem operarij, nullo studio gloriæ Dei, aut Christi,

aut iusticiæ, tenentur: sed suis desyderijs, sibi & gloriæ suæ seruiũt: quæ est ipsis grauior causa æternæ condemnationis.

I. Ioannis v. DEVS dedit nobis uitam æternam: & hæc uita in filio eius est. Qui habet filium Dei, habet uitam æternam: qui non habet filium, uitam non habet. At constat filium aliter adprehendi & haberi non posse, quam per fidem: quæ a fiducia & gloriatione meriti operum nostrorum est alienissima.

Hæc sunt firma & copiosa satis, de doctrina promissionum & Euangelij: quibus nõ hoc agitur, ut conditionaliter per operum nostrorũ merita, saluationem quæramus: sed fides requiritur, nostræ gratuitæ saluationis, quæ facta est per misericordiam Dei, propter Christum. Quare hanc fidei obedientiam gloriæ patris & filij CHRISTI debemus: quam abiurant iusticiarum carnalium professores, non dissimiles perfidis Iudæis. Scio autem cauillationes eorum, quibus utuntur contra hanc iustificationis doctrinã: sed istis respondebitur, ut alio loco pollicitus sum in libro, quem huic addam, secundo. Quanquam uere gloriari possim, hac quam tradidi doctrina, omnia commenta falsæ doctrinæ, de iustificatione, uere ac prorsus confutata, euersa & annihilata esse.

EXOSITIO LOCI PAVLINI, QVOD IMPOSsibile erat legi, eo quòd infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit, &c.

CAP. V. HActenus præcipua illa doctrinæ Christianæ capita duo exposui: prius, quod nullis prorsus operibus nostris coram Deo iustificemur: & alterum illud, quod per solam & gratuitam misericordiam Dei, propter Christum, iustificationis gratiam cõsequamur: si promissioni, qua nobis hoc salutis Euangelium annunciatur, credimus. Secutus in hac doctrina, eam Pauli sententiam, qua Apostolus ille, utrumque breui & absolutissimo cõpendio affirmat: sicut illius memini in huius partis præfatione: quam nunc breui expositione percurram: primum, ut ostendã paucis, quomodo prædictis quadret: Deinde ut si quam adhuc obscuritatem habere uideatur, ea breuiter exponatur. Igitur uerba Pauli principio recitabimus, quæ sic habent. Quod impossibile erat legi, eo quod infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne: ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum.

Quia ergo impossibile erat peccatores per legem iustificari, ideo Deus ipse per gratuitam misericordiam suam eripuit nos tyrannidi peccati et mortis, misso & tradito unigenito filio suo, in precium & satisfactionem pro peccato & morte. Nihil enim aliud sentit Paulus legi impossibile fuisse, quam auferre a nobis peccatum & mortem: & conferre rursus iu-

sticiam & uitam. Lex enim plura & maiora a nobis requirit, quam uiribus nostris praestare possimus, impediti uidelicet, naturae nostrę imbecillitate, seruae peccati & Diaboli. Ita ergo infirmatur lex, quando eius spirituali doctrinae non satis succedit: quantum ad obedientiam nostrã attinet, quam lex a nobis perfectam requirit. Nos enim sumus carnales, acuenundati sub peccatum: & alia affectamus, quaerimus & sectamur, quam lex iubet, & fieri mandat: aut certe, non tantum facimus, quantũ illa a nobis requirit. Nec denicp ea puritate animorum, qua impleri debet. Quare fit, ut lex omnium maxime seruiat nobis, in ostensionem & accusationem nostri peccati, immundae naturę & condemnationis. Auget etiam peccatum lex: quia operatur in nobis seruilem timorem, & odium Dei, quo omnes iusticiae ab homine peccatore fiunt coacta & inuoluntaria, mente & animo: & Deo non possunt placere.

Quare Deus misit nobis pro amplitudine misericordiae suae Iesum Christum, autorem & caussam iusticiae & ęternae uitae: imo ipsam iusticiam & uitam, qui se ipsum trad dit oblationem & uictimam pro nostris peccatis: & tam peccatum a nobis abstulit, quam illius poenam, aeternam mortem. Porro in uicem peccati & mortis, restituit nobis iusticiam & aeternam salutem. Ex hac collatione satis liquet, iusticiã Christianam non esse sitam in meritis operum nostrorum: sed in fide misericordię dei & redemptoris Christi. Et haec hactenus explicata sunt a me, in doctrina de iustificatione: omnibus pijs summa diligentia & cura discenda & tenenda: ut quibus aduersarius iste Dei, IESV Christi, & salutis nostrę, Diabolus, nunquam non resistit: seu per tyrannos huius mũdi, seu quod periculosius est, per impios doctores & callida argumẽta ratiõis.

Sed quid illud est, quod Paulus uocat similitudinem carnis peccati in CHRISTO: imo etiam peccatum? Huius obscuritatẽ opinor, nemo melius explicabit nobis ipso Esaia propheta: cuius sunt in cap. liij. haec uerba, de Christo. Non est forma ei necp decor: uidimus eum, uerũ nulla erat forma, quę faceret, ut eum desideraremus. Haec enim scribit Esaias propheta, non de specie, seu forma humani corporis in Christo: sed quod nulla coram mundo gloria admodum floreret: ita ut impij Iudaei ipsum desyderabant, potentissimum mundi principem, regem & monarcham. Deinde etiam aliter contemptibilis, despectus, & similis homini uano & peccatori, apud Iudaeos adparuit. Putabant enim legis impium prophanatorem esse: & qui gloriam Dei prophanaret. Promissus igitur Iudaico populo rex, summae & ęternae gloriae: adhaec sacerdos, in summo & aeterno pontificatu: cum tamen istarum formarum, secundum externam adparentiam, & quantum ab homine capi posset, nihil pręse ferret Christus. Et ideo contemptus ab isto populo fuit: nihil quam carnalia de Christo & gloria eius somnianti.

Similitudo carnis peccati in Christo quid.

Hinc etiam Ioannes testatur, non receptum fuisse CHRISTVM a suo populo: uidelicet, quod rex ille summę & ęternę glorię esset, & sacerdos prophetarum oraculis promissus: per quem, & in quo Deus humano generi placari uellet & reconciliari: auferre ab illo peccatum & mortem, & conferre pro his iusticiam & uitam. Ac derisus est & spretus non solum cum hac doctrina: uerumetiam pro impio & peccatore habitus est, ut qui prædicasset se eum, qui tamen non esset.

Hæc fuit ergo similitudo carnis peccati in CHRISTO: hoc est, formæ seruilis, abiectæ, plusquam humilis, ridiculę, stultæ, uanę, & hominis peccatoris. Ideo Ioannes ait: In propria uenit, (lux & uita.) & sui eum non receperunt. Agebat enim seruum: & quidem in persona, specie, seu forma uilissima & abiectissima: quæ nulla magnitudinis adparentia, seu gloriæ, populo desiderabilis erat. Itaqꝫ pro luce & uita, uix a paucis est habitus: a cæteris etiam despectus est, & pro facinoroso & iniquo reputatus est. Imo plusquam facinorosus peccator creditus est: nempe, cui exprobratum est a sua gente, tanquam seditioso impostori & seductori, patriæ nocentissimæ pesti.

Sed hac contumelia uoluit DEVS propter nos affici Christum: sicut iterum Esaias testatur. Profecto languores nostros ipse portauit: & dolores nostros in se recepit. Et tamen nos reputauimus eum tanquā plaga percussum a DEO, & infirmatum. (hoc scilicet tribuentes peccatis & blasphemijs, quas Deus castigauisset in eo, subijciens ipsum tantæ & tam ignominiosæ cruci). Verum, propter iniquitates nostras uulneratus est: & propter peccata nostra percussus.

Quare hæc similitudo peccati in CHRISTO non fuit alia, nisi quod a suomet populo, ad quem missus est æternus saluator, lux, iusticia, ueritas & uita, habitus est pro insipiente, stulto, scelerato, flagitioso, uano & blasphemo peccatore: & postremum, quod his pessimis nominibus insimulatus, etiam quasi a Diabolo egressus, cognominabant eum Beelzebub, & rapuerunt ad ignominiosissimam crucis mortem: debitam scilicet homini blasphemo, seditioso, impio & peccatori. Qui reuera tamen nullum unquam peccatum habuit: nisi quod nostra peccata in se recepit, non sibi usurpans illa, sed expians, reatum ac poenā peccati subeundo, quoad per mortem suam nos a peccato & mortē perfectissime liberauisset.

Passus est ergo, tanquam nocens & peccator: in quo tamen fuit summa innocentia & summa iusticia. Sed pro alienis peccatis uoluit offerri, iudicari & damnari: tanquam insipiens, stultus, nocens, iniustus, impius & blasphemiæ summę reus in DEVM: ut nos a peccato, uanitate, insipientia, iniquitate, blasphemijs, & alijs summis uicijs, redemptos, in ius suum recuperaret & transcriberet: hoc est, in communionem

nem æternæ lucis, iusticiæ & uitæ. Sic enim restituta est nobis salus in CHRISTO, quã per Adam amiseramus. Nec potuimus nisi per ignominiosissimam crucis Christi mortẽ seruari, non per iusticias legis.

Non alia sententia quadrat in CHRISTVM, quod peccatum dicitur a Paulo: his uerbis. Et de peccato damnauit peccatum in carne. Nam in hoc loco, peccati adpellatio, non eodem modo accipi debet. Priore enim loco significat Christum, uictimam pro peccatis nostris: idque hebraica sermonis figura. Nam hebræi utrunque, hoc est, tam hostiam pro peccato, quam peccatum ipsum, peccati adpellatione signãt. Posteriore autẽ, significat habitum uiciosum in natura: & mandati diuini quãcunque præuaricationem. Qua ratione, peccatum de CHRISTO non potuit prædicari. Sic ergo exponi sententia Pauli debet: de peccato: hoc est, de Christo, qui traditus fuit, ut per suam mortem, tanquam innocentissima uictima, peccata nostra expiaret, damnauit peccatum: DEVS uidelicet, faciens in eo opus suæ misericordiæ, & infinitæ bonitatis magnificentissimum. Damnauit autem in carne, hoc est, in humana Christi natura: quæ oblata, uictima fuit absolutissima pro nobis, omnes consumans & perficiens coram Deo.

Peccati appellationem bifariam accipi.

Igitur alieno peccato fuit peccator CHRISTVS, hoc est, putatiuus peccator: & poenas alijs debitas sua innocentissima & fructuosissima morte persoluit. Deus autem damnauit peccatũ, hoc est, ius omne accusandi nos peccato ademit, atq; adeo extinxit & aboleuit peccatum, ita ut fieri solet iudicio publico damnatis. Vt dici utrumq; intelligas: per CHRISTVM damnationis perpetuæ sententiam, quæ secuta est peccatum, in poenam, non solum abrogari: uerumetiam peccatum ipsum, quod est in natura nostra, beneficio CHRISTI tandem penitus extirpari & funditus ex natura, ne ullum uestigium illius supersit aut reperiatur. Huc facit primum, nempe, ad cõfirmationem prioris sententiæ illud ad Gal. iij. CHRISTVS redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Deinde posteriorem sententiam confirmat illud, ij Cor. v. Eum qui non nouit peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut nos efficeremur iusticia DEI per illum. Hoc enim oportet de perfectissima iusticia illa intelligere, in qua nulla macula remanebit: quam tunc per imputationem gratiæ & fide nostra possidemus. Hac ergo iusticia auferetur tandem omne peccatum, & omnis immundicia ex natura. Phil. iij. Nostra autem conuersatio est in coelis. Vnde etiam expectamus Dominum nostrum IESVM Christum, qui reformabit corpus humile nostrum, configuratum corpori suo glorioso, secundum efficatiam, qua potest sibi subijcere omnia.

In eũ ergo modum ut dictũ est, similitudo carnis peccati, & peccati adpellatio in Christum quadrat. Porro, lex fit a nobis, siue ut Pauli uerbis

Lex quomodo fiat à nobis

utar, iustificatio legis implet in nobis, per Christū: qn̄ uidelicet, quicqd nō facimus q̄d legi debemus, id totū ignoscitur nobis propter fidē in Christū, legis impletorē. Atq; adeo quando spiritus sanctus nobis datur, per cuius uirtutem agentem in nobis, ipsi quoque legem nonnihil implemus: non ut illa obedientia nostra uitam æternam promereamur. Sed ut iustificati & salui atq; beati per Christum in fide fructificemus & proficiamus, cum DEO & Christo Iesu in honorem, tum proximo in ædificationem, adeoque in ipsius fidei nostræ confirmationem. Sed de hac tota ratione, mox plura.

DE IVSTICIA CHRISTIANA,
& quorsum referendum sit, quum dicitur, quòd sola fide iustificemur.

CAP. VI. Ergo iusticia Christiana, non est qualitas, seu habitus in nobis: sed beneficium diuinæ & cœlestis gratiæ extra nos. Neque enim philosophice intelligenda est dici, de nostris uirtutibus, seu nostra obedientia erga legem: sed Theologice, de mere gratuita illa misericordia dei, qua nobis remittuntur peccata nostra, & qua iusti reputamur, propter seruatorem CHRISTVM. Nec alia iusticia efficimur uitæ æternæ hæredes: si tamen misericordiæ DEI credimus, hæc gratuita gratiæ dona & beneficia offerenti nobis in Christo, siue per Euangelij promissionem de CHRISTO. Neq; opus est nobis hic grandi aliqua sylua testimoniorum, qua hanc sentētiam confirmemus: quia in hac tota parte de iustificatione, nihil aliud egimus, nisi ut illam quam uerissimam & sanctissimam monstraremus. Idq; præstitimus uarijs & multis testimonijs sanctæ scripturæ.

Iusticia Christiana.

Liquet igitur, hoc non habendum esse pro iusticia illa CHRISTIANA, quæ saluum faciat & beatum impium, seu peccatorem, coram DEO, esse multis operibus bonis, ut uocant, præditum, habere priuatas seu proprias uirtutes, precari, dare eleemosynam, ieiunare, fugere & uitare uicia, & similia agere, seu operari, de quibus præcipitur in lege: sed credere, DEVM nobis reconciliatum esse propter Christū, & Christi beneficio nobis ignoscere, remittere peccata, reputare iustos, quanquam simus peccatores, condonare & disponere æternam uitam & beatitudinem, omnia gratis, per misericordiam, diuinam bonitatem.

Hac iusticia respicimus in CHRISTVM, mediatorem huius gratiæ & precium pro nostris peccatis, & morte: non in facta seu operatiōes nostras. Nihil em̄ habemus, quo corā deo ipsi pro peccato & morte satisfecerimus, Nec sunt perfectæ iusticiæ illæ nostræ quas præstamus, ut maxime nullū peccatū haberemus: sed sanguis Iesu Christi filij dei emūdat nos ab omni pctō, atq; idē est uita & æterna salus nostra. Sic cum queri-

queritur, quare iustificetur impius corã Deo, recte & necessario respon
det, sua fide, eaq; sola. Iustus eñ sua fide uicturus est. Est eñ promissio
nis correlatiuũ fides: & promissionẽ, qua saluamur & beati sumus, aliter
nec accipere nec habere possumus nisi fide. Hinc Ioannis primo dicitur:
dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Intel-
lige, CHRISTI mediatoris & caussæ æternę saluationis. Item Ioan.
tertio. Qui credit in filium Dei, habet uitã æternam: qui aũt incredulus
est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eum. Ergo dam-
nationis caussa est incredulitas, quæ repudiat gratiam, eoque illius
est indigna.

Cum ergo dicitur, quod sola fide iustificemur, id non debet referri,
nisi ad misericordiam Dei, quæ nobis præstita est, per propitiatorem
Christum: & per solam fidem adprehenditur & tenetur. Eoque dici-
mur fide iustificari, ut Roman. iiij. v. ix. x. Gal. ij. iij. v. nimirum
tanquam causa adprehendente misericordiam, qua saluamur, propter
CHRISTVM. Et ea locutione certe, subintelligenda est particula
hæc exclusiua, sola, qua nihil agitur, nisi q; meritis operum nostrorũ
detrahitur debitum iusticiæ & saluationis. Saluatio enim gratuita est:
& iusticia qua sumus Deo accepti, est peccati remissio, quam habent
qui in CHRISTVM credunt, nec alia re seu medio, nisi per fidem.
Roman. iij. Decernimus igitur iustificari hominem, per fidem: sine o-
peribus legis. Et cap. iiij. Ei uero qui non operatur, credit autem in e-
um, qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iusticiam.

Ita hæc exclusiua, qua tollitur operum nostrorum fiducia & gloria-
tio: seu, meriti remissionis peccati, & æternæ uitæ: sæpe est apud Pau-
lum. ut Ephes. secundo: Gratia enim estis saluati, per fidem: & hoc
non ex uobis, DEI enim donum est, non ex operibus: ut ne quis glo-
rietur. Hanc igitur nemo ita accipere debet, quasi obedientiam nostrã,
quæ est erga legem, tollat & excludat: quæ certe aliqua in renatis se-
qui debet. Sed existimet tolli & damnari, fiduciam meriti, remissio-
nis peccati, iusticiæ & æternæ uitæ, per opera singulorum coram
DEO. Hæc enim laus, hoc est, mereri remissionem peccati & salua-
tionem, est solius CHRISTI filij Dei: Præstitit autem misericor-
dia DEI patris, ut filius Dei pro nobis redimendis carnem indueret, se
seque traderet in mortem. Et ille non uult aliter teneri, seu noster es-
se, nisi per fidem. Nam quia pro nostris peccatis traditus est in mortem
CHRISTVS: non sumus iusti per merita operum nostrorum,
aut satisfactionum nostrarum: sed per iustificatorem CHRISTVM,
quatenus in eum credimus.

Sic igitur sapere & nosse CHRISTVM, est pie & fœliciter sa-
pere. Quia hæc est illa noticia Christi, de qua Esaias dicit, imo DOMI

NVS per Esaiam: In noticia sui, iustificabit ipse iustus seruus meus multos: & iniquitates eorum ipse portabit. Nec mirum uideri debet, si impijs & mundo pro uanitate & stulticia habeatur, ita sapere: quia non est nouum aut rarum, ueritatem & iusticiam contemni ab impijs & negari. Lux & uita in mundo erat: tamen impius mundus, ipsum non cognouit. Deinde, hæc est spiritualis & diuina sapientia, quæ captum rationis prorsus excedit: nedum a carne fastidiatur. Qua tamen qui præditi sunt, in nullum periculum salutis cadere possunt: quia portę inferorum non praeualebunt aduersus eam.

QVOMODO LEGEM IMpleuerit pro nobis seruator noster Christus.

CAP. VII. DOMINVS & seruator noster Iesus Christus, ut refertur Matthæi. v. Nolite, inquit, putare, quod uenerim soluere legem aut prophetas: (hoc est, leuare, abolere, tollere, destruere & in nihilum redigere, cum legis tum prophetarum autoritatem: tanquam uanæ & inutilis doctrinæ: in quo fuisset summa contra DEVM blasphemia: & tamen a plerisq; credebatur hoc fieri a Christo. Nam legem tunc magna pars Iudaici populi pro iustificationis doctrina habuit: cui opinioni Euangelij prędicatio aduersabatur: Deinde in Christo promissum literis prophetarum expectabant temporale, mundanum & transitorium regnum: sed impio errore. Cum ergo horum nihil cerneret in Christo, quę sibi de illo promittebant, offendebantur multi: quorũ Christus cogitationibus hac sententia respondet.) Non ueni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico uobis, donec trãseat coelũ & terra, iota unum & apex unus non præteribit ex lege, donec omnia fiant.

Igitur notandum est, quod ubi dicit se uenisse, implendę legis causa, & prophetarum, cõmendare se nobis officium & beneficia sua. Primum quia uenerit legi pro nobis satisfacturus, cui nos non potuimus satisfacere: Deinde, quia eo ipso officio, se talem nobis exhibuit, qualis fuit in literis prophetarum promissus: nempe, Christus: in spirituali sacerdotio & regno. Necesse autem fuit exactionibus legis satisfieri: ideo etiam necesse fuit, ut Christus nasceretur & ueniret, iuxta prophetarũ promissiones, qui unus potuit legi pro oĩbus satisfacere. Qui nisi uenisset, hoc officium nobis facturus & pręstiturus, nemo nostrũ saluus fieri potuisset: quia nos legi nunquam satisfacimus, nec possumus satisfacere.

Hic igitur impleri legẽ intellige de perfectissima iusticia & sanctitate Christi: qua illa omnia quæ requirit lex purissime & cumulatissime præstitit ac fecit. Adhæc, quod se ueram uictimam & oblationem exhibuit DEO, pro nostris peccatis, & pro æterna morte. Deinde intellige, his omnibus officijs Christũ nobis seruijsse: sicut ipse testatur Matt. xx.

Filius

Filius hominis non uenit, ut sibi ministretur: sed ut ipse ministret, & det animam suam in redemptionem pro multis.

Igitur Christo legem implere, est spiritu illam facere: & mādata illius plenissime præstare. Item satisfacere omnibus officijs suis pro nobis legi: mereri remissionem peccati & liberationem ab ęterna morte. Quod fecit quidem, quando semetipsum tradidit purissimam & innocentissimam uictimam & hostiam pro nostris peccatis. Descendit enim e coelo, ut nos eo pacto redimeret: & ideo debuit offerri ac mori pro nostris peccatis, quia lex hostiam mundam requirebat: qualis tamen nusquam reperiebatur. Et nisi Christus uenisset, nulla præstita fuisset: atque ita nemo unquam potuisset a maledictionibus legis liberari.

Sed quoniam uenit, & legem impleuit, saluati sumus: quatenus credimus in eum, sicut Paulus dicit: Finis legis CHRISTVS, ad iusticiam omni credenti. Igitur, cum impletio illa sit nostra, nostri redimendi causa præstita & facta, sicut omnia Christi: imputatur enim nobis per gratiam, quasi nostris uiribus, nostra obedientia & nostris satisfactionibus illam præstitissemus: ideo hoc gratiæ beneficio dicimur legem implere, per imputationē, seu imputatiue. Sicut iusti uocātur, quos deus reputat & pronūciat iustos: seu, quibus nulla peccata imputat, nempe his, qui in CHRISTVM credunt. Quia igitur propter Christum reputamur iusti, perinde ac si legem nostris officijs impleuissemus, fides est impletio legis imputatiue: qua sumus accepti coram Deo, iusti, sancti, & in æternum beati, uidelicet reconciliati per Christum. *Impletio legis imputatiua: qua saluamur.*

Non ergo implet legē CHRISTVS, condendo nouas alias leges: quibus nobis grauius onus inijciat: & difficiliorem faciat salutem, quam antea Moses fecerat. Sed liberat nos ab onere legis: & aufert nostra peccata, iram legis & æternam mortem. Nam postquam uoluntariam mortem pro nobis subijt, & sanguine suo a peccatis lauit: nihil habet lex, quod ulterius desiderare, uel accusare in nobis possit, modo nos uera in Christum fide prædìti simus: qui factus est precium & soluendo pro nobis, in ea maxima re, in qua nos nihil efficere potuimus, seu debitæ obedientiæ præstare. Hoc quidem agit Christus in legis prædicatione & doctrina, quod illam pro officio doctoris exponit: & a uepribus pharisaicarum opinionum repurgat, & suæ integritati spiritualissimam doctrinam restituit: sicut cernere est Matth. v. *Christus non fuit legislator.*

Sed extra hanc consyderationem, & ubi disputatur de legis impletione, ibi agitur de præcipuo seu principalissimo officio CHRISTI: quod est legem implere, & sua illa impletione, (quæ, ut facta est dixi.) homines peccatores liberare ab exactionibus legis, ab ira damnante, a peccato & æterna morte. Et eo respicit Paulus, ubi dicit: Non estis sub lege, sed sub gratia, Roman. sexto. Item ad Galatas tertio.

CHRISTVS redemit nos de maledictione legis. Et ad Colloss. secundo. Et uos cum mortui essetis in delictis & preputio carnis uestrae, conuiuificauit cum illo: donans nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographū decretis cōstans, q̊d erat cōtrarium nobis.

Ita quidem, si quis nos respiciat, quales simus, sine beneficio gratię huius, de q̊ loquimur, reperiet non solum legis debitores esse, uerūetiam aeternis maledictionibus execrabiles & execratos. Ideo, quia exactionibus legis nemo satisfacit. Rursus, si inspiciat, quales beneficio gratiae per Christum facti simus, intelliget nos legi nihil quicquam debere: & ab illius maledictionibus in totum liberatos esse. Quia CHRISTVS, quicquid legi debuimus, pro nobis praestitit & sanguine suo lauit a peccatis.

Verum haec gratiae beneficia tantum sunt nostra, quantum credimus in Iesum Christum, legis impletorem. Sine fide enim nulli conferuntur beneficia Christi: sed cum recipimus eum fide, tunc talis est nobis, qualem gratia offert, hoc est, legis impletorem, & sanctificatorem pro nostris peccatis & liberatorem ab aeterna morte: in summa, uerum & aeternum seruatorem.

Ex his intelligere est, quid sit, quod Paulus dicit. Roman. viij. Iustificationem legis in nobis impleri per Christum. Sentit enim, Christum hoc beneficium nobis pręstitisse, quod lex nulli potuit praestare, uidelicet, ueram iustificationem & liberationem ab aeterna morte. Nam licet perfectissime praedicet iusticiam, tamen nulli confert iusticiam: cum sit litera mortua & impedita per imbecillitatem nostrae carnalis naturae. CHRISTVS autem redemptor noster, qui pro nobis omnia egit & passus est, legi per omnia satisfecit, ut illi amplius nihil debeamus. Gal. iiij. Vbi tempus completum est, misit Deus filium suum, natum ex muliere, factum sub legem, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Caeterū q̄ Paulus dicit, iustificationē legis impleri in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secūdum spiritum: attexit nouam aliam rem. In ea enim loquitur de effectu spiritus sancti in renatis: de quo mox & nos dicemus.

Lex ergo, quia accusare eos, qui in Christum credunt non potest, & ius exigendi perfectam obedientiam nullum amplius habet, consumata & impleta est: propter impletorem Christū. Amittit etiā ius & autoritatē legis: non ut uana doctrina: sed ut quę iudicis officio ulterius fungi non potest. Non potest enim, eos qui Euangelio & Christo Iesu credunt, damnare & maledictionibus deuouere. Quare iam non est lex, hoc est, non est onus, non est exactio, non accusat, non damnat: quae sunt alioqui propria officia, & proprij effectus legis: sed doctrina est, quae in cōsilium adhibetur: tum, ut certius peccata nostra cognoscamus,

& ue-

& uero atq; perfecto timore coram Deo humiliemur: tum etiam, ut discamus, quibus in rebus, seu qua obedientia, fidem nostram iustificati exercere & confirmare debeamus. Non enim lex desijt esse doctrina: etiamsi onus esset desijt, seu exactio, & accusatio nos iudicās & dānans. Desijt autem hoc esse propter CHRISTVM, quatenus credimus in eum. Nā qui nō credunt in Christum: quales sunt, qui per opera sua iustificari quęrunt: illi sub onere legis manēt, & sunt totius legis debitores. Et quia legem non possunt implere, nec exactionibus illius satisfacere, manent prętereà rei æternarum execrationum legis. Qui enim non credunt Euangelio condemnabuntur, Mar. ultimo, Item Roman. x Ignorantes iusticiam DEI & propriam quærentes statuere, iusticiæ Dei non sunt subiecti.

A IVSTIFICATIS FIERI, SEV IMPLERI legem: uirtute spiritussancti

CAP. VIII.

CAEterum, quoniam EVANGELIO uocamur etiam ad pœnitētiam: sicut Christus ait: Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Pœnitentia autem significet actiones nostras, seu obedientiam nostram: nempe, conuersionem nostri ab operibus peccati ad opera iusticiæ, quę alia non requiritur, quam in lege præcipitur: ideo & dicendum erit, de illa obedientia nostra, & quomodo iustificati faciant seu impleant legem. Illā enim nō proprijs uiribus, sed spiritu sancto pręstant: sicut liquet ex illo Pauli: Ephe. ij. Ipsius enim sumus factura, creati per CHRISTVM IESVM ad opera bona: quę pręparauit deus, ut in illis ambulemus. Sic ambulare, uidelicet, excellere operibus bonis, & ea quæ DEVS præcepit pręstare, est spiritu ambulare; & non secundum carnem.

Impletio legis effectiua: qua Deum pro gratia glorificamus, fidem exercemus & confirmamus.

Porro, hæc est impletio legis effectiua, in nobis, cum illa superior imputatiua, sit extra nos, nisi quatenus recipimus eam per fidem. Ideo hac nemo saluatur, nec a peccato, nec a morte. Quia saluatio est alieni beneficij: & contingit nobis gratis, per misericordiam, propter CHRISTVM redemptorem. Vt ergo nec operibus pręcedentibus fidem, ita nec sequentibus iustificamur, hoc est, nihil iusticię aut salutis meremur per ulla opera nostra. Quanquam sint necessaria opera bona in renatis; illi enim, ut Paulus testatur, non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum: In Euangelio dicuntur pœnitentiam agere: de quibus & ad Gala. v. ita scribit Paulus: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum affectibus & concupiscentijs.

Proinde alius finis quęri debet bonorum operum, quę soli qui Euangelio credunt & spiritu sancto reguntur præstant, quam hac opinione illa facere, ut iusticiam & æternam uitam mereamur. Hęc enim impia persuasio negat gratiam Euangelij: & Christum redemptoris loco ex-

cludit. Ideo fugienda est, ut precipua causa æternæ condemnationis. Sed priusquam de fine bonorum operum dicemus, illud uidebimus, quod ut dixi, lex a iustificatis fit spiritus sancti uirtute.

Ergo illius quidem extant clara testimonia, uidelicet legem non fieri a nobis, quam uirtute spiritus sancti, cum alijs scripturę locis, tum Hieremiæ xxxi. Ezech. xxxvi. Roman. viij. Nec opus est, ut isti loci huc describantur: satis est tenere, nullam carnem per se efficacem esse ad prestādam legem: illam autem efficatiam & uim, qua precepta DEI facimus, Deum ipsum suppeditare nobis, uirtute spiritus sancti. Itaque & fidē beneficiorum Euāgelij in nobis creat: sicut Paulus docet ad Ephe. primo, qua legem per gratię imputationē implemus, ut proximo loco expositū est.

Deinde, noui alij motus interni boni creantur in nobis a spiritu sancto: sed maximum est, quod liberat nos ab incredulitate & noticiam misericordię patris & redemptoris CHRISTI nobis donat. Hæc enim est iusticia & uita æterna. Esaię. liij. Abac. ij. Ioan. xvij. Hanc sequitur pax cordis, & certissima securitas placati Dei patris Roman. v. Deinde, omnis reliqua obedientia, omnium mandatorum DEI: & in summa, chorus quidam ornatissimus omnium uirtutum: nempe, confessionis glorię Dei & IESV Christi, gratiarum actionis, inuocationis, tolerantiæ in afflictionibus, dilectionis erga proximum & studiorum pacis: simul omnium carnalium desideriorum peccati mortificatio. Quæ tunc etiam pia est, quando cauent pij, ne desyderia carnis in ipsis regnēt: etiamsi non prorsus queant, quamdiu in carne uiuimus extirpari.

Iam non aliud spectant pij his operibus bonis, & obedientia sua, quā ut DEVM glorificent pro gratia: cuius uoluntati non possunt uelle reniti, sed illi se ex animo subijciunt. Sunt ergo illa opera confessionis fidei: & quædam sacrificia laudis & gratiarum actionis: sicut docetur Roman. xij. Hebræ. xiij. non aliter accepta, quam per fidem in Christū, prima Petri secundo. Sunt item perpetua quędam exercitia fidei: quibus illa crescit, augetur & cōfirmatur. Quia ut nulli, qui flagitiose uiuunt, fidem retinere possunt: ita qui sobrie, iuste & pie uiuunt, eo ipso accipiunt quoddam robur spiritus, & suę fidei cōfirmationem, ij Pet. i.

Significat autem recte Paulus, quosdam ambulare secundum carnem: id nos oportebit accipere non de illis solum, qui externa opera praua committunt: sed uel maxime de contentiosis istis, qui ueritati Euangelij non acquiescunt, & manent in incredulitate: & iusticijs rationis in re saluationis primas deferunt, idque suo quodam carnali iudicio, de quo Paulus dicit: Prudentia carnis mors est. Deinde & illi alij intelligendi sunt, secundum carnem ambulare, qui flagitiose uiuunt, hoc est, actionibus mortalium delictorum indulgent, in quibus qui sunt, & manent sine poenitentia, non possunt salui fieri. Similiter, qui in operibus

ribus bonis ſunt negligentes: frigent ac ceſſant. Sicut de his omnibus docemur Ephe. v. Gal. v. i. Cor. vi. Matth. xxv.

CREDENTES, ET QVI SPIRITV AMBVLANT *ac uiuunt, ſunt iuſti: non tamen abſq; imperfectione & defectu operis boni.*

CAP. IX.

Reliquias peccati eſſe in renatis, per quas fit, ut plurimum deficiant in pręcepta operum iuſticia, & debita obedientia, ac ſint minus perfecti, nemo ignorat, niſi ſtupidi, ridiculi & miſeri iuſticiarum rationis patroni: Papiſtę, Hypocritę & Phariſei. Si enim nihil amplius peccati ſupereſſet in carne ſanctorum, fruſtra eſſet & inanis totius pœnitētiæ prædicatio. Nec enim poſſent labi in ullum peccatum, quamdiu rex eſt CHRISTVS: qui deſtruxit imperium peccati, & captiuum retinet. Eſt autem rex æternus. In ſumma, fruſtra eſſet omnis bonorum operum doctrina: qua docemur carnem frenare, concupiſcentijs eius reſiſtere, creſcere in iuſticia, & ſemper in melius proficere. Sed adeſſet iam in re perfectiſſima immortalitatis gloria: & æternę uitę beatitudo. Sed quoniam profectu iuſticiæ opus habemus, conſtat nos nondum eſſe perfectos: adhæc quicquid deeſt perfectioni debitę, hoc eſſe peccatum in nobis. De cuius reliquijs uide quę Paulus ſcribat Roman. vij.

Eſt igitur peccatum in renatis, cui oportet uirtute ſpiritus ſancti reſiſtere. Ex quo intelligere eſt, eos qui credunt in CHRISTVM IESVM eſſe iuſtos quidem & conſumatos: non tamen abſque defectu & imperfectione. Nec protinus deſperandum eſſe de eorum ſalute, qui in aliquibus uicijs, & morbis peccati laborant. Cœpimus enim curari: & illa curatio nondum eſt completa. Sunt autem perfecti & iuſti quilibet Chriſtiani, & uitę æternę hæredes, quatenus in CHRISTVM IESVM credunt: ſed in carne habent ſua quędam uicia, quæ extirpare debent: aut certe cauere, ne regnent: ſicut Paulus docet Roman. vi. Iuſticia aliena ſunt conſumati: in ſe autem habent multiplicia peccata. Quia carnalis natura non minus eſt in renatis, quam in alijs: quanquam renati illis uicijs quæ habent in carne reſiſtant, quæ apud alios pleno imperio regnant. Exhibent autem frequenter tantum negocij, homini ſpirituali: ut uix cum ſumma difficultate illorum motus uincantur. Sicut Paulus dicit: Spiritu ambulate & deſyderia carnis non perficite. Caro enim concupiſcit aduerſus ſpiritum: & ſpiritus aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, ut non quæcunque uultis, illa faciatis. Gala. v. Et plura in hanc ſententiam Roma. vij.

Propter hoc peccatum, & imperfectionem iuſticiæ, indigemus perpetua remiſſione peccati: etiam in bono opere, ſi quod præſtamus. Quanquam autem hi, qui credunt in CHRISTVM IESVM non poſſint damnari, propter hæc uicia carnis: propter fidei fundamen-

tum & petram CHRISTVM, cui innituntur: contra quam nihil possunt nec portae inferorum. Sicut etiam Paulus testatur, Roman. viij. Nihil damnationis est his, qui sunt in CHRISTO IESV. Item, Si Deus pro nobis, quis contra nos: &c. Tamen haec naturae uicia non licet securo animo contemnere: sed & timorem DEI retinere debemus, & pro remissione istius peccati continuo precari. Multo minus licebit ambulare secundum carnem: & desyderia eius explere, sicut etiam paulo ante docui in proximo loco. Huc facit illud Pauli Roman. viij. Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis.

Caeterum grauiora peccata, & exempla illa facinorosorum, sunt horribiles & periculosę tentationes: & fere accidunt in poenā illis quos DEVS tradidit in reprobam mentem. Quanquam graues ruinae ipsis quoqꝫ sanctis nonnunquam accidant: uerum isti per poenitentiam iterum restituuntur. Quorum exemplis docemur, timere DEVM, & non confidere uiribus nostris. Accidunt enim tales lapsus, ut imbecillitatis nostrae admoneamur: & uideamus, quae sit uis peccati in carne: & Dominum semper pro gratia, contra imperium peccati & Diaboli, rogemus. Sed quid omnes pręstare deceat pro mortificanda carne & illius concupiscentijs, pulchre docet Paulus, in epistola ad Col. cap. iij.

Haec hactenus in alteram poenitentiae partem, de fide & iustificatione: donec duobus alijs libris, quos institui, alterum contra pharisaicam doctrinam, fidei & poenitentiae: alterum uero, de fructibus iustificatorum, dignis in quibus se exerceant, qui uere poenitentiam agunt, copiosius scribā, si quid in hoc scripto desyderetur: donante nobis uires & spiritum CHRISTO IESV: Cui sit aeterna gloria.

AMEN.

Verbum DEI nostri stabit inaeternum. Esaiae xl.

FINIS primi libri, de poenitentia.

COMMENTARIORUM DE POENITENTIA, LIBER SEcundus, contra Pharisaicas doctrinas.

Pater filio hoc testimonium perhibuit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, IPSVM audite.

Filius autem, qui uenit nos saluos facere a peccato & morte, ita alloquitur nos: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & EGO reficiam uos.

De doctrinis uero hominum pharisaicis sic pronunciat: Frustra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.

QVAE SVMMATIM IN HOC SECVNDO Libro de poenitentia doceantur.

Pars Prima agit de cauillationibus, quæ ab aduersarijs obijciuntur doctrinæ, de gratuita iustificatione & saluatione nostri, quæ est per CHRISTVM.

Pars Secunda continet confutationem doctrinæ pharisaicæ de poenitentia.



PRAEFATIO IN

QVA DE OCCASIONE ET *argumento secundi libri, de pœnitentia.*



VONIAM libro superiore absolui qua potui diligentia, precipua illa capita doctrinæ, que in pœnitentiæ predicationem incidunt, & de quibus necesse habemus Christiani doceri, uideri poteram officio meo perfunctus esse. Etenim pro uirili exposui, quid sit pœnitentia, quas partes habeat, quæ sint officia singularum partium, qui effectus & fines. Partes autem posui contritionem & fidẽ: in quarum expositione etsi per me uariatum sit a scholasticorum Theologorum opinionibus, consuetudine & sententia: tamen non potest eos offendere, qui doctrina ueritatis imbuti sunt, aut qui discendo illam amplecti malunt, quam pernitiosas hominum doctrinas. Cæterum institutionem de fructibus pœnitentię, seu operibus bonis, quibus se exerceant iustificati, distuli certò quodam consilio in alium librum. Quãquam si quis mox & de illis doceri uelit, habet non contemnendam admonitionem, libro horum de pœnitentia primo, parte secunda, capite ultimo. Neque uero cadit, ultra hęc capita doctrinæ, aliud in pœnitentiæ quæstionem: in qua summa est quædam totius Christianæ doctrinæ, (si recte explicetur,) de iustificatione & saluatione.

Nam in literis sacris præcipua est fidei doctrina: sed fidei docendę ratio exigit, ut peccatum & transgressiones nostras per legem, quales sint & quantæ, perfectissime & diligentissime cognoscamus. Quia sine hac intelligentia nemo satis idoneus est, ad recipiendum fide beneficia Christi: siue, ut adplicetur ad gratiã iustificantem & saluos facientẽ, per Christũ. Sed in uera peccati cognitione existit contritio, pars illa prior pœnitentię: in qua est dolor & cruciatus animorum, & terror in mente. Ad quem sanandum cum accedit consolatio per Euangelium, qua DEVS territos & desperabundos, restituit in spem æternæ salutis, proposita reconciliationis promissione & remissi peccati, quatenus EVANGELIO credunt, tum profecto quicunque credunt, adprehendunt iusticiam & uitam æternam. Et tot partibus absoluitur interior renouatio, seu conuersio: qua cum DEO in gratiam redimus peccatores, & a peccatis et ęterna morte iustificamur seu absoluimur. Sed quantę efficatię sit hęc interna ad Deum conuersio, non paucis exposui, ubicunqꝫ data est occasio, ut sæpe, libro superiore: & sequentibus duobus idem subinde & firmius & copiosius dicetur.

Huic

Huic uero Christianæ doctrinæ uarie reclamatur ab impijs & prophanis doctoribus: & a cæco atque ingrato mundo. Quod qua æquitatis aut pietatis specie fiat, conabor in hoc secundo libro, adiuuante me gratia DEI, & spiritu Iesu CHRISTI, nonnihil demonstrare. Primum, ut me quoq; teste, contra regnum & tyrannidem Antichristi, palam fiat, quam male habeant Ecclesię, in quibus ad eum modum nō prædicatur CHRISTVS, & pœnitentia ipsius nomine, ut prędicandum esse docui. Deinde, ut, quoad fieri potest, hoc scripto in publicum ædito, nonnullis piorum hominum seruiam: dato consilio, quomodo a pernitiosis hominum doctrinis, & caueant sibi, & fugiant perditionis iram. Hoc enim confido fieri posse, si beneficio cœlestis gratię, imposturas, mendacium doctrinarum, retegam. Quo consilio certe, & Paulus præcipit ἐπιστομίζειν, & os impium obstruere, his qui uana, falsa & impia, pro Christianis doctrinis, in Ecclesia spargunt. Omnino enim, falsa & impia dogmata refutare, habet non minorem necessitatem, quam uera prædicare & tueri. Imo quis posset uera utiliter tradere & fœliciter tueri, sine impiarum doctrinarum accusatione? Quia ut impiæ doctrinę semper fuerunt in mundo, ita nunquam aliter futurum est, quin maneant semper, impellente suos Diabolo, contra gloriam CHRISTI, & totius Ecclesiæ salutem. Vnde uidemus, tum prophetas, tum Christum ipsum & Apostolos, in refutandis impijs doctrinis, enixissime laborauisse. Tam igitur falsę & impiæ doctrinę confutari, & quoad fieri potest eradicari, ac funditus tolli a pijs doctoribus debent: (uariæ hoc tempore, & ab ambitiosis & auaris hominibus confictæ, & introductæ in Ecclesiam: adeoque ab hypocritis, fidei in CHRISTVM ignaris.) quam uerax & pia, quæ est simplex & una profiteri & plantari, tradita a prophetis, Christo & Apostolis.

Hoc consilio proinde institui hunc librum: in quo scribitur duplex confutatio, contra impias doctrinas. Prior, de gratia & fide: contra pharisaicas doctrinas, quibus hoc tempore, doctrina gratię & fidei non obscuratur solum, uerumetiam opprimitur. Posterior, de pharisaica pœnitentię doctrina: qua non de gratia aut fide, sed de operibus obedientiæ nostrę disputatur. Scribam autem ea moderatione, ut pia & utilia potius tradam, quā ut sine fine cum istis quibusdam rixer, quorū aures iam dudū obsurdescūt ad Euangelij & Christianę pœnitentię prędicationē. Taceo illos, qui primi esse debuerunt in Euangelij Domini nostri Iesu Christi cōfessione: usq; dum mortem pro illius gloria perferrent & sanguinē suum effunderēt. Sed quid agāt, dam nō est ipsi mūdo. Igitur in priore cōfutatione, dicā de cauillatiōibus, quę a plerisq; obijci solēt scripturę sentētię de gratia, remissione pcti, fide & iustificatiōe qua saluamur. In altera scribā de pœnitētia, pharisaicis opiniōibus corrupta: pindē ut gratię

& fidei doctrina, ab his qui merita iusticiarũ rationis prędicant ac docet.

Commentum de fide formata. Prioris confutationis hæc fere capita erunt. Primum, false doceri, & impie receptum esse, hominem non iustificari coram DEO sola misericordiæ Dei fide & propiciatoris CHRISTI, nisi carnalium iusticiarũ ipsius merita accedant. Hæc sunt autem in doctrina de fide formata apud scholasticos Theologos: quæ nunc mordicus, contra Euangelij & gratiæ doctrinam, a multis pharisaicis spiritibus retinetur & urgetur. Nolunt enim quidam ex illis uideri & reputari, aliquando se errauisse: in quibus plane contemptus quidam Euangelij & gratiæ regnat. Pars existimat impio errore, quod promissio EVANGELII conditionem operum & meritorum nostrorum requirat. Sic enim multi ab Euangelio ad legem relabuntur: quo non properant, nec aliud efficiunt, quam ut semetipsos æternarum maledictionum reos, dedant pręcipites in sempiternam condemnationem. Quare hac in parte offert se mihi urgentissima causa accurate dicẽdi de gratia, iustificatione & uera in Christum fide: contra somnium & monstrum rationis, quod apud scholasticos Theologos adpellatur, fides formata.

Meritum cõgrui & condigni. Secundo loco dicam de ea impia opinione, quę tribuit operibus nostris duplex meritum: congrui uidelicet & condigni. Nam alterum gratię cuiusdam primæ, quo nomine intelligunt donum infusum, diuinam & spiritualem uirtutem: quę sit habitus qualificans iusticias nostras & acceptas coram DEO efficiens. Intelligunt autem dilectionem, quę cũ adsit homini, impetrata merito congrui, ita perficiat illius iusticias, ut operibus sequentibus uitam ęternam sibi promereatur. Sic enim Christũ in uniuersum sepeliunt: & quantum in ipsis est, nullum Christifidelibus usum eius relinquunt: quia iusticijs nostris tribuunt perfectionem meriti gratię, remissionis peccati, iusticię & ęternę uitæ. Sic enim docent: si homo impius & peccator faciat quod in se est, uidelicet, opus liberi arbitrij, non esse quidẽ in eo opere condignitatem meriti, ipso nondũ existente in gratia cuius est hoc opus: tamen congruum esse, ac decere DEVM, ut det gratiam. Porro autem habita gratia: hoc est, dilectione & renouato cordis motu, tunc attẽdi opus hominis, secundum quod procedit ex gratia spiritus sancti, & sic meritoriũ esse uitę ęternę de condigno. Neq; cõfictę sunt istę distinctiões de operũ meritis alia causa a scholasticis Theologis, nisi quod cauere uoluerunt infamiam nominis Pelagianorum: sed parum sobrie, non intelligentes neque se quid dicerent, neq; scripturas quas corruperunt. Non igitur effugere possunt pessimam hæreseos notam: quia nihil refert, quod fingunt se de congruo mereri: & q amplificant dignitatem operum, quę fiant mediante gratia spiritus sancti, dum constat eos negare uidelicet, beneficia gratię Dei & iustificationis nostrę gratuita esse: in quo caput est & summa hęreseos Pe-

os Pelagianorum. Quare nec differunt a Pelagianis, nisi per portenta quædam inanium & captiosorum uerborum.

His iam dictis deinceps adijciam, quo sensu accipiendum sit, quando dicitur: impium sola fide iustificari coram DEO. Oportet enim retinere hanc propositionem in doctrina de iustificatione: nisi ueritatem perfidus prodere uelis, quæ testatur, iustum fide sua uiuere, & impium fide iustificari, sine lege, sine operibus, & sine iusticijs nostris. Igitur hanc propositionem retinebimus: utcunque pessimi quidam rabulæ horũ temporum, sycophantæ & maledici homines, illa offendantur. Deinde refellere pergam, hoc absurdissimum, uanissimum, & summæ blasphemię commentum, aduersariorum nostrorum, quo docent fidem tam esse rem uulgarem, prophanam, inutilem per se & infructuosam, sterilem ac mortuam, ut etiam impijs istis & qui sine poenitentia in peccatis mortalibus uiuunt contingat: nisi portẽtum istud, quod dicitur fides formata a scholasticis Theologis, recipias fidem iustificantem recte dici & esse. Mox ostendam, hoc quoque impie receptum esse, traditum a scholasticis, quod in doctrina de iustificatione, non detrahatur in uniuersum omnibus operibus, quæ a nobis fieri possunt, meritum iustificationis: sed solis cærimonijs Mosaicę legis. His omnibus accedet breuis responsio ad quędam alia obiecta aduersariorum: in quibus pręsertim citant contra nos aliquas scripturæ sententias, ita frigide & indocte, ut pudendum sit Theologis: imperitis tamen noxium. Tot enim capitibus inest fere tota summa impiarum doctrinarũ, quibus gratia & beneficium seruatoris CHRISTI negatur. Quibus a me in confutatione absolutis, adijciam coronidis uice expositionem de gratia saluante: cum breui enarratione loci Paulini ad Roman. iij. de iustificatione.

Sola fide iusti

Impijs non esse fidem.

Iusti sine omnibus operibus.

In altera & posteriore confutatione, eum ordinem sequar, quem retinuerunt in poenitentiæ doctrina scholastici doctores. Quare ab eius initio, statim scribam, de pharisaica contritione: sed paucis. Quia in libro meo primo de poenitentia, satis intelligi potest, quantas doceant hypocrises, contritionis nomine, qui eius meritum nobis pręedicant: omissa uel potius reiecta & abnegata fide in CHRISTVM. Porro in secunda parte, de confessione delictorum, non ea solum persequar, quæ aperiant nobis uanitatem hypcritarum, qui confessione delictorum homines recte uti non docent: sed uel maxime & diligentissime exponã, quomodo utiliter & pie peccata nostra confiteri possimus: imo uero & debeamus, tum coram DEO, tum etiam coram hominibus. Et eo loco non negligam insignem alterum, priori ueluti connexum: nempe, qui est de absolutione & clauium potestate, plenum Christianæ consolationis. Denique in tertia parte de satisfactionibus ea tradam, quæ clarissime doceant, quod per solam IESV CHRISTI mortem satisfactum sit,

Capita posterioris confutationis.

simul pro peccato & æterna morte: siue, ut dicunt, pro culpa & pœna. Nec respiciendum nobis esse ad alias satisfactiones, cum nullę sint alię: si loquamur, de merito remissionis culpæ & pœnę. Ostendam etiam eo loco, quomodo his opibus gratię Christiani fœliciter uti debeant: uidelicet, per fidem, cum aliter hæc gratiæ beneficia accipi non possint. Deinde dicam, quorsum tam in operando, seu faciēdo legem, quam in tolerandis afflictionibus, & calamitatibus corporalibus perferendis, respiciendum sit Christiano: ne qui operibus aut passionibus suis arrogent satisfactionis gloriam, seu pro peccatis, seu pro pœnis. Quanquam obiter & de ea satisfactione dicam, quæ est nostrę pœnitentię: quam DEVS a iustificatis requirit: & adprobat seu acceptat, quatenus fit ab illis, qui uere in Deum & in CHRISTVM Iesum credunt. Postremo omnium exponam diligentissime, quod nihil boni operis pręstari a nobis possit, cuius non simus debitores coram DEO: & de quo non præceperit nobis Deus. Vt intelligas plusquam stupidum & inane commentum esse in doctrina satisfactionum per opera indebita. Sic enim adpellant quædam certa opera, de quibus Deus nihil præcipiat: & fingunt, quod remissionem pœnę illis mereamur. Cum constet doctrinis mandatorum hominum, DEVM inaniter & frustra coli, nec frustra solum, uerumetiam cum blasphemia & peccato.

Doctrinæ difficultas. Quanquam autem difficillimum sit, fidem imperitis facere, in his tātis rebus, in quibus agitur de Ecclesiasticæ doctrinę pręcipuis capitibus tam fœde & impie corruptis: non idcirco tamen desperare oportebit, & ueritatis patrocinium, in tam iusta & pia causa, turpiter, ne dicam impie: deserere. Nam & si ipsam doctrinæ rationem spectes, nihil facilius aut promptius est, quam hanc pietatis & salutis publicæ causam tueri: ac ueluti digito monstrare, ubi ueritas Ecclesiasticæ doctrinę, & a quibus corrumpatur. Deinde ipsimet IESV CHRISTO hanc glorię suæ confessionem, pro Euangelij ueritate debemus: Ecclesiæ autem, ut puritas doctrinæ in illa seruetur, sine qua non potest salua esse. Proinde aliud quiddā est, quod eam difficultatē, quam dico, nobis parit: nēpe, quia talis res est Christiana doctrina, ut nisi per spiritum sanctum, neq; doceri efficaciter, neq; disci cum fructu possit. Ac trahit quidem spiritus ille quoscunque uult: & omnino quo uult. Sed re ipsa experimur, nō omnes a DEO doceri: sed suo quodam delectu illum agere. Multi enim infensissimis odijs, ut olim & semper persecuti sunt ueritatis doctrinam: ita etiam hoc tempore claram & irrefragabilem Euangelij lucem & ueritatem, & cui nulla specie æquitatis contradicere possint, hostilissime persequuntur.

Sunt etiam alia quædam, quæ hanc nostram, imo Iesu Christi, gloriæ Dei, & totius Ecclesiæ, causam lædere existimātur: de quibus in pręsentia

sentia non est animus multa disputare. Vt quod contra Euangelij ueritatem, eius aduersarij iactant temporum praescriptiones: in quibus aliena a uero dogmata recepta fuerunt. Sed quid potest comparari, cum uerbi DEI Dei autoritate? cum illo nihil sit antiquius, preciosius, firmius, uerius, iustius aut sanctius: & cui minus contradici debeat ac possit? Nam fac etiam aliquid firmum esse & preciosum apud homines: tamen illius gloria, non est gloria in comparatione ad uerbum Dei: CVIVS VNIVS GLORIA FIRMISSIME STABIT, SVRGET, ET FLOREBIT IN AETERNVM. Sed tamen accidere quotidie uidemus, ut quicunque ueritatem Euangelij syncere confitentur & pure docent, incurrant in periculum honoris, famae, facultatum & uitae. Sic enim est ingratus, caecus & impius mundus: & suae salutis crudelissimus hostis. Ingratus enim redemptori CHRISTO, misericordiae DEI, & doctoribus ueritatis. Sed haec omnia incommoda, utcunque habeant, nemo tanti facere debet, nedum quibus munus docendi Euangelij commissum est, ut propterea despondeant animum: & non perferant omnes has difficultates & aerumnas, & dent operam, ut in tot ac tantis malis, aliquid tamen efficiant boni.

Verbum Domini manet in aeternum.

Quinetiam hoc maiore animo suscipi patrocinium Euangelicae ueritatis debet, quo certius constat totum esse DEI ac DOMINI nostri Iesu Christi: quicunque sint tandem, aut quanticunque, qui illi resistunt: siue denique quacunque arte, dolo & tyrannide ac crudelitate illam piam causam persequantur. Multo enim satius est mortem perferre, quam in fauorem impijs eorum pestilentissimis doctrinis consentire, in fidei abnegationem. Neque enim dubium est, quin illos Deus suo praesentissimo auxilio nunquam destituat, qui hanc Euangelij, Iesu Christi, & totius Ecclesiae causam, simplici cordis sui ueritate & fide tractant. Sicut ait: Ne metuatis eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Item, ponite hoc in cordibus uestris, non praemeditari, quemadmodum respondeatis: (ita ut solent, qui diffidunt metu periculorum, quantumuis optimae causae.) Ego enim dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij uestri. Quae me quoque ratio mouit, ut confidã, quod per collationem scripturarum sanctarum, possim blasphemis hominum doctrinis, hanc existimationem & speciem pietatis, quam apud imperitos illae retinent detrahere. Quod precor per me efficiat, Deus & pater DOMINI nostri Iesu Christi, cui haec gloria debetur: ad quam illustrandam decet omnes pios omnia conari & perferre.

Nam licet aduersarij nostri, multis pessimis nominibus nos infamẽt: atque adeo occidant, tamen nihil quicquam refert. Sic enim neque hanc causam quam tuemur labefactare possunt: neque gloriam nominis Iesu

Christi obscurare. Denicp hæc latrocinia DEVS nunquam sinet inulta præterire: ad quem sanguis martyrum, in terram effusus, clamat, atque accelerat ultionem. Videntur quidem triumphare nunc aduersarij nostri: sed quemadmodum fuit semper in hoc mundo, est & erit uictoriæ triumphus, apud impios parricidas, fidei Christianæ hostes. Necp tamen, ut dixi, causę nostræ incommodant: aut certe non perpetuo incommodant. Quia uincit tandem uictrix ueritas: & triumphat cum electis suis in æterna secula CHRISTVS IESVS. Cui laus & gloria, nunc & semper Amen.

ELENCHVS CAPITVM
prioris confutationis.

SEQVITVR PARS PRIMA, DE cauillationibus, quæ sunt apud aduersarios, contra gratię & fidei doctrinam.

DE VERA ET IVSTIFICANTE FIDE,
contra somnium rationis, de fide formata.

CAP. I. Ergo a scholasticis Theologis, doctoribus iusticiæ rationis, non sane gratiæ, fidei, ac scripturarum sanctarum, corrumpitur non solum ipsa fidei doctrina, uerumetiam bonorum operum: uidelicet, totius poenitentiæ: hoc est, contritionis, confessionis, & totius nouitatis seu fructuum spiritus in iustificatis. Sed de his omnibus partibus seorsim loquemur: & de fidei rationibus prius. Vera igitur & iustificans fides, hæc est, qua intelligit homo, atque agnoscit tota cordis sui fiducia, se habere placa-

Vera & iusti ficans fides.

placatum & propicium DEVM: agnoscit autem ita propicium esse, ut remittat omnibus nobis peccata nostra, ac donet æternam uitam, gratis, sine lege, sine iusticijs operum, & exclusa gloriatione meritorum nostrorum, per misericordiam suam, propter placatorem, iustificatorem, & seruatorem CHRISTVM IESVM, quatenus in illum credimus. In hac sentētia, cum uideant Sophistæ esse atque conclamare omnes scripturas, sicut Petrus testatur: Act. iiij. de CHRISTO, in hęc uerba: Nec enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri. Et cap. x. Huic omnes prophetæ testimoniū perhibent, quod remissionem peccatorum accipiāt, per nomē eius, omnes qui CREDVNT in eum. Et Paulus Roman. iij. Ex operibus legis nō iustificatur omnis caro coram illo. Item, Nunc autem sine lege iusticia DEI manifestata est, testificata a lege & prophetis: iusticia autē Dei per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui CREDVNT in eū. Item, Iustificati gratis, per gratiam ipsius: per redemptionem quę est in Christo Iesu. Hæc inquam, & his similia innumera testimonia, de gratia, fide, iustificatione & saluatione nostri, per Christum, gratuita illa, quæ uidelicet contingit & donatur nobis sine iusticijs & sine meritis nostris, cum uideant omnia, audiant & legant Sophistæ: neq; intelligat rursus quorsum doceatur in literis sacris operum nostrorum iusticia, aut quænam sit illius necessitas, qui usus & finis: quam ipsi esse somniant iusticiam, qua coram DEO pronunciemur & reputemur iusti, sancti, beati, filij Dei, & uitæ ęternæ hæredes: sic eludunt gratiæ, fidei & saluationis doctrinam. Fingunt multas fidei distinctiones, (qua arte multa alia in scripturis corrumpunt: et ambigua, incerta & dubia faciunt. Adeoq; in nouas sententias transformant: cogitationibus rationis obnoxias & seruas:) cum non sit nisi una, uera, iustificans, & saluos faciens fides, in Deum & in seruatorem Christum: ea uidelicet, quam dixi. Quę præterea est donum Dei, & effectus spiritus sancti in nobis. Sed Scholastici, cogitationum rationis Theologi, dicunt fidem aliam esse infusam, & aliam acquisitam: aliam rursus informem & aliam formatam. Et nescio quibus alijs portentis somniorum de fide, alias explicita, alias implicita: modo generali, modo speciali, cum sibi tum alijs imponunt, illusores & mentium deceptores: seseque & alios fraudant luce, ueritate, iusticia & æterna salute. Ars Sophistica.

Quapropter utile non solum, sed & necessarium erit contra istorum uanitates & nugas nonnihil scribere. Hoc enim postulat gloria Euangelij, Dei & Iesu CHRISTI, prophanata ab istis doctoribus & oppressa. Deinde ipsa ueritas doctrinę, quam oportet puram in Ecclesia retinere & seruare: sed & imperitis sophisticarū captionū seruiendum est, ut dolo & fraude liberentur. Igitur fidem infusam dicunt Scholastici: Fides infusa

quę unicuicꝗ dono Dei, & per spiritum sanctum, contingit. Ab hac distinguunt, acquisitam: quam faciunt rationis opus. Nam acquisitam, definiunt noticiam humanitus acceptam: ex auditu uerbi fidei. Et suo de lyramento adplicant illud Apostoli: Fides ex auditu est, &c. Roma. x. Et addunt uenustam rationem scilicet: quia, aiunt, quę nouimus audiendo, ab alijs nouimus per acquisitionem. Omnino, quasi non solus spiritus sanctus sit efficax in doctoribus uerbi Dei: & solus per promissionē Euangelij moueat corda, ut credant. Adeoꝗ, quasi uerbū Dei possit a ratiōe humana capi, intelligi, iudicari & recipi: & assensus illi audito & cognito haberi, sine spiritu sancto: cū pro mera stulticia ab hominibus habeatur, & rideatur, prima Cor. ij. Nec alia causa opus habeamus omnes trahi atꝗ doceri a Deo: seu illuminari spiritu sancto, ut uerbi gloriam, lucem & ueritatem uideamus, cognoscamus & intelligamus, illiꝗ assentiamur, & credentes uerbo salui efficiamur a peccato & a morte.

Acquisita.

Num fides sine dilectione existere possit.

Porro autem scholastici ab hac utraꝗ detrahunt ac separant charitatem, quasi tam fides infusa quam acquisita inesse possit etiam illis, qui sine dilectionis operibus uiuunt: hoc est, sine omni poenitentia & flagitijs indulgentes, & fraudantes proximum. Quod de somnio rationis & fide ficta, quam scholastici docent & formatam adpellant ultro damus: sed de uera fide, quam prædicant sacræ literę, CHRISTVS & Apostoli, & qua iustificatur impius, uidelicet, per gratiam & Christum, sine lege & sine meritis operum suorum, hoc nunquam concedemus: neque probabunt aliquando sophistæ, uidelicet, fidem sine dilectione existere posse: ne dum in homine facinoroso, & flagicijs indulgente, sine poenitentia, & sine mutatione sui in melius. Imo blasphemia est, ita nugari de re seria, supernaturali & diuina, de fide inquam in DEVM, ut illam impijs pariter & pijs tribuas: impijs autem, ut sine poenitentia maneant: cum sit electissimum & nobilissimum donum DEI, & solis filijs DEI contingat: adeoque res uiua, omnipotens, saluans a peccato & morte, & efficax dilectione.

Nam obsecro te, quomodo posset spiritus sanctus esse & permanere in illis qui flagitiose & sine poenitentia uiuunt? At illi in quibus est fides in Deū uera, nempe, promissionis Euangelij de CHRISTO, habēt spiritum sanctum. Iuxta illud Roman. viij. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem: sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus abba pater. Et ad Gal. iiij. Quoniam autem estis filij, misit DEVS spiritum filij sui in corda uestra, clamantē abba pater. Sunt enim filij, quatenus in promissionem Euangelij credunt: ut est Ioannis primo. Et ideo a spiritu sancto gubernātur: quare impossibile est illos sine poenitētia & sine dilectiōe uiuere. Sed Sophistas fallit, atꝗ errare facit, quod ubi de fide loquuntur, de nuda noticia rerum a Christo gesta-

Erroris causa apud Scholasticos; de fide.

gestarum, & assensu illius noticiæ, intelligunt omnia: (qualis esse potest in illis noticia, & assensus, qui prophanas historias legunt.) & nihil prorsus de fide acceptante & adprehendente promissionem saluationis: In qua est misericordię diuinæ fiducia, & certitudo remissi peccati, atque acceptæ æternę salutis, propter Christum. Hęc enim docetur & requiritur in sacris, fidei iustificantis nomine. Ioannis primo. Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomen eius. Et cap. iij. Sic em̄ DEVS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, (attende precium, & satisfactionem pro peccato & morte.) ut omnis qui credit in eum non pereat: sed habeat uitam æternam.

Igitur quia de promissionis fide, nulla memoria est, nec intelligentia apud Sophistas: ideo non potuerunt statuere hominem fide iustificari, hoc est, historię noticia: in qua est ociosa & frigida cogitatio, de diuinis. Fides autem significat fiduciam gratiæ & misericordiæ DEI, adeoque seruatoris Christi. Offert enim nobis Deus per promissionem gratię suæ remissionem peccati & æternam uitam, propter filium suum unigenitum Christum, Dominum & seruatorem nostrum: et requirit a nobis fidem illius oblatæ & donatę gratiæ. Et testatur, eos qui fide adprehendunt promissionem gratiæ, & seruatorem CHRISTVM, saluos fore. Hinc certe statuere oportet, fide iustificari impium: sine lege & sine meritis operum suorum. Iustificatur enim per gratuitam misericordiam Dei, remissione peccati propter Christum donata: quatenus fiduciam illius misericordiæ concipit, quę aliter recipi non potest. Sed quid facerent ignari promissionis gratię? Non possunt statuere, iusticiam quę ualeat coram Deo aliud significare, nisi qualitates & habitus uirtutum nostrarum. Quemadmodum scholastici Theologi qui utuntur quidē fidei adpellatione in doctrina de iustificatione: sed reuera nihil quod fidei est intelligunt. Neq; tribuunt credenti ullam iusticiam: sed tantū operanti, per dilectionem. Idcirco enim, cum urgentur scripturæ testimonijs, quę probant impium fide iustificari, ad aliam distinctionem & friuolum commentum sese recipiunt, dicentes: fidem aliam esse formatam, & aliam informem. Informem enim quę careat dilectione: formatam autem, quæ habeat dilectionem, & bona opera legis, quæ inde fluant: atque hac censent & pronunciant impium iustificari a peccato, & saluari ab æterna morte. Ex quo liquet q; formale fidei, non docent esse fiduciam adprehensiuam beneficiorum gratiæ, & redemptoris IESV Christi, Domini & seruatoris nostri: qui traditus est propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Sed fidei contingere formam, per opera & facta nostra, seu per obedientiam nostram erga legem. Et quoniam negant, ulli fidem suam, nisi propter hanc formam, ad iusticiam & saluationem prodesse, palam est ipsos negare, gratiæ be-

Fides quid.

Commentum de fide informi, & formata.

neficia gratuita esse: siue, quod unius redemptoris IESV CHRISTI beneficio liberemur & a peccato & a morte, credentes in eum. Quinetiam propria & sua quemque personali iusticia saluari: sicut mox de hac blasphemia pluribus istos conuincam.

Neque enim excusari possunt delyri Sophistæ, quod hac distinctione utantur, ut ea separent ueram, uiuam, efficacem & iustificantem fidem, a fide ficta, & mortua rationis opinione. (hoc enim si facerent, tolerabile esset: imo laudabile & pium.) sed quia sentiunt hominem suis operum meritis, non gratiæ fide, saluari. Sic enim unus eorum scribit: nempe Bonauentura, in librum Sentent. iij. distinct. xxiij. Quoniam, inquit, cum credere, sicut dicit Augustinus, sit cogitare cum assensione, ad hoc ut habitus fidei plene & integre habeatur, necesse est quod intellectus instruatur de credibilibus, ut possit illa cogitare: & inclinetur, ut possit illis assentire. Et primum quidem est materiale in fide: secundum uero est formale. Et hæc recte quidem Bonauentura, sed postea addit: utrunque horum reperiri tam in fide informi, quam in fide formata. Ex quo intelligis, quod in fide non existimant aliud esse, nisi cogitationes rationis de diuinis. Sed ultra hæc pergens addit: non enim dici, fidem informem, quia careat omni forma. sed quia careat forma gratiæ, gratum facientis, hoc est, dilectione. Quo perspicuum est, quod uim fidei prorsus eneruant: & Sophisticis cauillationibus ludant, utentes fidei adpellatione, cum illius quod fidei est nihil recipiant: imo etiam, fidem omnium credendorum tribuunt impijs, tantum ut illius dignitatem degrauent & opprimant. Nec discernunt pios ab impijs, nisi per iusticias rationis seu carnis: atque ita non sunt meliores Theologi, quantum attinet doctrinam de iustificatione, quam est Aristoteles in Ethicis, aut M. Cicero in officijs. Concludimus ergo, quod meritis iusticiarum nostrarum tribuant debitum æternę saluationis: nempe, quod illis DEO reconciliemur, & impetremus nobis remissionem peccati, & ęternam uitam. Quod est concedere homini, imo erigere in eo superbam & arrogantem præsumptionem & gloriationem contra gratiam. Quare nec intelligunt, quorsum hoc cæco dogmate ruant, quod est in commento de fide formata, ipsi inanis somnij autores.

Bonauentura

Neque fiunt solum autores impijssimæ præsumptionis hominibus, ignaris suæ imbecillitatis, & imperfectionis in iusticia operum: item ignaris fidei gratiæ, sed preterea & blasphemæ desperationis. Reuelato enim conscientijs iudicio DEI, necesse est, ut qui fidei gratię sunt uacui & inanes, sese pręcipitent in profundum desperationis: accepta in se ęternæ maledictionis sententia. Quinetiam Augustini definitionem de fide, non intelligunt doctores de fide formata. Si enim credere, est cogitare cum assensione: quæ potest illa noticia esse, de credibilibus, siue credendis,

Augustini definitio de fide

dendis, qua prębetur homini materia cogitandi: nisi promissionum gratiæ quæ in Euangelio annunciatur, propter CHRISTVM: Deinde, quę illa inclinatio, ut credẽdis assentiamus, nisi ipsa promissio inuitans nos, ut tota cordis fiducia adprehendamus illam gratuitę gratiæ salutẽ, quæ contingit per Christum Iesum, his qui promissioni credunt: Excitatur enim hæc fides a solo spiritu sancto, per assensum promissionis, quem creat: neque possibile est, ut illum habeant impij, flagitiosi & scelerati. Nam si quando contingeret ipsis, statim efficerentur iusti, sancti & noui homines, per renouatum cordis motum: & uitæ ęternę hęredes. Vide autem quale sit, quod requirunt dilectionem a credente doctores Scholastici, cum fidei gratuitæ gratiæ nullam usquam faciant mentionem: imo nolunt gratuitam credi gratiam saluantem. At impossibile est DEVM ab imbecilli carne, aut legem cupiditatibus nostris aduersantem amari posse, nisi prius sciamus illum reconciliatum esse nobis per CHRISTVM: & a lege nos ulterius iudicari & damnari non posse. Hæc recito, ut uideas in Sophistarum dogmatibus omnia confusissima esse: plena erroribus & impietate.

Quod ergo Scholastici adpellant fidem formatam, id nihil minus attingit, atq; quod est in literis sacris de fide Christiana: quinetiam gloriam gratiæ dei, & redemptoris Christi beneficium obscurat & opprimit: Ecclesias Dei horribiliter uastat ac perdit, deiectas uidelicet fidei petra Christo Iesu: in q; harenam suarum iusticiarum ruentem positas. Nos fidei, noticiam tribuimus & affectum: nec multum uariamus ab Augustini sententia, qui in fide ponit noticiam & assensum. Vbi enim est uerax assensus rerum credendarum, exempli gratia, qualis esse debet in gratiæ promissionem: ibi affectus quem in fide requirimus non potest abesse, nempe, fiducia adprehendens gratię promissionem. Nec rursus dici uerax noticia potest, ubi cognitis nullum assensum prębes. Nos itaque in adpellatione noticię includimus assensum: quemadmodum Augustinus in uocabulo assensus fiduciam conijcientem se in gratię promissionem comprehendit. Eo uero libentius utimur fiduciæ adpellatione, quod Scholastici non intellexerunt fidei nomen in sacris pro fiducia usurpari: ubi pręsertim agitur de gratiæ promissionibus, quibus cognitis & per fiduciam cordis adprehensis iustificatur impius & saluatur a peccato & a morte. Est igitur in fide noticia: noticia autem illa pręcipua promissionum gratię, seu misericordię DEI gratuitę, qua recipimur in gratiam propter CHRISTVM: nec enim potest abesse ab hac noticia, Christi filij DEI cognitio, incarnati uidelicet, traditi, passi & glorificati, pro redimendis nobis a peccato & ab æterna morte. Et horum noticia iustificatur impius & efficitur saluus, quatenus credit: iuxta illud Esaię liij. In noticia sui iustificabit ipse iustus seruus meus multos: & iniquita-

In fide noticia et affectum

Quarum rerũ noticia sit in fide.

tes eorum ipse portabit. Item illud Ioan. xvij. Hęc est uita ęterna, ut cognoscant te solū Deum uerum: & quem misisti Iesum Christū. Nam certe hūc locum nō licebit intelligere, quā de promissionis Euāgelij fide: quia nulla alia saluamur: ut intelligere est ex illo Ioan. iij. Sic enim Deus dilexit mundū, ut filium suū unigenitum daret, ut omnis qui credit in eū non pereat, sed habeat uitā ęternam. Hęc fides, quę est incarnati filij Dei, quē oportuit tradi pro peccatis nostris in mortē: Luc. xxiiij. appellat Matt. xvi. petra: & dicitur eo loco, portę inferorum non præualebunt aduersus eam. De horum noticia nihil scribunt Sophistę, cū interim nugentur omnia scripturę, & omnes fidei articulos credēdos esse: hoc est, assentiendū esse illis tanquam ueris, sine tamen fiducia saluationis, quæ gratis contingat, sine meritis iusticiarum nostrarum.

In noticia cō prehendi assensum, in quo est fiducia gratiæ.

Porro illa noticia, de qua loquor nō esset noticia, nisi accederet ad eā assensus. Quādiu enim mēs non assentit promissioni gratiæ, sed ambigēs dubitat atque diffidēs refragatur illi, certe non est noticia: sed cęca ignorātia, & infoelix, noxia, atque blasphemās incredulitas, negans ueritatē uerbi Dei, & hominē damnans. Cæterum assensus ille, qui est in gratię promissionem, quo recipit uera esse, & beneficio redemptoris Christi ad nos pertinere: uidelicet, gratuita peccati remissio, iusticia & æterna salus: ille inquā parit in nobis gratuitæ gratiæ fiduciā, in qua est pax cōscientię & summa animorum tranquillitas, propter securitatē ęternæ uitę, adprehensæ a credēte in Christo Iesu. Hæc igitur fiducia cōiungi debet, cū noticia credendorum, in fidei definitiōe: illius, qua impij iustificamur, et a peccato & a morte liberamur. Nā ita cohærent noticia illa & fiducia, quā dico, ut diuelli nullo modo possint. Nō enim est firma noticia, cui nō accedit assensus: nec uere assentiri est articulis fidei, nisi per fiduciā cordis promissionē gratię adprehēdas. Itaque relinquitur, in assensu promissionū gratię, quę prębent materiā credendorum, esse fiduciā illam & securitatē mētis: qua in fide adoptionis, quę cōtingit Christi noīe clamamus, abba pater.

Certitudo noticiæ & fidei in Christum.

Est autem noticia illa fidei tam certa, firma, cognita & perspecta credēti, quā sunt ea, quæ oculis intuemur & manibus palpamus. Neque enim mentitur Deus: ideoque credentes Deo, & adprehendētes per fiduciā cordis gratiæ promissionē, impossibile est falli ac decipi, labi & errare. Vt ergo maxime promissam salutē nondum possideamus, sed expectemus reuelandam: tamen ita certum est illā nos adeptos esse, & tenere in fide, atque si ea iam frueremur. Est enim ad dexterā Dei in coelis, in quo uita & æterna salus nostra recondita est: Col. iij. quare a credente in eum nō potest amitti saluatio. Sic quod ad fidem attinet, qua possidetur iusticia & salus CHRISTI nomine uiderunt & tenuerunt, seruatorē suum Christum, & per consequens iusticiam & salutem, beati illi patres, qui fuerunt ante Christum incarnatum, passum & glorificatum: & tenuerunt

credentes

credentes in gratiæ promissionem, eadem luce & ueritate, qua nos, ut quibus & Christus, agnus ille Dei, abolens peccata mundi, propter ipsorum fidē, fuit a condito mūdo usq; incarnatus, passus, occisus & glorificatus. Et huc facit totum illud caput Esaiæ liij. euangelicissimū, de beneficio redemptionis per Christum. Itē illud Ioan. viij. Abraam uidit diem meū, et gauisus est. i. Cor. x. omnes eandē escam spiritualē māducauerunt. Hebræ. xiij. Iesus CHRISTVS heri & hodie: idem est & in secula. Apoca. xiij. agni, qui occisus est ab initio mūdi. Huc itē facit illud Pauli: gloriamur in spe glorię filiorū Dei Roma. v. Item illud eiusdem: spe salui facti sumus. Et illud i. Ioan. iij. Charissimi, nunc filij DEI sumus: & nondum adparuit quod futuri sumus. In eam sententiā dicitur in epistola ad Hebrę. cap: xi. Fides, sperandarum rerū argumentum: indicium non adparentiū. Bis enim eandem sentētiam posuit: quia idē sunt argumentum & indiciū. Est autem in fide argumentum, hoc est, certa noticia credendorū: quam indicat uerbum Dei. Vt hanc definitionis sententiam colligas, fides est fiducia nihil hæsitans: ut cui declarat, monstrat atq; indicat promissio, ceu in quodam argumento & compēdiaria summa, speranda: quæ rationi nusquam adparent.

In huncmodū causa materialis fidei, quę est uerbum Dei, præbet fidei noticiam credendorū: & spiritus sanctus inclinat corda, ut assensum illi noticiæ prębeamus, adprehendētes per fiduciā cordis res promissas: nēpe, peccati remissionem & ęternā uitam. Et assensus ille, in quo est fiducia, quā dixi, adpellat̃ recte formale in fide: nō opera dilectionis. Debet em̄ fides definiri, per actū credendi: nō per actum amādi. Quanq̃ autem nihil minus uideātur, quam possidere beatitudinē, qui Euāgelio crediderunt: tamē firmissima securitate eā habent & expectant reuelādam. Vide Ephe. ij. Deus qui diues est: &c. ubi multis emphaticis ṽbis usus est, ut nos de certitudine salutis, quā oportet fidei nostrę inesse, cōfirmet. Nō est em̄ cur existimemus nos credere in deū & in seruatorē Christū, nisi firmissime statuamus nos liberatos esse & saluos factos a peccato & ęterna morte, per gratuitā misericordiā Dei, ꝓpter Christū. Nō licet enim de promissionū ueritate dubitare: qui em̄ dubitāt, nec credūt: atq; ita nec possunt saluari. Sic est ergo, ut docui, noticia promissiōis in fide: cui haberi debet assensus, in quo est certa expectatio uitę futurę, quā possidebimus ęternā, per Christū Iesum. Itaq; quod citat̃ apud Scholasticos Theologos Hugonis dictū de fide: Fides est certitudo, de rebus absentibus supra opinionē, et infra scientiā constituta: id prudēter intelligendū est. Nā opinio quidē est de rebus dubijs et incertis: sciētia aūt de cōpertis atq; intellectis ratiōe. Fides aūt est sciētia oīm firmissima & certissima: sed de incōprehēsibilibus ratiōe humana. Habet em̄ suas demōstratiōes maxīe certas, & q̃bus nemo potest falli, in ṽbo dei: q̃d qui in dubiū uocāt & honorē ṽitatis illi nō habēt, sunt blasphemi in deū et ꝑfidi hostes fidei.

Materiale et formale in fide.

Hugo:

Noticia, assensus et fiducia cordis, quomodo sint cõiuncta in fide iustificante.

Sed hæc hactenus, ut declarem qualis rerum noticia sit in fide: & qui affectus inde oriatur. Noticia enim est de reconciliato nobis DEO, remisso peccato, & donata æterna salute, propter unigenitum filium Dei, DOMINVM & seruatorẽ nostrum, Iesum Christum: in hoc ipsum incarnatum, passum & glorificatum, ut nobis patrem placaret, & semet ipsum exhiberet precium, hostiam & satisfactionem, pro peccato & pro æterna morte. Porro quatenus accedit assensus illi noticiæ, ut in credentibus Euangelio, certe cum illo ipso assensu mox oritur fiducia adprehẽdens seruatorem Christum: tanquam pignus iusticiæ & æternæ uitæ. Vt ergo in pia & firma noticia assensus esse debet: ita in assensu requiritur fiducia, adprehendens peccati remissionem, iusticiam & æternam uitam, in Christo IESV sibi repositam. Hac igitur fide iustificamur: hoc est, fiducia promissionis Euangelij: Gratis, per misericordiam propter Christum: sine lege, sine operibus, sine carnalibus meritis atq; ullis iusticijs nostris. Sicut testatur Paulus Roman. iij. Arbitramur hominem iustificari per fidem: sine operibus legis. Sic sunt formaliter iusti, homines peccatores, in semetipsis iniusti & transgressores legis: iusti autem per gratiæ fidem, propter iustificatorem Christum: quales fuerunt, facinorosus ille in cruce, Lucæ xxiij. qui gloriam Christi confessus, gratiam inuocauit, & saluus factus est. Item, publicani & meretrices. Matth. xxi. Quia crediderunt in Christum & pœnitentiam egerunt: non propter pœnitentiam iusti, sed propter fidem gratiæ: in quibus illa pœnitentiã operata est, dignissimum pietatis Christianæ fructum: quemadmodum & saluationem seu liberationem a peccato & morte operatur.

Fide iustificamur.

Formaliter iusti.

Proinde in doctrina de iustificatione non hoc agitur, ut operibus nostris saluationem quæramus: in quem errorem Sophistæ sententiam scripturæ corrumpunt. Sed docetur, quomodo per gratiæ fidẽ liberemur a peccato & a morte: etiamsi nulla opera bona habeamus. Sicut reuera omnes sumus grauissimi peccatores: & nullum perfecte opus bonũ coram Deo habemus, sicut copiose docui libro superiore. Adde tamen, & hoc Pauli testimonium hoc loco: Gal. ij. Nõ iustificatur homo ex operibus legis: sed per fidem Iesu Christi. Et nos in Christũ Iesum credimus, ut iustificemur ex fide Christi: & nõ ex operibus legis. Propterea, quod ex operibus legis nõ iustificatur omnis caro. Dixi igitur, iustos esse nos formaliter corã deo, peccatores & iniustos: sine lege & sine iusticijs nostris. Iustificamur ẽm per gratiæ imputationẽ, & remissione peccati nostri: estque aliena, seu extra nos illa iusticia. Quia per fidẽ, possidemus illã in Christo: Gal. iij. Oẽs ẽm filij dei estis, per fidem, quæ est per Christũ Iesum. Quicũq; ẽm per Christũ Iesum baptizati estis, Christũ induistis.

Valeant igitur male cõciliati homines cũ suis fabulosis nugis, in doctrina gratiæ, fidei, remissionis pcti, iusticiæ & æternæ uitæ: ac ludant in

re non

re non seria, qui adeo nullam gratiæ & IESV CHRISTI cognitionem habent. Scholasticos dico, commenti istius perniciosi de fide formata autores, ut in quo nobis nō fidem in deum & seruatorē Christum, sed merita iusticiarum rationis prædicant. Fidem enim definiun per actū amandi, quæ definienda erat per noticiam, assensum & fiduciam gratiæ, hoc est, promissionū Euangelij de Christo, qui est precium pro peccatis nostris, adeoq; ipsissima lux, uita, ueritas & salus nostra. Definientes aūt fidem, actū amandi & per iusticias legis, contēnunt gratiæ promissionem & seruatorē Christum abnegant: imperitis autē Sophisticarum cauillationū, aut parum attentis, sceleratissime imponunt. Et istius impietatis in Deum, gratiam & Christum, infra sequentibus capitibus sex, erūt mihi côuincendi. Nulla est uera in deū, Christū, et iustificans fides, nisi quæ recte dicitˀ fides infusa: quatenus adprehendit Euangelij promissionē de iusticia & salute per Christum. Contingit enim dono dei nobis ea fides: qua efficater in nobis agit ipse spiritus sanctus, per cognitionē promissionum Euangelij: hoc est, misericordiæ illius gratuitæ dei, et beneficiorum redemptoris Christi, ad destructionē peccati & mortis. Proinde in hac fide, est assentiri & credere, hoc est, fiduciā habere, promissionibus gratiæ, de placato deo & parta nobis redēptione per seruatorem Christū. Ideo qui sic credūt, illi euaserunt & euicerūt, quælibet pericula peccati & æternæ mortis, atq; adeo diabolum ipsum, grauissimū salutis credentiū hostem. Et q̄ oporteat sic credere, eos oēs qui salui esse uolunt ac debent, testatˀ in uniuersum tota Euāgelij doctrina, quæ cognita assensum requirit & fiduciā & rerum quas annūciat, per gratiam dei, nomine Christi: uidelicet, liberatiōis a peccato & morte, & doni iusticiæ atq; uitæ æternæ. Sicut ex eo liquet, q̄d est de gratia saluāte per Christū Iesum. ij. Timot. i. Qui saluos fecit nos, & uocauit uocatiōe sua sancta: nō secundū opera nostra, sed secundū propositum suū & gratiā: quæ data est nobis, p Christum Iesum, ante tēpora æterna. Manifestata est aūt nunc, per adparitionē saluatoris nostri Iesu Christi: qui destruxit q̄dem mortē: uitā autē & incorruptibilitatē in lucē produxit, per Euangeliū. Ergo horum bñficiorum fidē reqrit a nobis deus, per Euāgelium, ut copiose docui: nō requirit, ut credamus q̄ per actū amādi, hoc est, p iusticias legis gratiā mereamur et uitā æternā. Quod si cōditionaliter requireret a nobis iusticias legis, promissiōe gratiæ, q̄ esset uanū & pnitiosum illud Pauli: Roma. iij. Nūc aūt sine lege, iusticia dei manifestata est: testificata a lege & pphetis. Iusticia aūt dei p fidē Iesu Christi: in oēs & sup oēs qui credūt in eū. Igitur iusticias nostras, hoc est, cōditionē illarum, oīm maxime excludit: qa si illā requireret, nemo ex oībus hoībus saluus fieri posset. Quia ea est immūdicia cordis nostri & iusticiæ opm imperfectio, ut legi nemo satisfaciat. Quapter gratis saluamur, per gratiā & seruatorē Christū Iesum: si tñ in illū credimus. Nemo uero, quod dicitˀ, impiū iustificari per fidem, gratiam,

Vera fides quam adpellant infusam.

Fide iustificamur absq; operibus legis

Iusti sine lege

CHRISTVM, gratis sine lege, sine operibus, ita accipiat, quasi obedientia operis nostri excludatur, tanquam minime necessaria: non tollunt enim illę exclusiuæ, nisi fiduciam meriti iusticiarum nostrarum, superbam, uanam & arrogantem gloriationem contra gratiam: & testãtur iusticias nostras immũdas esse, qua causa per redemptorem Christum debuimus saluari. Alioqui si per legem cõtingeret peccatori iusticia, CHRISTVS iustificator frustra mortuus esset. At iustificato peccatore per fidem in Christum, non opus habet quęrere per opera iusticiam, aut uitam: iustus enim fide Roman. iij. filius Dei est: Ioannis primo & uitæ ęternæ hęres. Operibus autem, sequentibus fidem, necesse habet se in fide exercere, iusticiam spiritus ornare, confiteri & glorificare DEVM & redemptorem Christum. Est autem maior consolatio in illis exclusiuis, quam dici ab ullo homine possit: ideo per Euangeliũ debuit afferri. Vt enim lex est terroris doctrina, & peccatores adigit in desperationem: ita Euangelium est cõsolatoria doctrina, & per promissionem remissionis peccati & uitæ æternę, in Christo IESV, affert pacem cordibus, & extrahit hominem & seruat a desperatione, & securum efficit ęternæ uitę. Et hanc summam consolationem semper conatus est nobis Diabolus eripere, aut certe obscurare in Ecclesia, ubi eripere nõ potuit, per impios doctores.

De fidei efficatia, in externa o perũ iusticia.

Proinde nihil est, quod fidei in tantum repugnat, atq; opinio, quæ statuit quod Deus condicionaliter nos saluos faciat, per merita iusticiarum legis. Hoc uerum est quidem, fidem iustificantem, quę est illius efficatia, in iusticia externa morum, sequi opera bona: & obedientiam erga legem. Sed hinc non potest elici, hominem per operum suorum merita saluari: saluatur enim per gratiæ fidem, non effectibus fidei: etiamsi illi, eos qui uere crediderunt, nunquam non sequantur. Sicut utrunq; intelligi potest ex illo Pauli: ad Ephes. ij. Gratia enim estis saluati, per fidem: & hoc non ex uobis: DEI enim donum est: ne quis glorietur. Ipsius enim sumus factura, per CHRISTVM IESVM, in operibus bonis: quæ pręparauit Deus ut in illis ambulemus. Ex his liquet nos gratię debere, saluationem nostri: idq; in fide profitendum esse: agnoscere Dei donum, non superbe gloriari. Nam DEVS omnibus modis detestatur & odit hanc superbam gloriationem: qua homines sibi tribuũt perfectionem iusticiæ per opera sua, & quod hinc sequitur debitum saluationis. Ignoscit autem peccata, ex fide gratiæ ipsum inuocantibus, & saluos facit. Horum utrunq; disce Lucæ xviij. in parabola pharisæi & publicani. Est autem & is beneficij Christi effectus, quod credentes in eum ambulant in nouitate uitæ pœnitentiã agentes, in nomine Christi, ad gloriam DEI. Quorum iusticię per se, & sine fide, non possent DEO placere.

Tribuit

Tribuit autem sacra scriptura fidei effectum dilectionis: tum quia est necessarium, ut DEO obedientiam in iusticia morum præstemus. Sed illa dilectio, in qua est totius uitæ nouitas, fidem sequi debet, tanquã fructus iusticiæ, in gratiæ laudem. Tum etiam, ut admoneamur, qua maxime re, ueram fidẽ, a falsa, ficta & mortua rationis opinione oporteat discernere & separare. Non debemus pios ab impijs, operibus discernere, quia fieri potest, ut grauissimi peccatores in gratiam recipiantur propter fidem in Christum: ut fit frequenter. Et contra frequenter accidit, quod multi iusticiarij, cum uniuersis iusticijs suis reprehendantur & damnentur: propter incredulitatem. Quid iuuerunt omnes pharisæos suæ iusticię: qui scilicet, in incredulitate permanserunt. Nec sunt ulli unquam homines recepti in gratiam, merito iusticiarũ suarum: sed per gratiæ fidem. Et pharisaice iusti quo maiorem fiduciam in opera sua posuerunt, hoc longius remouerunt a gratia: ut habes ad Roman. ix. in collatione Gentiũ & Iudæorum. Vt ergo apud homines, & in conscientiæ iudicio ualeat nonnunquam comparatio, qua iusti ab impijs per opera bona discernuntur, tamen non est perpetuum, maxime coram Deo: qui reputat iustos coram se, qui in ipsius gratiam credunt: impios autem, iniustos & damnabiles, qui non credunt in ipsius gratiam. Vt etiam omnes legis iusticias haberent, & credentes, penitus nullas. Extra hoc iudicium certum est discerni posse, ueram fidem a ficta, per opera bona: & significat singulis in conscientiæ iudicio, suorum operum iusticia, num uere credant in DEVM aut ficte. Quo etiam reuocamur a Christo: Matth. xxv. & alias sæpe. Et a Petro: ij. Pet. primo. Qui enim hunc honorem non habet Deo, ut pœnitentiam agat & bona operetur, a quo uocatus est in gratiam per CHRISTVM, quomodo potest fidem habere: hoc est, credere quod sit in gratia adoptionis, & hæres regni Dei. Hinc & Paulus frequenter testatur, nullos qui flagitiose uiuunt, hæreditatem regni Dei consequi posse.

Ergo quod Paulus scribit ad Gal. v. Nos enim spiritu ex fide, spem iusticiæ expectamus. Nam in Christo Iesu neq; circuncisio aliquid ualet, neq; prępuciũ: sed fides, quę per charitatẽ est efficax: sane discerni diligenter causa iusticiæ ab illius effectibus externis debet: ne effectibus tribuas q̊d est causæ: hoc est, iusticijs & operibus nostris, quod est gratiæ saluantis nos, per fidem. Paulus igitur iusticię qua saluamur causam facit fidem. Ideo ait: nos enim spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus. Rursus operibus obedientiæ nostrę detrahit meritum saluationis: ideo subijcit. Nam in Christo Iesu neq; circuncisio aliquid ualet neq; prępucium: hoc est, nullæ iusticię operum seu rationis, siue illæ sint Iudæorum siue Gentium. Testatur autem etiam illud Paulus, fidem rem esse uiuam & efficacem dilectione: ut eam separet a fide ficta. Sicut alias dicit:

In locum Pauli, Gal. 5. de fide &c.

Finis præcepti est charitas, ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta. Proinde aliud est, naturę & substantiæ alicuius rei aliquid tribuere: & aliud effectibus eius rei. Non potes de opere artificis prædicare, quod de artifice, nec de fructibus, quod de agro, uinea, terra fertili, & arbore bona. Aliud enim est causa, producens rem in effectum: & effectus aliud. Siue id quod creat seu ędit fructum, aliud est quàm fructus: seu opus artificis extans. Sic necp de effectibus fidei, hoc est, de operibus dilectionis recte dici potest, quod de fide. Nam fide gratiæ DEI iustificamur, non operibus nostris, seu meritis illorum. Iusti autem per fidem, bene operamur: & renouati ea fide, recte uiuimus, Deum glorificantes. Quia non potest stertere aut ociosa delitescere in homine fides: sed uera illa seruit Deo, & cupidissime studet gloriæ Christi. Necp uero, ut rursus dicam, fide iustificamur, quia est efficax dilectione: sed quia est causa adprehendens gratiæ promissionem, & Christum in cor suum includens, ut precium pro peccato & pignus æternæ salutis. De hac caussa adprehensiua beneficiorum gratię & seruatoris CHRISTI, nihil potuit dici in quātumuis operosis, & sinuosis uoluminibus Sophistarum. Quia impediuit eos opinio, de merito operum nostrorum: & dignitate iusticiarum rationis:

Causa adprehensiua iusticiæ.

Quid multis? fidei appellatione hoc solum agunt scholastici, ut opiniones rationis de DEO & Christo, & historicam noticiam rerum a Christo gestarum, nobis insigant: sine fiducia promissionum gratiæ, cum hac sola iustificemur, seu liberemur a peccato & morte, quæ adprehendit gratiæ promissionem. Et quicquid de Deo credere possis, nulli sit utile per se, sine gratię fiducia. Nam & noticia credendorum, sine gratiæ fiducia, multo firmior est in Diabolis, quam in ullis iusticiarijs: qđ & fefellit doctores fidei formatæ, & coegit ista distinctione uti, qua discernunt iustos ab iniustis per opera, quia promissionum gratiæ & ueræ fidei in CHRISTVM nihil intellexerunt. Itacp Paulus non solum non docet, quod dilectione, effectu fidei, seu operibus nostris, iustificemur: uerum hoc nusquam non agit, ut detrahat illis operibus obedientiæ nostræ meritum iustificationis. Quemadmodum & illo ad Gal. loco, quem paulo ante citaui. Opponit enim fidem gratię, qua asserit nos iustificari coram DEO, iusticijs Gentium & Iudæorum. Sicut em̄ semper fuerunt apud Iudęos, qui contra iusticiam gratiæ, suas operum iusticias iactauerunt: ita Gentes confidebant iusticijs rationis, & operum moraliter bonorum, tanquam perfectæ iusticię. Sed illorum perniciosas opiniones refellit Paulus: testificans, quod iusticia gratiæ, & a peccato & a morte saluemur. Excludit ergo humanę iusticiæ gloriationem DEVS: quanquam enim res per se bona est, tamen neque digna est perfectæ iusticiæ nomine, necp potest habentē beatum efficere coram Deo.

Reditio ad locum Pauli, Gal. 5.

Postre-

Postremum, absoluit Deus beneficio Euangelij peccatores, ne qui o pe
ribus suis tribuant meritum saluationis. Quod si intellexissent, nunquā
potuissent in disputationibus suis Sophistę, quas de fide habuerunt, ita
desipere & delyrare.

Relinquitur ergo, remissionem peccati, iusticiam & æternam uitam,
esse gratuitam beneficentiam misericordię Dei: nec conferri illam prop
ter opera legis nostra, sed propter CHRISTVM, si in illum credi-
mus. Si enim opera nostra, opera dilectionis, ut sunt effectus fidei, iusti
ficarent, nunquam posset scriptura dicere: Qui credit in filium Dei ha-
bet uitam æternam. Nec illud prædicare: Iustus fide sua uiuet. Nec per-
mitteretur Paulus ita loqui: ex operibus legis non iustificatur omnis ca
ro. Sed sic necesse esset scripturam loqui: quicunq; pręstat iusticias legis,
facit eleemosynam, precatur multum, ieiunat, & similia opera præcep-
ta facit, is iustificatur coram Deo, & efficitur saluus a peccato & morte,
merito operum suorum. Sed quanta hæc esset obsecro gloria carnalium
iusticiarum coram Deo? cum sola gratia, iustificator Christus, & fi-
des gratiæ, debeant illa saluos efficiente nos gloria clarificari. Sophistæ
autem illam humanæ iusticię gloriationem docent: quam Deus odit, re
prehendit & damnat. Esto uero, ut dicat scriptura: Qui fecerit hæc uiuet
in eis. Item, si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Hoc fac, & uiues. Nō
sequitur tamen, quod per opera nostra coram deo iustificemur. Neque
enim operando satisfacimus legi: ideo illę sententię nunquam possunt
adplicari ad opera nostra, eo quod remotissime absunt a perfecta obedi
entia legis. Legi enim carnalis natura non potest satisfacere: nempe, spi
ritualissimæ & sanctissimæ doctrinæ. Imo ne illi quidem, qui a spiritu
sancto gubernātur: nisi quatenus in CHRISTVM Iesum credunt,
per quem ignoscitur ipsis, si quid minus perfecte præstant. In iusticia-
rios igitur illos, qui per opera sua salutem quęrunt, illud Pauli quadrat:
quicunq; ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Nam licet opera le
gis faciant, non tamen perfectam iusticiam legis habent: & quęrentes iu
stificari per legem, totius obedientiæ legis sunt debitores. Quanquam
dum absoluere illud debitum nunquam possunt, manent rei ęternarum
maledictionum legis. Dicetur autem infra separato capite, de illis sen-
tentijs scripturæ, quę iusticiam operum nostrorum requirunt, & impe
ritis uidentur meritum saluationis polliceri.

In summa, sine fide impossibile est deo placere: Hebrę xi. fides autē
meriti operum nostrorum gloriationem penitus tollit atq; excludit. Ita-
q; fiunt præcepta, & seruantur mandata, & placet deo illa operis nostri
obedientia, quatenus pręstiterimus illā in fide gratię & nominis Chri-
sti. Incredulorum opera nō possunt Deo placere: sed abominabiles sunt
omnes iusticiæ eorum coram Deo, propter gratiæ contemptum. Qua

propter & DEVS nullas immundicias ipsis ignoscit, & nullam imperfectionem condonat: acturus cum ipsis in iudicio. Quod propheta deprecatur: Ne intres in iudicium cum seruo tuo. Quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Quanquam autem opera iustificatorum placeant DEO: non tamen sunt partialis causa iustificationis. Contingit enim iustificatio per gratiam: & opera iustificatorum placent, ut iusticiæ fidei fructus. Nec potest prestari uerax obedientia, nisi ab eo qui est uera in DEVM per Iesum Christum fide prædítus. Iuxta illud: Finis præcepti est charitas, ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta. Prius fidem, postea dilectionis opera doceto.

CONTRA SOPHISTARVM
aliud commentum, de merito cõgrui, & condigni.

CAP. II. QVanquam ex proximo scripto, contra somnium rationis, de fide formata, abunde satis intelligi possit, Sophisticis cauillatiõibus nihil reliquum esse, q̃d dici possit contra gratiæ doctrinam, & Euangelij de CHRISTO redemptore fidem: non committam tamen, ne nihil respondeam ad uanitatem commenti de merito operum congruitatis, ut uocant, & condignitatis. Item, ad quædam alia portenta doctrinæ Sophistarum: quibus illi illudunt gratiæ DEI & redemptori Christo Iesu, sicut pollicitus sum in præfatione huius libri, me responsurum. Existimo enim plurimum facere ad illustrationem doctrinæ Euangelij, & ad puritatem illius conseruandam, si plane ac prorsus intelligatur, quibus & quot inanibus commentis aduersarij gratiæ contra fidei doctrinam utantur. Nam obsecro te, (ut inde initium mihi sumam, ubi cautissimi uidentur esse sibi, & ualde cauere uolunt, ne in petram fidei CHRISTVM impingant, corruant & collidantur.) quorsum indigemus gratia & seruatore Christo, si tam integra est ratio & uires naturæ, ut homo impius & peccator, faciendo quod in se est, possit ex arbitrij libertate, per actum elicitum moraliter bonum, mandata Dei implere, tentationem fugare, disponere se ad receptionem gratiæ, & de congruo illam mereri, de condigno autem uitam æternam? Quanquam plerip; Christianorum non intelligant istas tantas blasphemias in Sophistarum dogmatibus prædicari: & sunt tam intricatæ & spinosę in scriptis Sophistarum doctrinæ de merito operum, ut imperitis & uulgo satis explicari non possint: & uix sufficiat hominis ætas ad ediscendũ illas. Cum uerbi Dei doctrina, sit clarissima lux: accõmodata ad captum simplicium, ut illa doceantur, & credentes salui fiant. Cæterum Sophistæ & obscura & quæ doceri coram uulgo non possunt, ad illius captum, tradunt: & falso iactant nomen meriti carnalium iusticiarum nostrarum. Nec docent, quam meras operum hypocrises: & fidei consolationes eripiunt miseris, atq; fraudant illos, luce, ueritate, gratia, iusticia & æterna uita.

na uita. Quare refutanda sunt illorum impia dogmata: si nos studium gloriæ CHRISTI tenet, & salutis proximorum.

Ergo cum mereri mercedem, & pręmium, uel ipsis Sophistis autoribus, sit ex indebito debitum efficere: ne aperte blasphemare uideantur, confugiunt ad solitas distinctiones suas, atq; ad præstigias cogitationũ rationis: (quibus, ut supra quoq; dixi, eludũt perpetuo oĩa dicta scripturę: si quid rationi absurdũ uidetur, & philosophiæ rationis, in doctrina iustificationis, non consentit.) ac fugiunt duplex meritum, congrui alterum & alterum condigni. Et de posteriore quidem affirmant, quod est cõdigni, id proprie et uere meritũ dici & esse: prius autẽ, quod dicit̃ congrui, improprie, aliquo tamẽ modo. Sic scilicet uidentur sibi ualde cauti & cati esse, acutum uidere, prudentiam & sobrietatem retinere: ne existimentur gratiam Dei penitus excludere, abiurare, & infamiam nominis Pelagianorum incidere & mereri. Sed nullo modo excusari ab illius merito possunt: ut condignum est blasphemos gratiæ hostes, eo spiritu agitari, ne sine debita mercede, qualis perfidiæ Iudaicæ debetur, dimittantur: Sed mercedem abnegationis reddet Deus. Mereri.

Dicamus ergo de utroq; merito, difinitiue: ex ipsorummet Sophistarum scriptis. Et postea excutiamus, qualia sint ea dogmata, quæ de merito operum iactantur. Thomas ergo, (quem habent antesignanum Sophistæ.) in summa, prima secundæ, quæstione, cxiiij. ita scribit: Opus meritorium hominis dupliciter considerari potest. Vno modo, secundum quod procedit ex libero arbitrio: alio modo, secundum quod procedit ex gratia spiritus sancti. Si consideretur secundum substantiam operis, & secundum quod procedit ex libero arbitrio, sic non potest ibi esse condignitas, propter maximam inęqualitatem: sed ibi est congruitas, propter quandam ęqualitatem proportionis. Videtur enim congruum, ut homini operanti secundum suam uirtutem, DEVS recompẽset, secundum excellentiam suæ uirtutis. Si autem loquamur de opere meritorio, secundum quod procedit ex gratia spiritus sancti: sic est meritorium uitæ æternæ ex condigno. Sic enim ualor meriti attenditur secundum uirtutem spiritus sancti: mouentis nos in uitam æternam. Secundum illud, Ioan. iiij. Fiet in eo fons aquæ salientis, in uitam æternam. Attenditur etiam precium operis, secundum dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus diuinæ naturæ adoptatur in filium DEI: cui debetur hæreditas, ex ipso iure adoptionis. Secundum illud: Roman. viij. si filij & hæredes. Hæc Thomas: de cuius scripti uanitate, infra nonnihil loquemur. Thomas.

Nec habemus opus plura referre ex Scholasticorũ descriptionibus, de operũ merito: quia de illo idẽ omnes pronunciant & statuunt. Estq; hæc eorum sententia meritum congrui illud esse, quãdo homo impius Meritum congrui.

& peccator, facit quod in se est, eliciendo bonum motum in DEVM, ex arbitrij libertate. Tunc enim mereri illum, quandam primam gratiã, qualificantem ipsius iusticiam, atq; probabilẽ Deo efficientem. Intelligunt autem renouatũ cordis motum, quẽ uocant dilectionem. Rursus, meritum condigni adpellant, quando ex ui motionis diuinę, (nam habitu illo dilectionis, quem dixi, existimant iustum esse: & iusto tribuunt, quod proprie mereatur.) Simul tamen per actum a uoluntate elicitum, quodcunque legis opus facimus. Tunc enim mereri hominem, æternam uitam: absoluta condignitate. Nam & Thomas sine rubore, uel potius sine mente, impudentissime blasphemat, Quæst. qua supra, art. vij. sic pronuncians & dicens: quod quilibet actus charitatis mereatur absolute uitam æternam.

Meritũ condigni.

Nec alij melius iudicauerunt. Nam & Bonauentura, qui cæteris aliquot Sophistis existimatur purior fuisse, ita censuit: quia, inquit, est meritum condigni, quo quis ex tanta charitate, meretur tantam gloriã. In tertium Sentent. Lombardi, dist. iiij. Sic ergo in luto stercoris humanę iusticię hęserunt, ut nusquam potuerint fidei oculos lumẽ gratię attollere, & illius iusticiã uidere. Notũ est uero quid de talibus Paulus pronunciet: Roman. x. Ignorantes enim, inquit, iusticiam Dei, (hæc est fidei iusticiã, qua Deus reputat iustos, qui promissionem gratiæ, de propiciatore Christo Iesu adprehendunt. Non operum aut uirtutum nostrarum, etiamsi purificatarum uere per renouatũ cordis motum. Quod clarissimũ est & firmissimum, ex cap. iij. Epistolæ ad Roma. Et ex iij. Ioannis.) & suã quęrentes statuere, iusticiæ Dei nõ sunt subiecti. Finis enim legis CHRISTVS ad iusticiam omni credenti.

Confutatio opinionũ, de merito operũ

Igitur istis omnibus portentis, & mõstris opinionũ, confictis ab ociosis & ignaris scripturarũ sanctarum Sophistis, opponimus primo illud Pauli: Nõ abijcio gratiã Dei. Si enim per legẽ iusticia: ergo gratis Christus mortuus est. Gal. ij. In hac enim est epitasis causæ de iustificatione. Itaq;, si mortuus est Christus, quod nemo audebit negare, ne aduersarij quidẽ nostri, quantũuis male affecti sint, erga gratiæ causam: simul cõfiteri oportet, gratis nõ esse mortuũ, hoc est, sine utilitate & sine fructu. Moriẽdo eñ, nobis fructificauit. Neq; eñ pro se, aut suis pctĩs, q̃ nulla habuit, sed ut tradũt scripturę, p nostris peccatis traditus est in mortẽ. Quia sua morte debuit satisfacere pro nostris peccatis, & iusticiã nobis mereri, & reconciliare nobis Deũ, & liberare nos ab ęterna morte. Proinde cõcludimus cũ Paulo, ex lege nõ esse iusticiã: hoc est, suorũ operũ meritis nullum hominẽ iustificari corã Deo, aut liberari a morte. Vanũ esse, & impium cõmentum, id quod de merito operũ nostrorũ iactatur apud Sophistas: & a multis, quibus imposuerũt sua nugaci fictione, receptũ est. Quęcunq; sint illa opera quę pręstamus: siue extra gratiam &

nondũ

nondum recõciliati Deo per fidem: siue recepti in gratiã, qua loco filiorum Dei habemur. Nam Paulus gratiã opponit omnibus iusticijs nostris: & gratiam diserte definit, beneficẽtia illa dei, quę prę̄stita est nobis, per traditionem Christi, pro peccatis nostris in mortẽ. Et testatur abijcere atq; repudiare gratiam, eos qui per legẽ, hoc est, iusticiarũ suarũ merita, quęrunt iustificari & saluari. Quid eñ attinebat filium Dei tradi in mortem, pro nostris peccatis, si ipsi per iusticias nostras potuissemus nobis promereri, donũ remissionis peccati & uitæ æternæ? Et quæ hæc esset gloria gratiæ, si caro, homo impius & peccator, suis iusticijs beatus effici, & uita æterna dignus, potuisset?

Ergo necesse est, istos meriti operũ nostrorum doctores plusq̃ damnabiliter errare: perniciosis opinionibus & doctrinis, se & alios fallere ac perdere. Nã Dei gratiam & abijciũt & abijcere docent: & redẽptoris Christi beneficium cõtemnere, & multo potius fidere iusticijs rationis. Quanquã ex lege nõ sit iusticia: et impossibile fuerit Christũ frustra mori. Expende igitur quale sit, cũ dicitur, quod homo impius & peccator, faciendo quod in se est, & eliciendo bonũ motum in Deum, (hoc eñ fingunt, cum sit nihil.) ex arbitrij libertate, primã gratiam mereatur: habitum infusum, q̃ Deũ super omnia diligat, & proximũ ut se ipsum: quo impetrato & accepto, mereatur sibi, ex actibus iusticiarũ sequentibus, uitam æternã. An non tali frustra mortuus est Christus? nẽpe, ignaro iusticiæ gratię: imo, cum cõtemptu illius propriã quęrẽti. Iam hac ipsa perfidiæ & erroris impietate, ipsum quoq; peccatum originis negatur, & peccatores negant̃ esse filij iræ. Nam licet Sophistę uideri uelint, utrunque nobiscum cõfiteri, tamen utrunq; negant. Nec eñ possunt non negare, quicunq; contẽdunt, quod per iusticias nostras saluemur. Nã homini tribuere eam perfectionẽ iusticię, qua legem facere, implere & gratiam mereri possit, est illi tribuere naturam sine peccato: & affirmare q; talis iniuria damnetur. *Quid sit peccatum originis negare.*

Cæterum uocabulum mercedis, quo utitur scriptura, non arguit, q; per opera nostra, gratiam, & uitæ æternę salutẽ mereamur. Sed testatur, pręmium seu mercedẽ laboris sequi, eos qui uera in Christum fide præditi fuerunt: & per hanc fidẽ, (ea purissime obseruata in corde, sine additamento impię opinionis.) debitam obedientiã erga legem prę̄stiterunt: siue afflictiones, pro Christi nomine, in fide sustinuerunt. *Merces.*

Sed finge, q; faciendo bonum opus morale eo profeceris, ut datus sit tibi spiritus, et quod habeas charitatem: (quanquã hoc monstrũ est, & Sophistis nihil minus cõcedamus. Nã spiritum sanctũ accipimus Christi merito: credentes in eum.) Sed finge tamẽ, quod adeptus sis gratiam illã spiritus faciẽdo quod in te est. Vnde autẽ & ex quo merito? congrui. At quomodo nõ potius est condignitas in illo merito? Nam ut ponam *Contra meritum congrui seorsim.*

uera esse, quę doctores operum somniant, nempe, quod quicunque opera Decalogi facit, is habeat in se uim acquirẽdi gratiã & iusticiam. Quia non ponendo obicẽ, non manens in proposito peccati mortalis, & faciendo quod in se est, meret infallibiliter gratiã: & infunditur ei spiritus sanctus, ut deum & proximũ diligere possit. Hoc stante, quomodo non est condignitas in eo opere: ut dixi. Quia deus re ipsa coactus, cõfert ex necessitate gratiam, ei qui operat, & facit quod in se est. Redit igitur in idẽ meritum congrui, cũ merito condigni: & solis nominibus hęc duo inter se differunt. Nisi quod prius meritum fingitur esse gratię & dilectiõis: posterius autẽ, æternę uitæ. Igitur Sophistę intus & extra, in cute & toto corpore Pelagianizant: & fictione congruitatis, de pessima nominis infamia, male sibi cauent. Si enim DEVS facienti quod in se est dat gratiam, & confert dilectionẽ, non utique rem facit sua excellenti bonitate indignam: sed, ut Sophistę interpretantur, quã congruit, cõuenit, ac decet dare, & facere deum. Quia, ut Thomas inquit, cõgruum est, ut dũ homo bene utitur sua uirtute, deus secundum superexcellentẽ uirtutem suã, excellentius operetur. Ergo præparãtibus se & currentibus, deus nõ potest deesse: non potest nõ conferre ipsis gratiã, non potest nõ remittere ipsis peccata eorum, & spiritum sanctũ conferre: ut sequentibus & perfectioribus iusticijs uitã æternam sibi mereantur. Et nihil est, quod Paulus dicit: non est uolentis, neque currentis, sed miserentis dei.

Hoc si uolũt Sophistę, sicut reuera aliud neque sentiunt neque uolunt, quid opus habemus iustificatore Christo, luce, uia, ueritate & ęterna uita: q se ipsum tradidit pretium & satisfactionẽ pro peccatis nostris in mortem, hostiam ineffabilẽ & incomparabilẽ, & semetipsum uitã ęternam nobis donauit, cum aliter nec liberari a pc͡tõ, nec salui fieri a morte possemus: Intelligis igitur Scholasticos & aduersarios nostros Pelagianorum uirus ex rictu exhalare: Quia impossibile est, ut deus faciat ullam rem, se & sua superexcellenti bonitate indignã. Igitur stante blasphemo illo dogmate Sophistarum, opus quod fit extra gratiã, ab eo qui est in peccatis mortalibus, & natura filius iræ, filius diaboli, meretur infallibiliter gratiam, iusticiam & æternã uitam: siue de congruo, siue de cõdigno hoc fiat. Quæ portenta & somnia inanium uerborum nihil moror: cum opinionibus nũc rixor, ut ostendam quantarum blasphemiarum diluuio sint refertæ Quanquã utile est conferre, hęc duplicia merita quę prędicant Sophistæ, & cognoscere quod solis nominibus differũt: ut propius uideas, quanta errorum caligine ubique cæcutiant, se & alios perdant, fictis terminis & rebus. Porro meritum cõdigni, ut de huius quoque ratione hac confutatione seorsim nõnihil scribam, definiunt esse hominis iam habẽtis gratiam & dilectionẽ: pro quo, tanquã pro re digna, dicũt et debere deũ, & reddere ęternã uitam. Agnoscis igitur pie lector spiritum

Contra meritum condigni seorsim.

ritum Antichristi in illo Scholasticorum theologorum dogmate. Qui & tẽporibus Apostolorum exortus est, & cauillari atq; negare bñficia Christi cœpit: & in Pelagianis, operatione erroris & perditionis efficax fuit. Et nũc opera & labore Papistarum, crudeli grassatione, Ecclesias dei misere lacerat, dissipat & uastat: imprimis per Romanum Pontificẽ & monachos: quorum pharisaicos cultus & doctrinas, deus de sub cœlo auferat funditus, deleat & perdat. Amen. Cæterum Sophistę fingũt in hoc merito spiritũ gratiæ homini adesse, qui nullã ueram fidẽ in misericordiam gratuitam dei, & in Iesum Christũ habet: imo qui contrarijs opinionibus fertur, rapitur, ac dementatur, contra misericordiæ & nominis Iesu CHRISTI fidem: ut impossibile sit Christi spiritum, dilectionis uere autorẽ, in tali mente habitare. Quare istę fictiones cõdignitatis, quã efficiat spiritus sancti præsentia, quæ nulla est, sa Item ubi istæ impię opiniones de operum merito regnant, nõ possunt excusare Sophistas, a perfidia Iudaica, et a blasphemia reiectę gratię et abnegatę fidei in Christũ.

Denicp, si iustus est homo sua qualitate & habitu, quem operibus de congruo promeruit: atq; inde opera legis faciens, uitam æternã meretur, certe sine Christo illam meretur, quẽadmodum iusticiã sine Christo sibi arrogat: cum & iusticiam & uitã æternam solus Christus omnibus promeruerit: ut copiose docetur Roman. iij. & Ioan. iij. Huc itẽ facit i. Ioan. iij. Et hoc est testimoniũ, q uitam ęternam dedit nobis deus: & hęc uita in filio eius est: Qui habet filiũ, habet uitam: qui non habet filium dei, uitam nõ habet. Vbi mox addit: Pręcognoscens spiritum Antichristi, imo uidens atq; audiẽs illum, eoque omnibus modis cauẽs Ecclesijs, doctrina & admonitionibus sollicitando: Hæc scripsi uobis, qui creditis in nõie filij dei: ut sciatis, quod uitã habetis ęternã. Et credatis in nomine filij dei: quasi hac postrema parte dicat, ut in fide fundati, stabiles & immoti permaneatis. Igitur non magno constat, cõuincere Sophistas, de suo crasso, impio & execrabili errore: quem in doctrina gratię, fidei, iustificationis & operum nostrorum meritis retinẽt. Nimis enim aperte, & sine rubore, pro summa iusticia pręدicant summã impietatem, & grauissimum errorẽ. Hoc igitur agẽdum erit nobis, ut nos contra impium et blasphemũ cõmentum, firmis scripturę testimonijs muniamus. Nã in summa, dei dona, tam quę sunt reconciliationis nostræ, & remissionis peccati, q̃ quæ uitæ ęternæ, sunt gratuita: & prorsus nulli per operum suorum merita cõtingũt: sed gratis per misericordiã propter Christũ: solis qui in illũ credunt. At testimoniorum scripturæ ingẽs copia ubicp occurrit: Imo hęc est ꝓpria noui testamẽti et gratię doctrina. Quare p̃dictis q̃ collegi supiore capite pauca quędã addã. Nam huc pręcipue facit illud Pauli Ro. iiij. Ei ꝟo q operatꝰ, merces nõ imputatꝰ secundũ gratiã: sed secũdũ debitũ. At nemo est q nesciat, Paulũ cõtendere, nihil ꝓ meritis operum

Rursus in genere, contra doctrinã de operũ merito.

nostrorum nobis donari a DEO.) Porro ei qui nõ operatur, sed credit in eum, qui iustificat impium imputatur fides sua ad iusticiam.

Igitur meritis operum suorũ nemo iustus est coram Deo: nec uitam æternã quisquã illis obtinebit: sed soli, qui per fidem in iustificatorẽ & redemptorem Christũ, sese conijciunt in gratuitam misericordiã Dei. Sicut est Ioan .i. Dedit eis potestatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in noĩe eius. Roma. viij. Si autem filij: & heredes. Hoc igitur retinendũ erit omnibus nobis firmissima fidei securitate: neminem per opera sua saluari, nec quę precedunt receptionẽ sui in gratiam, nec quę sequuntur. Huc accerse predictis in subsidiũ, q̃d est Roma .xi. collatione Ecclesię beatorũ patrũ, et huius quę est in hoc tempore, his uerbis: Sic in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ DEI sunt. Si autẽ per gratiam, iamnon ex operibus: alioqui, (si gratia pro meritis operum nostrorum detur.) gratia iam non est gratia, Sin ex operibus, iam non per gratiam: alioqui, (si per solam gratiam salus contingit) opus iam non est opus. Amittit enim meriti iustificationis & saluationis nomen, titulum, & gloriam: uidelicet, opus iusticiæ nostrũ. Et tamen hypocritæ, operum doctores, illam gloriã perpetuo tribuũt operibus nostrarũ iusticiarum. Sed ipsi uiderint olim, quid docendo & operando meruerint, hac impia & prophana merite. Esaiæ liij. Ipse autem uulneratus est propter iniquitates nostras: & attritus est propter scelera nostra. Ioan .i. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mũdi. i. Cor. i. Qui factus est nobis a Deo sapientia & iusticia, & sanctificatio, et redẽptio: ut qui gloriatur in domino glorietur. Hęc satis clare testant̃, gratiam, remissionẽ peccati, iusticiã & æternam uitã nullis donari, operũ suorum merito: sed per misericordiam, propter mediatorẽ Christum, illis qui Euangelio credunt. Quin ergo Euãgelium de gratuita remissione peccati, & uita æterna, prorsus & nihil obscure abijciunt & dãnant potius, illi qui nobis iusticias rationis meritorias prędicant iusticiæ & salutis: quã quod deceptorijs uerbis illudũt? Quid eñ pretẽdunt fidem, quã adeo abolẽt? cur meriti congrui adpellatione utũtur, cũ sentiant impiũ et peccatorem, operibus suis, gratiam & iusticiã infallibiliter mereri? Et quomodo audent dicere, nos actibus dilectiõis mereri absolute uitã ęternã? An nõ hoc est πλαγιάζειν? Quomodo autẽ potest se præparare ad gratiã, illamq; mereri, qui totus est sub imperio peccati, diaboli, erroris, tenebrarũ & mortis? Si uera est doctrina Scholasticorũ theologorum, de operum merito, debitũ est, nõ gratia, quicquid per misericordiã Dei, & propiciatorẽ Christum, ad nos adfertur. Sed quõ congruit misericordiã dici, q̃d est debiti & pactę mercedis? Age demũ, quę malum insania turbauit Sophistas, q̃ nõ uiderunt ex illo Christi: cũ feceritis oĩa, quę precepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere fecimus. Luc. xvij. hominem suis operibus nihil posse a deo mereri: etiãsi omnes legis iusticias faciat. Nã

debitor est illius obedientię: etiamsi deus illi nihil reddat. Quanq̄ perfectam obedientiā nemo præstet: & simus hoc nomine oēs homines reuera inutiles serui. Et cur nō potius timent deū: quem sibi debiti nomine astringere uolūt? Cui quis dedit prior & retribuetur ei? Roma. xi. Cęterū capite superiore clare docui, quod iustificatio nostri gratis fiat, per misericordiā, propter Christū. Et Roma. vi. donum dei uocatur uita ęterna, per Iesum Christū dominum nostrū. Adhęc Roma. viij. dicit: Non sunt condignę passiones huius temporis, ad futurā gloriam, quę reuelabitur erga nos. Quod si aliquid in iusticijs nostris meritoriū esset, id cū primis erant afflictiones sanctorū: quas illi tolerant pro noīe Christi. Sed illis detrahitur meriti gloria: ut maxīe reddatur merces ijs qui in fide eas pertulerunt. Matt. v. Ergo maledicat deus isti opinioni, quę opera nostra prędicat meritoria, iusticię & salutis. Nā & merces est misericordiæ donum: non debitū priuatę cuiusq; iusticiæ. Per gratiam em̄ & Christum donat. Ergo quis dedit potestatē Thomę Aquinēsi et reliqs eius opinionis Sophistis, ut q̄d de efficatia gratię & spiritus sancti, in illis qui Euāgelio credūt, dictum est, ipse in descriptiōe fabulosa meriti cōdigni torqueat ad operū & iusticiarum nostrarū, plusq̄ immundarū & carnalium meritū? Thomas em̄ scribit de merito quod uocat, cōdigni: ualor merito attendit̄ secundū uirtutē spūs sancti, mouētis nos in uitā ęternam. Et addit testimoniū Sophistico acumine dignum: secundū illud, inquiēs, Ioannis iiij. Fiet in eo fons aquę salientis in uitā æternam. Nā simili dexteritate citare potuisset illud Gen. i. In principio creauit deus coelum & terram. Aut si quid absurdius est, & minus quadrās ad Thomę opinionē. Quod em̄ de diuina & supernaturali uirtute dictū est, regenerante nos per fidē in Christum, & efficiēte per merę gratuitam gratiā & misericordiam, filios dei, & uitę æternę hæredes, id impurus & cæcus Sophista, torquet ad meritum iusticiarū hominis. O facinus infandū, & insignem cōtumeliam in Christū. Tale est etiā illud, quod mox addit: attēditur etiam preciū operis secundū dignitatē gratię, per quam hō cōsors factus diuinę naturę, adoptat̄ in filiū dei, cui debetur hęreditas ex ipso iure adoptiōis. Secundū illud: si filij & hęredes: o acutum Theologū. Si em̄ ita sophisticari licet, & tutum atq; theologicum est, nihil usq̄ in omnibus scriptis Euangelistarū & Apłorū dictum est, de gratia, Christo, fide, & iustificatiōe, quod nō possim de operū merito interpretari: & eximiū magistrū agere, & scholasticum honorē mereri. Paulus testat̄, hęreditatē salutis & regni dei adoptiōis iure deberi his q̄ per gratiā et fidē in Christū sunt filij dei: q̄d Thomas torquet ad dignitatē et meritū nostrarū iusticiarū. Quid iniquius? & si hoc nō est insanire & mēte captū esse, dicat alius q̄d sit. Hęc nō fuerūt prętereūda in cōfutatiōe, quę ꝑ fundamento doctrinę iustificatiōis firmissimo habētur, apud eos qui doctrinę Euāgelij hoc tp̄e aduersant̄. Hos igitur tam foedos errores, qui in pręcipuis

Contra Thomæ assertiones de operū merito.

capitibus doctrinæ Christianæ spargunt, quid possent de uera pietate, & uero DEI cultu, usquam recti ac sani cogitare aut dicere.

QVOMODO SIT INTELLIGENdum, cum dicitur: Impium sola fide iustificari & saluari.

CAP. III. PRoinde quia constat, quod impij & peccatores, per solam gratuitā misericordiam DEI propter Christum iustificatorem, precium & satisfactionem pro nostris peccatis, & a peccato & æterna morte saluamur: non propter nostra opera, hoc est, nō propter merita, quę finguntur cum sint nulla, nostrarum iusticiarum: misericordiam autem illam nullis contingere, nec CHRISTI redemptoris beneficia alijs imputari: nisi qui in eam ipsam misericordiam, per gratiæ promissionem de Christo IESV credunt: recte dicimus, impium seu peccatorem sola gratiæ huius fide coram DEO iustificari & uiuere. Non excludendo, nisi eam impiam opinionem, superbam atq; arrogantem fiduciam & gloriationē, quæ operibus nostris tribuunt remissionis peccati meritum & uitæ æternę: quasi hęc dona nō ueniant gratis, & pro iusticijs nostris dētur. Quę quia sunt impia & falsa, & gratiam DEI blasphemāt, & beneficijs Christi derogant, necesse habemus discernere inter fidem uere Christianam, quæ rem salutis nostræ totam fert acceptam misericordiæ Dei & propiciatori Christo: & inter pharisaicas opiniones, tribuentium huius gloriæ partem, uel potius hanc totam gloriam, quæ Dei est & IESV Christi, suarum iusticiarum meritis: cum illarum nulla possint ostendere, & meris rationis somnijs hoc dicant, non modo sine omnibus scripturis, sed & contra scripturas. Ita ut declaratū est hactenus in capitibus illis duobus de fide formata, & iusticiarū nostrarum meritis, quę ut dixi fingūtur.

Exclusiua.

Sed hac oratione, qua dicimus, impium sola fide iustificari coram DEO, quidam asini supra modum offenduntur: cum genus sermonis & doctrinam non capiant neq; intelligant. Aut certe quod magis credo, dissimulent se uidere & intelligere, odio Christianæ doctrinæ. Nam quæ clare, recte, uere ac pie dicta sunt, non uerentur, sua asinina ruditate dicam, an maligna impietate? cauillari atq; incessere: & stulta atq; uirulenta interpretatione denigrare: uel potius contemnendos & ridendos pijs & eruditis hominibus semetipsos prębere. Quia non proficiunt nisi apud sui similes, crassos, stupidos, bardos, atq; impios & nihili homines, qui diuina non curant, & in cordibus suis dicunt, non est Deus. Nostra enim bifariam cauillantur: priore modo, ideo non recte neque firme doceri, quod impius sola fide iustificetur, quia & per gratiā, Christum, spiritum sanctum, & sacramentum baptismi iustificetur. Quæ uesana & stolida commenta, quis potest æquo animo audire & legere? Et tamen fingunt, q̄ hac consequentia possint iusticiarum nostrarum merita, in parte gloriæ, quæ est Christianæ iusticiæ, qua coram Deo saluamur,

Hæc respondēt ad Philippicas Cochlei & Vuitzelij calumnias.

mur, retinere. Neque uero istis nebulonibus curæ est dignitas bonorum operum: quia impossibile est bono spiritu agi, qui gratiæ & gloriæ Christi ita aduersantur. Quare pernitiosis adulationibus, hęc placētia & acutas inuentiones scilicet, in fauorem & gratiam his qui Euangelio & gloriæ Christi aduersantur, scribunt. Porro altera calumnia, quã isti plausibili, et solis impijs digno inuēto addũt, est: reijci uidelicet a nobis bona opera per fidei prædicationē nostram, nec nisi dimidium Christum nos prædicare, poenitentiam & opera bona non docere, &c.

Hæc propria est Vuitzelij.

Istis pessimis Sycophantis oportet aliquid respondere: primum, ne sibi placeant nimia securitate, & existiment plane neminem esse, qui uideat, qua animi malignitate & furore, quo ueritatis odio contra doctrinam gratiæ scribant. Non enim errori tribuerim istos cauillos: sed maliciæ & improbitati. Deinde, ut nõnullis pijs & bonis hominibus seruiamus hoc responso: quibus impostores isti, quos dico, illudunt, imperitioribus nõnunquaam, quam ut fraudes & maliciosa commenta subito uidere & deprehendere queant. Est igit̃ in prędicatione fidei diligentissime obseruandũ: primo, ꝙ hac sola reconciliationē coram deo, & iusticiã quæ est in peccati & omnium delictorum nostrorũ remissione, & sola hominem beat, per Christum propiciatorē consequamur. Deinde, quod illa eadem fide ipsam quoq; æternam uitam accipiamus: sine omnibus meritis nostrarum iusticiarũ. Reconciliatis enim, & Christi merito in gratiam receptis illa contingit, donata hæreditatis iure. Prior assertio habet clarissimas & firmissimas probationes: Roman. iij. iiij. ix & x. Gal. ij. iij. & v. Posterior, Ioannis iij. Roman. viij. & alijs innumeris locis scripturæ.

Sola fide iusti & beati.

Ac perspicuum est satis, nos hac doctrina, quam retinere debēt Ecclesiæ, traditam a CHRISTO & Apostolis, nihil detrahere doctrinæ operum, seu nostræ poenitentiæ: nedum abijcere illam. Multo minus gratiam, misericordiam Dei, propiciatorem Christum, spiritum sanctum, aut baptismum excludere. Quinetiam dignitatem bonorum operum conseruamus: quia in locum suum illam reponimus. Prohibemus em̃, ne q̃s opera pręcepta a Deo bona faciat illo opinionis impio errore, quo iubent aduersarij nostri opera præstare: nempe, ut remissionem peccati, iusticiam & æternam uitam illis nobis quæramus mereri. Hac em̃ impietate legem & illius præcepta opera facere, est sentire cõtra fidem: negare & abijcere gratiã & seruatorem Christũ. Quod cũ faciant nostri aduersarij reprehendendi sunt: neq; concedendũ est ipsis quod possint bona opera prędicare, quemadmodũ nec fidem, quam extinguunt quãtum in ipsis est, & opera nostra in fastigio summæ gloriæ locant ubi stare non debent. Et in summa, iustificationis doctrinam confusissime perturbant: hoc quod solius gratiæ est, operibus nostris tribuentes, ut

De operum doctrina.

nec gratia, nec operum iusticia, nobis prodesse possit. Nos uero iubemus gratiæ fidē retinere: & plane nihil eorum quę sunt Christianę iusticiæ, illius qua saluamur coram DEO, meritis operum nostrorum arrogare. Adeoq; requirimus, ut qui crediderūt Euangelio, fidem bonis operibus exerceant, & sint ornamēto gratiæ, & glorificent DEVM.

Non igitur deserenda est a nobis ueritas: & particula sola, qua affirmamus impium & peccatorem absque meritis operum suorum saluari, in doctrina iustificationis retinenda est. Multum enim lucis habet & perspicue docet. Quia meritum remissionis peccati, iusticiæ & æternę uitæ operibus nostris detrahit: & gloriam saluationis totam tribuit gratiæ, hoc est, gratuitæ misericordiæ Dei, propiciatori CHRISTO Iesu, adeoq; spiritui sancto, cordium nostrorum illuminatori & purificatori, deniq; ipsi Euangelio & sacramentis: sed quatenus credimus in Deum & misericordiam eius, propter CHRISTVM nobis præstitam: fide per Euangelium in cordibus nostris operatione spiritus sancti excitata, & sacramentis confirmata. Non reijcit opera bona, quæ certe in renatis sequi debent: tum ut gloriam gratiæ probemus nos agnoscere, eāque confiteamur & laudemus: tum etiam, ut crescamus & confirmemur in fide. Non tamen recipimus in numero & ordine bonorum operum, nisi ea quę Deus præcipit: uidelicet, obsequium erga legem, diuinę gloriæ confessionem, studium frenandæ carnis & desideriorum eius, & dilectionem quam proximis præstemus. Et illos operum fines nusquam explicant aduersarij nostri: quinetiam contrarios docēt, quibus gratiam & redemptorem CHRISTVM negant. Deinde multa hominum præcepta de operibus, numerant in bonis operibus, ad salutem necessarijs: planeq; dæmoniorum doctrinas. Quod etiamsi non facerent, tamē in prædicatione legis Dei non possent nisi meras hypocrises docere: eo quod negant, impium sola fide iustificari.

Quid uelit oratio, sola fide iustificamur.

Finis bonorū operum.

Nos itaq; recte & necessario contendimus impium & peccatorem nulla alia re consequi peccati remissionem, iusticiam & æternam uitam, præterquam sola fide in Christum: quæ certe est credentium in misericordiam Dei fides, & quidem credentium per Iesum Christum Dei filium, quem agnoscunt se habere redemptorem, pretium & satisfactionem pro suis peccatis. Nec potest illa fides aliunde excitata esse, quā per Euangelium a spiritu sancto, & mediantibus sacramentis: ut uidelicet credentes per Christum Iesum sciant atq; confidant se reconciliatos esse Deo, habere remissionem peccati, & post hanc uitam accipere æternā. Eant nunc aduersarij nostri & excutiant nobis particulam, sola: & accusabimus eos abnegatæ gratiæ, misericordiæ DEI, iustificatoris Christi, spiritus sancti, qui est efficax in nobis per gloriam CHRISTI. Nam re uera hæc omnia scelera & impietates sunt eorum, quas nobis imputant:

Fides iustificans.

neq;

neque aliud agunt, quam ne pure in Deum & seruatorem Christum credamus. Denique & prophanati Euangelij & sacramentorum eos damnabimus: ut quorum usum corrumpunt & opprimunt. Quia a fiducia gratiae, CHRISTI, spiritus sancti, uerbi Euangelij, & sacramentorum gratiae abstrahunt nos: & iubent, ut in opera & iusticias nostras fiduciam et spem salutis ponamus. Sed interim eos moneo, ut quiescant ac desinant ociosum laborem sumere: quia nunquã patiemur illam excuti nobis, nempe, a qua si defecerimus, simul oporteret nos Euangelium Dei, & aeternam uitam, & omnia quae prius dixi, abijcere & negare.

Quoties ergo quaeritur, per quam rem iusticiam habeamus peccatores coram DEO, & aeternam uitam, oportebit constanter respondere, quod per solam fidem, in Iesum Christum, Dei filium, mundi seruatorem. Accipiendo fidem pro noticia gratiae, & firmo assensu in eam, quae per promissionem Euangelij annunciatur: & parit in nobis fiduciam de iustificatione nostri & saluatione per Christum Iesum. Ita ut supra de fide, hoc est, gratiae fiducia & seruatoris Christi a me disputatum est: & quae oritur ex noticia & assensu promissionum Dei in Euangelio. Vt sit in hac fide firma & constans fiducia & gloriatio de gratia illa, quae facta est nobis per Christum Iesum, traditum pro peccatis nostris in mortẽ: & excitatum a morte propter iustificationem nostri. Sicut Paulus testatur, Roman. iiij. Quae nos uerbose quidem, & prope ad tedium eruditi lectoris inculcamus: sed urgentibus nos nostris aduersarijs, & inimicis gratiae & CHRISTI. *Fides quid.*

Proinde caute obseruemus, esse in hac tota controuersia, quãdam collationem gratiae & beneficiorum Christi, cum meritis iusticiarum nostrarum: & diserte hoc quaeri, an per solam gratuitã misericordiam Dei, quae praestita est nobis in Christo Iesu, iustificemur a peccato, & liberemur a morte, quatenus credimus in eum: an uero per merita iusticiarum nostrarũ, tanquam medio & caussa, sine qua nulli saluatio contingat. Hic nos secura mente, certa intelligentia & fide, pronunciamus, impiũ & peccatorem sola fide coram DEO iustificari & saluari: inclusis illis omnibus, quae prius dixi, de gratia, Christo, spiritu sancto, Euangelio & sacramentis. Ac ne operibus quidem, seu poenitentia nostra exclusa ne sequatur: sed sola impia, superba, arrogante, pharisaica & blasphema opinione hypocritarum, contendentium, quod iustificatio per merita operum nostrorum fiat. Contra quos necesse habemus profiteri & scribere, pro gratiae laude, & pro puritate doctrinae Euangelij & operum bonorum: adeoque pro Ecclesiae salute. *Epitasis contentionis.*

Ergo Christiana iusticia nõ est operum seu meritorum nostrorũ: sed est doni remissionis peccati, & quidem gratuiti, accepti a DEO propter Christum: si tamen in illum credimus. Significat enim iustificatio passi- *Iusti, remissione peccati, & alieno beneficio.*

ue, iusticiæ imputationem: sicut clarum est ex cap. iij. & iiij. epistolæ ad Romanos. Sicut intelligas, in illa per gratiam imputatione, esse, non imputari nobis peccata nostra: sed remitti ea atque ignosci propter Christum, quatenus in eum credimus. Item pronunciari iustos, eos qui Euangelio credunt: seu absolui a peccato & a morte, quo modo, rei capitalium delictorum, aliquando absoluuntur a principibus: ne poena capitis plectantur. Sic ergo nemo est, uel pronunciatur, iustus, coram DEO, per suas iusticias: sed per promissionis Euangelij fidem, quicunque credunt. Hac ratione iusti sumus, ut maxime adhuc peccatum habeamus, & simus legis transgressores: non si flagitiose uiuamus, uicijs indulgentes. Sed quia nemo est, qui non habeat peccatum in natura: quod plerique multis actualibus transgressionibus auximus: nec remissionem eorum omnium delictorum & peccati accipere possumus, quam per fidem in Christum. Ergo fidei est, agnoscere illa gratuita gratiæ beneficia, de quibus loquor: & hominis iusti est, existimare & credere, se aliter iustũ & beatum non esse, nisi per remissionis peccati fidem. Credentes enim in CHRISTVM IESVM, absoluimur a peccato & morte: & pronũciamur iusti, & efficimur uitæ æternæ hęredes. Quod ut sine obscuritate & fraude explicemus, dicimus, impium gratis & sola fide iustificari, & saluationem habere.

Inter nos enim quæritur & disceptatur, qua nam re iustificemur, adprehendentes gratiam illam, qua a peccato & morte saluamur: nũ opera et iusticiæ nostræ sint caussa istius doni, siue potius sola gratia & iustificator Christus. Id nos oportet clare explicare: & sacris scripturis confirmare. Cum igitur illæ doceant, iustificationem nostri esse gratuitum donum misericordiæ Dei, & propiciatoris Christi beneficium: neque tamē recipi in gratiam, aut remitti alijs sua peccata, nisi qui oblatam Euangelio gratiæ promissionem per fidem adprehendant: per fidem autem, qua agnoscimss Iesum Christum DEI filium, esse unicam illam causam, qua nobis impetrata est reconciliatio & salus: non explicatius ea de re dici potest, quā hac oratione, impius sola fide iustificatur. Ita ut Paulus testimonium huius doctrinæ allegat ex Habac. cap. ij. Iustus fide sua uiuet. Sic enim excluditur lex: ne pro doctrina iustificationis habeatur, non ne seruetur. Hinc sunt illa apud Paulum omnia, quibus pronunciat Apostolus ille, iustos esse & beatos coram Deo, gratis, sine lege & sine operibus suis, quicunque in Christum Iesum credunt. Nec aliud agit ille, his omnibus dicendi formulis, quam ne quis arroget meritum iustificationis suis operibus & factis. Hæc enim gloriatio exclusa est: dono gratuitæ iustificationis.

Quia igitur gratis, & sine operum nostrorum meritis iustificamur: adeoque Deus, per Euangelij promissionem, hanc suam gratiæ beneficentiam,

tiam, propter Christum, crucifixum & mortuum pro nostris peccatis, nobis offert: perspicuum est, quod fidē huius gratię suę a nobis requirit, & quod sola gratiæ illius fide iustificamur a peccato & saluamur ab æterna morte. Quanquam autem qui uere credunt Euangelio, non possint non agere poenitentiam & glorificare Deum: non tamen sequitur hinc, opera nostra partialem causam iusticię & salutis esse. Quia Deus per Euangelium hanc gloriam omnium maxime excludit: ut gratiam pure confiteamur, & ne legem pro doctrina iustificationis habeamus. Quapropter qui operibus suis meritum iusticiæ tribuunt, eo ipso faciunt sibi ociosas & inutiles Euāgelij promissiones: nempe, in quibus est prędicatio remissionis peccati & ęternę uitę, quas oportet fide recipere. Lex uero est contritionis doctrina: qua redigi peccatores ad desperationem meriti saluationis necesse est, per accusationem peccati eorum, ne superbe & arroganter de iusticijs suis sentiant. Deinde, iustificati discant ex lege, quibus operibus fidem gratię exerceant & glorificēt Deum. Sed aduersarij nostri, ubi de saluatione quęstio est, fingunt iusticiam actiue significare, uirtutes & actiones nostras: atqꝫ illis tribuunt meritum remissionis peccati & uitę ęternę, quod est toto coelo errare, & legem pro iustificationis doctrina habere: Item, negare Euangelij promissiones & reijcere misericordiam, Christum, & spiritus sancti beneficium, adeoque sacramentorum usum nescire. In quibus uicijs qui sunt, nunquam poterunt saluari: nisi ab his liberentur.

Si igitur pergant aduersarij isti nostri exigere a nobis, ut in eorū blasphemas opiniones cōsentiamus, tollētes particulā, sola, ne uideamur ꝙ sola misericordia Dei propter Christum iustificemur, credentes Euangelio, quo docemur de illa misericordia & seruatore Christo: postulamus rursus ab ipsis nostro iure, ut prius nos doceant claris & nihil ambiguis argumentis & demōstrationibus, gratiam iustificationis gratis nulli contingere, nec sufficere beneficia Christi ad nostram ęternam saluationem, non remitti nobis peccata quatenus Euangelio credimus, sed quatenus iusticias legis habeamus, ut doctrina Catholica, Christiana, in nouam formam tandem redacta, talis efficiatur: non gratis neque per misericordiam, siue propter Christum, non item sine lege, sine operibus aut sine iusticijs nostris, non deniqꝫ per Euangelium aut usu recto sacramentorum: sed per legem & propter iusticias nostras, merito condigni sine gratia, sine Christo, sine consolationibus spiritus sancti, quas ille pręstet per Euāgelium & sacramenta, impium iustificari. Hoc enim si docuerint, merito concedemus ipsis uictorię palmam & abijciemus particulam sola: qua in tantum offenduntur & implacabiliter in eam sęuiunt. Sed prius quam pręstiterint pactum, ne existiment, quod gloriā gratię & seruatoris Christi simus negaturi.

Sed quando hoc pactũ prẹstabunt? ad Grẹcorũ Calendas, ut aiũt? Verũ si illa gratiẹ noĩa retinere in doctrina iustificatiõis Christianẹ uolũt: sinant nos in gloriã Dei, Christi, Ecclesiẹ totius consolationẽ et conscientiarũ confirmationẽ profiteri ac dicere, ꝙ sola in Christũ fide, sine lege et sine meritis iusticiarũ nostrarum saluemur. Nã alioqui sane, si hoc credere & confiteri non licet, gloriatio operum & iusticiarum nostrarũ non erit uere exclusa: & non minima pars gloriæ, per quam cõtingit miseratio DEI, beneficium redemptoris Christi, & uirtutes spiritus sancti, remissio peccati, iusticia saluans & æterna uita, meritis operum nostrorũ debebitur. Hic optarim audire, quid aduersarij isti nostri, gratiæ hostes, respondere uellent rogati. Nam etiamsi in ea ipsa impia sententia, quam dixi, sint, per quos operum merita contra gratiæ iusticiam defenduntur, tamen non opinor tam impudenter blasphematuros, ut hẹc audeant dicere, quæ gratiam prorsus rejciunt in totum: saltem mundi iudicium metuentes, si deum non timeant.

Oportet igitur in gratiæ gloriam credere & confiteri, impiũ nulla alia re prẹterquam sola fide iustificari coram deo: & effici dei filium & uitẹ ẹternẹ hẹredem. Et nostra illa assertio quẹ dicit, sola fide iustificamur, non aliud uult, quã si dicas, gloriatio meriti iusticiarum nostrarum est exclusa. Quæ si non est Pauli, imo totius scripturæ in doctrina de iustificatione, merito accusabimur perfidiæ & defectionis a lege saluante. Sed si constabit hãc esse doctrinã Euangelij: perfidiæ accusari debent, et defectionis a gratia, CHRISTO, Euangelio & fide, qui docent quod meritis operum nostrorũ saluemur. Nos enim per Christum incarnatum, passum & mortuum pro nostris peccatis saluamur: si in eum hoc nomine credimus. Nec est in alio salus: nec enim aliud nomẽ datum est sub coelo hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri: Acto. iiij. Et quid obsecro aliud dicit hæc Pauli assertio, quam quod nos prædicamus? uidelicet, impium gratis, per misericordiæ fidem, iustificari, propter Christum. Vbi dicit: Arbitramur igitur iustificari hominem, per fidem, sine operibus legis. Item, gloriatio exclusa est, per fidem. Quæ omnia si damnant aduersarij, nos huius causæ iudicium, defensionem & uindictam Christo Iesu commendabimus: qui gloriæ suæ non potest deesse.

De bonorum operum necessitate.

Neque uero excludimus, quod iam supra dixi, obedientiam erga legem: seu opera bona, a doctrina iustificationis, (& tamen hæc calumnia quoque struitur aduersus nos, ab aduersarijs Euangelij.) ne eos qui per fidem iustificati sunt sequantur. Non magis quam Christus & Apostoli hæc excludunt: a quibus diligentissime potius docetur. Quorum doctrina & exemplis admoniti, & nos requirimus illam obedientiam & opera bona: & uocamus ad poenitentiam illos qui Euangelio

credide:

crediderunt. Quoniam Christus testatur se uenisse, uocatum peccatores ad pœnitentiam. Est autem tanta copia doctrinæ de operibus bonis in scriptis Apostolorum, ut nemo, uel parum sobrius cogitare possit, multo minus dicere & statuere, nullam esse bonorum operum necessitatem. Sed hanc necessitatem & usum non explicant aduersarij: imo etiam penitus corrumpunt. Et cum nos doceamus, quæ sit dignitas & necessitas operum nostrorum, tamen non pudet eos calumniæ, qua dicunt, quod bona opera improbemus. Hoc reprehendimus & damnamus, quod nihil quam hypocrises operum docent: & quod suis operum doctrinis Euangelij gloriam & fidem abolent: denique, quod mandata pharisaica Pontificum, dicunt esse cultum Dei, meritorium gratiæ, & quod illum cultum faciunt necessarium ad salutem.

Sciamus igitur necessaria esse opera bona, que prestent homines pij, fide iustificati: præstent autem, propter mandatum Dei, in fidei exercitatione, incrementum & confirmationem. Neque enim potest durare fides in illis, qui intemperanter, iniuste, flagitiose, impie, nequiter & sine pœnitentia uiuunt: Deo & Christo Iesu in omnibus rebelles. Debitores enim sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus: sed ut facta carnis spiritu mortificemus: ut docemur Roman, vi. & viij. Sed aduersarij nostri, ita prædicant opera, ut DEO miserationis gratiam adimant, CHRISTO iustificatoris & redemptoris officium atque munus, nobis autem fidem & salutem: cum interim operibus pharisaicis tribuant, meritum gratiæ, iusticiæ & æternæ salutis. Nec enim predicant nisi pharisaicas iusticias, externas & philosophicas uirtutes: & legis spiritualem doctrinam uere nusquam attingunt. Postremum frigidas aliquot cærimonias mandatorum & doctrinarum hominũ: quibus parẽ cum Dei mãdatis gloriam tribuunt. Quod nullo modo ferendum est Christianis.

Ergo per fidem gratiæ iustificamur quidem a peccato: & saluamur ab æterna morte: sed illa non est res ociosa, mortua & sine fructibus bonorum operum. Nam qui Euangelio crediderunt, habent spiritum sanctum: qui est efficax in ipsis & operatur Christianas uirtutes. De quibus lege exempli gratia, Roman. xij. xiij. & xiiij. Gal. v. vi. Ephe. iiij. v. Col. iij. &c. Iam ut non sunt Christi, qui illius spiritum non habent: ita uanum est iactare fidem, eos qui sine pœnitentia & sine operibus bonis uiuunt. Est enim in impœnitentibus & flagitiose uiuentibus certa significatio absentiæ spiritus CHRISTI: nec potest enim nisi fides ficta in istis esse, & quidam nephandus Dei contemptus, eo quod iactant se DEVM nosse: quem factis negant, cum sint abominabiles, & increduli, & ad omne bonum opus reprobi. Tit. primo. Neque enim potest spiritus ille sanctus, qui occupat credẽtium corda, & in illis clamat, abba pater, ociosus & sine fructu delitescere: multo minus ibi esse, ubi

impie & scelerate uiuitur. Sed est operosissimus, & sanctissimarum cogitationum, consiliorum, studiorum, & factorum autor atq; effector. Sic ergo pronunciamus de uera in Christum fide: esse uidelicet eam rem uiuacissimam, efficacissimam & feracissimam operum bonorum: uereq; omnipotentē ad destructionē peccati et mortis, atq; ad reparationē iusticiæ & æternę uitæ. Sed bona opera illa, quę ex hac fide, de quā loquor, fluunt, nemo potest ea impia opinione & mēte prę stare, qua docent prę stare nostri aduersarij: scilicet, ut iusticiam & uitā ęternam illis nobis per opera nostra mereamur. Hæc enim opinio aduersatur fidei, negant gratiam, & redemptori CHRISTO nullū penitus saluationis honorem habet.

Nos ergo non ferenda iniuria afficiunt aduersarij, quod imputant nobis, nos docere, doctrinam bonorum operū & morum susq; deque habere: credentem esse iustum & uitę ęternę hęredem, etiamsi perpetuo obnoxius maneat peccatis mortalibus, & sine poenitentia uiuat. Nam et huius blasphemi dogmatis sunt assertores, quo dicitur, fidē impijs quoque, qui manent in impietate, contingere. Verum istę calumniæ sunt necessario hominū impiorum, ignorantium ueritatem. Nos bona opera locamus in parte Christianæ iusticiæ: quia iusticiæ fidei fructus esse confitemur & testamur, etiamsi detrahamus illis meriti saluationis gloriā: sicut nec debet nec potest illis tribui. Sed aduersarij ponunt illa in locum & officiū seruatoris Christi: ideo grauior iniuria est, qua deum & Christū Iesum blasphemi afficiunt, quā qua nos. Arcent homines a cognitione salutis, propter auariciā et ambitionem. Istis enī cupiditatibus suis metuunt, si Euangelij et Christi doctrina pure doceatur et regnet: aut certe rationis CHRISTI penitus sunt ignari.

Necesse est igitur, ut ad bonorꝫ operum doctrinā reuertar, eos qui fide iustificati sunt habere illa, et eas uirtutes quæ declarent ac probēt uere illos promissioni remissionis peccati credidisse. Vt sunt uerus dei timor, uera dilectio, fiducia, spes, patientia in aduersis, et tolerantia malorꝫ sine murmure aduersus deū. Vera dilectio proximi, temperātia, sobrietas, castitas, comitas: et his similes uirtutes. Et in summa, ea omnia opera, quę in Decalogo DEVS a nobis requirit: Christus et Apostoli prædicant et docent. Non Papisticarum cærimoniarꝫ obseruationes: quales sunt monachorum et similes, quę mandatum dei non habent, adeoq; illis aduersantur Ita sunt enim hoc tempore cultus papistici: preces & missæ in exequijs mortuorꝫ, peregrinationes et ieiunia, quibus pro peccati poenis satisfacias, redemptiones indulgentiarum. Item feria sexta non edere carnes, caseum, lac: sed oleum, pisces. etc. Quæ speciem prębent pietatis apud imperitos: sed reuera sunt superstitiosorꝫ, uana et inutilia

opera

opera, sicut Paulus testatur: Col. ij. Quinetiam sunt pernitiosa et demoniorum doctrinæ, quatenus dicuntur mereri gratiam & cultus dei esse, siue quod sine peccato omitti non possint. Quanquam hęc opera urgẽtur in templis: quia sunt quæstuosa: cum illa diuinorum pręceptorꝝ fere negligantur, aut non multum curent̃. Quia ambitiosis non multũ seruiunt: (pertinent enim ad ueram animorꝝ humilitatem, & dilectionem erga omnes,) nec auaris adferunt ingens emolumentum.

Nos ergo in doctrina bonorum operꝝ multis nominibus præstamus aduersarijs. Nam primum, quia illa reponimus in locum suum: quæ loco & officio remouent aduersarij. Deinde, de uere bonis operibus docemus & iubemus docere Ecclesias: uidelicet, de illis quæ deus præcipit & requirit. Quę aduersarij non frequenter prędicant: & multis pharisaicis opinionibus polluunt atq; prophanant. Porro, in altera parte Christianæ doctrinæ diserte pronunciamus, misericordiæ DEI & redẽptoris Christi beneficium esse, quod a peccato & morte iustificemur. Et longissime abest a nobis reprehensio operis boni. Opera enim uere bona & requirimus & laudamus, sed docemus ut debito fini adplicentur, & ne fiant cum opinione contra gratiam, Et sic prædicantes opera, non patiemur nos ab ullo homine reprehendi.

Pelagium damnauit Ecclesia, non quia legis obedientiam & opera bona requirebat: sed quia per liberi arbitrij impiam doctrinam gratiam DEI negabat. Docuit enim, quod homo libero arbitrio & sua natura posset mereri gratiam & uitam æternam. Nec opus esse homini ad rectitudinem uoluntatis gratia: sed scientiam eorum quid agas sufficere. Et eo modo faciebat ex lege doctrinam iustificationis: Euangelij & iustificatoris CHRISTI nullum penitus usum relinquens. A cuius sententia quantum absint Scholastici, quorum opiniones defendunt aduersarij nostri, ex eo liquet quo docent, quod liberum arbitrium sua uirtute possit actum moraliter bonum elicere: atque illo mandata DEI implere, & disponere se ad receptionem gratiæ, adeoque gratiam ipsam & uitam æternam mereri. Horum debui hoc loco admonere lectorem: ut cogitet & sciat cum qualibus aduersarijs nobis res sit. Qui in doctrina nostra reprehendunt, quod affirmamus impium & peccatorem per solius misericordiæ DEI & propiciatoris IESV CHRISTI fidem iustificari.

QVOD FIDES IMPIIS ISTIS *qui peccatis mortalibus sine pœnitentia indulgent, non debeat neque possit recte tribui.*

Diximus, nos ita prædicare CHRISTVM, ut affirmemus impium sola fide gratiæ & redemptoris Christi iustificari, sine lege &

sine meritis operum suorum. Nunc adijciedum est, aduersarios nostros ita prędicare opera & iusticias nostras, ut adfirment illarum meritis & iustificari impium & liberari a morte prorsus sine gratia, Christo & promissionis Euangelij fide. Quanquam autem in prędictis de hoc errore semel illos atque iterum conuici, tamen eiusdem mihi & hoc loco reuincendi sunt, quia calumniarum & conuiciorum in gratiam nullum neq; modum, neque finem faciunt. Nam quod hic pertractandum est, ex falsa fidei definitione, de qua egimus capite primo huius libri, nouam aliam, nec paruam calumniam struunt contra gratiæ, fidei & iustificationis doctrinam. Affirmant enim fidem Euangelio haberi posse, ab impio & mandatorum DEI continuo trangressore: ab eo inquam, qui peccatis mortalibus indulget, & sine omni pœnitentia uiuit. Quare hoc quoq; scandalum, falsæ, impię & blasphemæ doctrinę remoueri debet: & Ecclesia ab eo repurgari, ut uerbum Dei pure in illa regnet. Nam gratię beneficia mirabiliter eleuat, & contemptibilia facit: sed caussas erroris propius intueamur.

Fides, quam prædicant doctores operũ

Satis constat doctores meriti operum, & carnalium iusticiarum nostrarum, non usurpare fidem, nisi pro speculatiua rationis noticia, credẽdorum: siue, pro credendorum nuda atque historica noticia: sine fiducia, quę adprehendit Euangelij promissiones, & qua homo se iustum atq; beatum agnoscit, per misericordiam DEI, remittentem nobis peccata nostra, propter Christum. Qualis esse potest noticia in eo, qui historias sacras legit, uel audit, & hominum more illi assentit: etiamsi talem non doceat, nõ consoletur, seu gubernet, per Euangelium spiritus sanctus. Igitur hęc est rationis frigida cogitatio & inutilis, atq; adeo noxia, sine firmo assensu in gratiam: & nihil minus, quam Christiana fides dici debet. Nam ueræ fidei est adprehendere gratiam promissam: & remissionem peccati semper ab hac petere, per Christum: non aliunde expectare siue sperare æternam uitam. Priuatis iusticijs nunquam arrogare debitum iusticiæ aut salutis.

Sed aduersarij dicunt, se quoq; agnoscere, quod remissionem peccati, iusticiam & uitam æternam a CHRISTO accipiamus: uerum conditionaliter, ut si illam gratiam nobis per opera & iusticias nostras promereamur. Nam in fide requirunt dilectionem: qua affirmant impium formaliter iustificari. Atq; ita discernere uolunt pios ab impijs: uerum illi, fide & incredulitate differũt: quos isti discernunt operibus legis, quę prorsus eadem habere possunt quilibet hypocritę & pharisæi cum pijs. Nec est fides in eo, qui opinione promerendi salutem, iusticias legis facit: hoc enim est per opera sua & priuatas iusticias saluari uelle. Atque hic error peperit tot sectas in orbe Christiano, tot monachorum: tot discrimina conuersationis, operum & uitæ, cum professio uitæ Christianę de-

næ debeat una & simplicissima esse: fidei in CHRISTVM, & pœnitentiæ seu conuersionis ab operibus peccati ad Deum. Nam Christus & Apostoli docent, quod fide gratiæ iustificemur: non addunt conditioẽm meriti operũ nostrorꝫ, imo hãc omniũ maxime excludunt. Testitur enim gratuitam esse saluationem: & gloriationem meriti operum nostrorũ exclusam esse. Postea requirunt pœnitentiam seu opera bona, tanquam iusticiæ fidei fructum. Atqui opinione merendi salutem, faciunt seu prædicant opera bona non retinent fidem: sed ab Euangelij fide ad legem relabuntur, gratiam & CHRISTVM abnegantes.

Quod doctores meriti operum & carnalium iusticiarum facere ex eo intelligis quia actum credendi triplici modo distinguunt. Primum esse dicunt, credere DEVM: secundum, credere DEO: & tertium, credere in DEVM. Deinde primos duos credendi modos etiam impijs tribuunt: & postremum, quem sola dilectione discernunt a prioribus, dicunt esse piorum, quos ea fide affirmant iustificari. Ex quo clarum efficiam, quod operibus sine fide in Christum tribuant meritum iustificationis. Ergo ut distinctioni, quam dixi, locum relinquam, uel docendi causa: tamen ita oportet illam discernere, ne illos credendi actus nisi solis pijs tribuamus, & actum amandi nullo modo interseramus. Nam homines pij credunt esse Deum: credunt uera esse quæ Deus loquitur. Denicꝫ & in DEVM credunt: ut in quem omnes spes suas tota cordis fiducia ponunt: certi quod a Deo respiciantur, exaudiantur & defendantur, propter Christum. Et hunc tertium credendi modum aduersarij nostri prorsus ignorant: de dilectione fabulantur, sed illius hic non erat locus, quanquam uera fides est efficax dilectione. De credẽdis disputatur, ubi agitur de fide, non de amando, hoc est, de beneficijs gratiæ, quæ nos in fide oportet recipere: non de operibus obedientiæ nostræ in Deum. Hunc scopum in fidei prædicatione oportet tenere.

Actus credẽdi triplex.

Ac ne Lombardus quidem intellexit, quid sit uere credere: iuxta quemcumcꝫ credendi modum accipias illum loqui. Qui uidetur præterea erroris ansam dedisse Scholasticis theologis: & isti ætati, in qua hoc tempore a paucissimis intelliguntur ea que sunt ueræ fidei in Deum. Sic enim scribit, in sententijs, quas ex patribus multis in locis sine iudicio corrasit: libro iij. distinct. xxiij. Credere Deum, est credere quod ipse sit Deus. Postea addit: quod etiam mali faciunt. Intelligit autem facinorosos, qui sine pœnitentia flagitiose, nequiter & scelerate uiuunt, adeocꝫ sine operibus dilectionis. Quasi fides sit de rebus iudicio humano & ratione perceptibilibus: & non de solis illis, quæ sunt incomprehensibiles, incredibiles & absurdę rationi: atque adeo, quibus fidem habere, nisi moti atcꝫ impulsi a spiritu sancto, non possumus. Hoc ergo si intellexisset Lombardus, nunquam potuisset malis fidem, qua creditur Deus,

Lombardus

Credere Deũ

tribuere. Neque enim quiescit, aut permanet, spiritus sanctus in illis, qui carnaliter uiuunt: ut habes ea de re disserētem Paulum ad Roma. viij.

Sed & Lombardi sententia apertissime repugnat prophetæ testimonio: illi quod est psal. xiij. Dixit insipiens in corde suo non est DEVS. Quomodo igitur homo impius & malus, potest firmiter statuere & credere, esse Deum? Verum ita fit, ut incauti atque inconsiderantes sępe pronunciemus de rebus quas nunquam intelleximus Non est res ita uulgaris uere & indubitāter credere, esse Deum, quam existimatur a plerisque. Non possent enim non honorare, metuere & diligere Deum, qui esse crederent: nec possent mali permanere: fide enim iustificantur impij. Et cōsidera, qualem effecerit fides Cornelium hominem Ethnicum, de quo in Actis apostolicis capite x. qua credidit DEVM: etiamsi adhuc ignarus esset fidei in Christum, sine qua nec iustificari coram Deo, nec saluus esse potuit. Iustificat enim Deus, remissione peccati, eos qui in CHRISTVM IESVM credunt: & liberat, propter illam fidem, a morte. Tamen ea fides, quæ contigerat Cornelio, pręambula fidei in Christum, (neque enim sine fide potuisset colere Deum.) effecerat ex eo bonum uirum, studiosum Dei: siue ut Lucas ait, religiosum & timētem Deum: id quod eleemosynis, quas præstitit populo, & precationibus suis ad DEVM, significantissime declarauit. Quid multis? Lombardus, & quicunque sententiam eius secuti sunt, nunquam intellexerūt, omnes homines natura insipientes esse, cæcos, errantes, ignaros Dei & Iesu Christi, impios & peccatores, sub imperio peccati & tyrānide Diaboli: diuina non posse intelligere, neque posse efficaciter nisi a spiritu sancto doceri.

Cornelius.

Sed pergamus ad reliqua Lombardi: in quibus sibi non dissimilis est & ridicule atque impie de diuinis nugatur. Credere DEO, inquit, est credere uera esse quæ Deus loquitur. Vbi rursus de somnio suo homo resupinus & incogitans attexit, quod & mali faciunt. Scilicet, homines improbi & impœnitentes credunt uerbo Dei? quod etiam pro stulticia habetur, ab his quos spiritus sanctus non docet. Deinde qui possent mali uere credere uerbo DEI: & non continuo immutari & boni fieri, si modo promissionis Euangelij fide in agone conscientiæ aduersus peccatum, non destituerentur. Est enim uerbum iusticiæ, & totius pietatis: salutis & uitæ ęternæ uerbum. Nec potest creditum non efficax esse: nempe, Dei potentia ad salutem omni credenti. Ideo credentes liberat a peccato: & peccatores iustificat & saluat a peccato & æterna morte.

Credere deo.

Verum Lombardo sermo est, de frigidis & ociosis speculationibus rationis in uerbo DEI: non de uera fide, cuius rationem non intellexit. Caro in erroribus impietatis cæca, adeo non credit uera esse quæ Deus loquitur, ut nihil perinde uanitatem esse existimet & stulticiam. Non ergo asse-

go assequitur captus naturalis in malis ea quæ DEVS loquitur: sed ut Deus incomprehensibilis est, ita eius uerbum. In bonis autem agit Deus spiritu suo sancto: quare uanissimum est dicere, quod mali, Deo loquenti, credant. Est enim spiritualissima doctrina uerbi Dei prædicatio: qua non potest non offendi caro. Et Sophistę sunt huius rei testes & horribilia exempla. Nihil enim ita abominantur, atq; si quis dicat, in uerbo Dei esse, quod sit supra captum rationis: lege diuina præcipi, quæ uires liberi arbitrij & humanæ rationis superent atq; excedant. Iusticiam, nisi gratis, per solam peccati remissionem, propter fidem in CHRISTVM, nulli contingere. Existimant enim quod homo peccator possit mandata Dei facere atque implere: mereri remissionem peccati & uitam æternam, denique, quod habitus suarum uirtutum ipsum iustificent. Sed sic opinantibus ipsis lex non magis est uerbum Dei, quam ulla alia rationis & philosophica doctrina: quia illius germanum usum non attingunt, et spiritualissimam doctrinā transformant in rationis cōmentum. Euangelium uero penitus reijciunt, & damnant.

Sed Paulum audiamus, de hac ratione ita nos admonentem .i. Cor. ij. Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus DEI. Stulticia enim est illi, & nō potest intelligere: quia spiritualiter examinantur. Dic igitur rogo, quomodo homo insipiens, impius, peccator & malus, credat uera esse, quæ Deus loquitur? Num uerbo incomprehensibili potest assensum præbere: & quod summæ uanitatis, & summę stulticiæ loco habet? Et rursus, si doceat illum DEVS spiritu sancto, mediante uerbo, quomodo potest insipiens & malus permanere? Quin potius, si crederet homo malus uera esse quæ Deus loquitur, mox in puluerem redigeretur, terrore iudiciorum Dei ineuitabilium; contritione sui & desperatione coram Deo, nisi per Euangelij consolationem seruaretur a desperatione, & tanquā ex mortuis uitæ restitueretur. Sunt igitur ociosæ & inutiles speculationes, de quibus Lombardus & Sophistæ fabulantur, pro re seria. Quæro enim, quid acturus sit homo impius & malus, sceleribus indulgens sine pœnitentia, si uere cognoscat & credat, se esse gehennæ & mortis æternę filium: nisi protinus consolationem capiat ex Euangelio, de peccati remissione sibi facta: de reconciliato Deo & accepta æterna uita propter CHRISTVM. Sed hæc paradoxa frustra est insipientibus & incredulis inculcare. Nihil autem facilius est, quam loquacem Sophistam multa garrire: & quæcunque in buccam isti ueniunt effutire, sine iudicio & ratiōe. Sed uera, firma et cōsentanea scripturis sanctis dicere: id non perinde promptum est omnibus facere & prestare.

Tertium modum credendi ita definit Lombardus: credere in Deum, est credendo amare, credendo ei adhærere, & eius mēbris incorporari. Quid audio? Actus credendi in Deum, quo oportet omni uerbo eius

Credere in Deum.

constantissime assentiri, timere comminationes iræ, fidere ac niti promissionibus gratię, is, inquam, actus definitur per actum amandi, et per habitus uirtutum nostrarum: sic possem etiam ego ex quolibet, quancumque rem efficere. Ergo hac descriptione Lombardus, & qui ipsum secuti sunt, redeunt ad saliuam: qua imbuti, etiam alios conspuunt. Nam hac tota congerie uerborum & sententiarum; credendo amare, credendo in eum ire, &c. nihil aliud uolunt dicere, quam in fide iustificante, nō hoc solum esse, quod dicitur, credere Deum, & credere Deo: quo modo & multi impij credant scilicet, adeoq; ipsi diaboli. Sed præterea opera dilectionis prædictis duabus credendi circunstantijs accedere. Vides ergo uerum esse, quod supra dixi, nostros aduersarios, ita prædicare legem, opera & nostras iusticias, ut affirment illarum meritis & iustificari impium & liberari a morte: prorsus sine gratia, sine CHRISTO, & promissionis Euangelij fide. Si enim impios & malos nihil iuuat credere Deum & Deo: nec pijs prodesse isti actus credendi possunt. Et si operibus dilectionis iustificamur: nihil opus habemus gratia, aut redemptore Christo. Sed gratia secure abijci poterit: & iusticia ex lege quæri. Sicut etiam docent, qui affirmant impium fide formata illa iustificari.

Aduersarij docent impium iustificari, solis operibus, sine fide.

Notabis igitur, hoc pacto Sophistas non discernere pios ab impijs, penes fidem & incredulitatem: ut fieri debuit, sed noua fictione: per opera & iusticias legis. Sed inde necessario sequitur quod opera summę pietatis loco habent: & Christo redemptori nullum honorem. Cum tamen sæpenumero fiat, ut impij speciosiora & ampliora opera habeant, quam pij. Quare hic tertius credendi modus non recte definitur per actum amandi, per habitus & uirtutes nostras: debuit enim difiniri per actum credendi, aut minime discerni a duabus primis circunstantijs credendi. Diuersus uero credendi modus is futurus erat, & fidei ueræ iustificantis, si definijssent illum per constantem fiduciam, in promissionem gratię & seruatorem CHRISTVM. Sed omisso fidei lumine, nihil quā tenebras opinionum nobis in illa postrema fidei descriptione offuderunt: & quidem, per quas operibus nostris meritum iusticiæ & salutis tribuerunt. Nam hoc fabulosum commentum ita placuit illis, ut statuerint impium aliter nec iustificari, nec discerni ab impijs pios posse, quā per opera dilectionis. Lombardus enim, quem habent Sophistæ magistrum irrefragabilem ea in re, sic dicit: per hanc fidem, (intellige, tertium modum credendi, cum sophistica descriptione actus amandi.) iustificatur impius: ut deinde ipsa fides incipiat operari per dilectionē. Vbi hic fit mentio promissionum gratiæ & fiduciæ in eas? Vbi seruatoris IESV CHRISTI? Num hoc est adplicare se ad Euangelij promissiones, & fide eas recipere, si credas Deum esse & uera esse, quæ Deus loquitur? In Euangelio docemur de reconciliato DEO, remittente nobis

Fides iustificans.

peccata

peccata nostra & defendente nos a quibuslibet calamitatibus peccati, mundi & diaboli, per CHRISTVM: adeoq; liberante nos ab aeterna morte. Necesse est igitur ut in fide iustificante agnoscas Deum, tibi & tuum Deum esse: hoc est, dementissimum patrem & protectorem. Promissiones Euangelij non simpliciter ueras esse, sed tibi loqui & ueras esse: ut credens in eas accipias peccati remissionem & possideas, haereditate acceptam, uitã aeternam. Omnia haec beneficio traditi pro peccatis nostris CHRISTI: & sine operibus dilectionis nostris. Hoc est, sine merito operum: etiamsi opera dilectionis & iusticia illa obedientię nostrae, ueram fidem inseparabiliter consequantur.

Si igitur in fide iustificante non sunt nisi duo illi actus credendi, qui dicuntur, credere DEVM & DEO: Item, opera dilectionis facere, Quid fiat obsecro si ita credat homo impius? Hoc est, credat Deum esse, & quidem iudicem suum esse: cum homo talis sit impius & peccator? sic, si credat ueritati scripturae, quae testatur impium seu peccatorem damnari coram DEO? Nonne isti doctores facient talem ruere in sempiternam desperationem? Primum, quia de consolationibus Euangelij eum nihil admonuerunt: nihil de Christo redemptore & iustificatore. Deinde, quia iusticias legis pro gratia illi praedicauerunt: & pernitiosam opinionem ei ingenuerunt, qua se existimat perfectae obedientiae erga legẽ esse debitorem. Nec potest cum tali opinione, quisquis est in ea, non ruere tandem in desperationem. Nam opera dilectionis nostra sunt imperfecta: & in uniuersum, omnes iusticiae carnis sunt immundae.

Sed haec sequentia magis produnt Lombardum: quae etiam postea omnes Sophistas obnoxios tenuerunt. Nam fides, inquit, quam daemones & falsi Christiani habent, qualitas mentis est: sed informis, quia sine charitate est. Ex quo uides, quod uim saluationis fidei nullam tribuũt, nisi quatenus opera dilectionis habet. Sed obsecro hic ludus & imposturae uerborum nonne gloriam salutis nostrae adimunt gratię & seruatori Christo: & operibus nostris illam tribuunt? Hoc est, operibus ab hypocritis, & sine uera illa & iustificante fide, factis. Necq; illud est discernere uerã fidem a ficta: sicut fieri solet cum de operibus dilectionis loquemur, ut effectibus fidei: seu fructibus externis, significãtibus fidem cordis. Sed est opera nostra facere caussam iustificationis: nempe, si credens DEVM & DEO nihil proficit, nisi quatenus opera dilectionis habet. Hoc uero si non est opera pr̨edicare quod impium iustificent, ac liberent a peccato & morte, sine gratia, sine Christo, & sine promissionis Euangelij fide, uelim ab alio doceri, quomodo hoc eorum commẽtum a tanta blasphemia excusari queat.

Quinetiam aduersarij nostri, qui defendũt istas Sophisticas opiniones de fide, hanc nostram doctrinã, de gratuita gratia & seruatore Chri- Aduersarij dãnant gratiae doctrinã.

sto quam ipsis opponimus, execrantur & damnant, ut impiam, præsumptuosam, erroneam, falsam & hæreticam: tot enim nominibus eam infamant. Neque uero recipere licet, quod postulant, opera nostra esse partialem causam iustificationis. Iustificatio enim, ut sæpe dictum est, & firmissimis scripturæ testimoniis probatũ, est gratuita beneficentia: nec significat opera & uirtutes nostras, sed remissionem peccati. Ergo nõ utuntur quidem Sophistæ, in suo illo commento de fide formata, particula, Sola: tamẽ in doctrina aliud nihil efficiunt, quam ut credamus nos operibus iustificari, gratia DEI, & seruatore Christo, exclusis. Quid enim habet iste tertius modus credendi, ut a Sophistis prædicatur, nisi incertam & frigidam rationis opinionem, de Deo, quod sit & uera loquatur? Quæ fides tamen per se nulli prosit, non liberet a peccato & morte: cum & malis contingat, (ut hoc Sophistis interim demus.) nisi opera dilectionis, meritoria gratiæ, iusticiæ & uitæ æternæ accedant. Certum est ergo istos per opera sua meritum saluationis sibi polliceri, sine gratia, sine CHRISTO, & sine Euangelij fide. Ut non multis accusem, quod meo iure possem: nempe, impossibile esse homini, cui dilectionem tribuunt, habere dilectionem: quia hæc sine gratiæ gratuitæ & propitiatoris Iesu Christi fide, nullis contingit. Adeo ficte habẽt omnia Sophistæ & aduersarij nostri in sua opinata fide: & Iudaicæ pronunciãt de iusticia, & fidem Christianam penitus euertunt.

Non sunt ergo fidei doctores, neque defendunt pietatem Christianam, sed opprimunt eam: &, quod turpissimum est ei qui uelit haberi doctor Christianus, nihil quam uanas operum hypocrises prædicant ac docent. Erigunt in nobis operum nostrorum fiduciam: & gloriam filij dei sepeliunt. Fidem nominant quidem, sed nihil illi tribuunt: imo ne intelligunt quidem, quid sit fides, Confitentur CHRISTUM mortuum esse, pro nostris peccatis: sed ore tenus. Quia dant hunc sonitum, sine mente & spiritu. Mox enim detrahunt illi hanc gloriam, per prophanã operum & meriti carnalium iusticiarum doctrinam. Et cur non potius sine fuco, & sine fictione, nudis atq; apertis uerbis, dicunt quod sentiunt: uidelicet, impium & peccatorem, non per misericordiæ fidem, propter Christum iustificari: sed propter sua opera? Fictis enim solis nominibus & ad dolum instructis, quod fortassis ignoranter a multis factum est, sed tamen factum proculdubio artificio & structura Diaboli, imperitis imponunt.

De operibus dilectionis.

Cæterum de dilectione oportet ita pronunciare, & iusticiæ fructum esse, & necessariam credenti. Sunt enim opera dilectionis ueræ fidei externis signis: ut firmissimum sit, eum qui dilectionem non habet, nec fidem habere. Regnat enim contemptus DEI in omnibus illis, qui sine operibus dilectionis uiuunt. Verum hoc retinere interim oportet, quod

per mi-

per misericordiæ & propiciatoris Iesu Christi fidem, sine merito dilectionis nostræ, & remissionem peccati & uitam æternam accipiamus. In summa, nemo pius, iustus, sanctus & beatus esse coram DEO potest, nisi quatenus in Christum Iesum, ut autorem & caussam, suæ æternæ fœlicitatis, credit. Contra, doctores fidei formatæ beatum pronunciant, eum qui opera meritoria iusticiæ & æternæ uitæ habeat. Sed hoc est gratiam abijcere: & a CHRISTO seruatore deficere ad legem, hoc est in æternas maledictiones sese præcipitare.

Age uero propius inspiciamus quale sit Sophistarum commentum de fide: & quo iure fidem tribuant impijs, ut pios nulla alia re, nisi dilectione, hoc est, legis operibus, ab illis discernant: & per consequens solis iusticiam tribuant, qui habent opera legis, priuatas iusticias, quas meritorias fingunt æternæ uitæ. Credentibus autem non tribuant iusticiam: nec quod accipiant per fidem, æternam uitam. Non igitur satisfacit in fidei descriptione, illorum actuum credendi solum facere mentionē, qui uocantur credere Deum & Deo: siue esse Deum, & uera ipsum loqui. Quapropter in tertia credendi circunstantia, qua dicunt nos credere in DEVM, quendam alium actum credendi prioribus adijcere debuerunt: quem uidelicet nos sacræ literæ docent, fidei iustificantis nomine, nimirum credere in misericordiam Dei, qua acceptamur in filios, & uitæ æternæ hæredes, propter Christum. Verum, hūc negligunt: & loco eius de operibus dilectionis loquuntur. Cum autem hac fide iustificentur impij, non potest dici, illam malis contingere, qui sine pœnitentia manent. Gubernantur enim a spiritu sancto: nec possunt non proficere in uia iusticiæ. Vt scias diaboli commentum esse, in gratiæ contumeliā confictum: fidem impijs & malis contingere posse, nō minorem quam pijs, nisi quod operibus dilectionis sint inferiores impij pijs.

Aliter examinata fidei descriptio, quæ est Sophistarum.

Vides itaqꝫ lector, erroris caussam fuisse Sophistis in descriptione fidei, quod hoc ipsum quo iustificamur impij prorsus ignorauerunt. Nō enim iustificamur quia credimus esse DEVM, & uera esse quæ Deus loquitur: sed fide misericordiæ Dei, & propiciatoris Christi, qui se dedit precium & satisfactionem pro nostris peccatis. Ac fit tandem necessario, ut impij credant esse DEVM, & uera esse quæ loquitur: sed quia destituuntur misericordiæ fiducia, coguntur desperare. Ita ut accidit proditori Iudæ. Sunt autem beneficia gratiæ gratuita: sed illorum ubi faciunt mentionem Sophistæ? Imo quomodo potuissent illorum meminisse, qui conati sunt omnia quæ sunt iustificationis ad merita & satisfactiones operum nostrorum referre? Itaque in tertio credendi actu, quod fidei acceptum ferre debuerunt, fidei autem gratuitæ misericordiæ DEI & redemptoris CHRISTI, id operibus dilectionis tribuerunt: et philosophice ac ciuiliter de iusticia Christiana pronunciauerūt. Quasi hæc

Deus reuelat se impijs: sed absqꝫ Euangelij consolatione.

sit uirtutum & actionum nostrarum: quae est aliena qualitas & uirtus,] uidelicet Christi, & meritorum sanguinis eius. Ioan. iij. vi. etc.

Opera bona discernũt ueram fidẽ a ficta non pios ab impijs.

Nulla igitur caussa erat, cur in descriptione fidei facerent mentionẽ actus amandi: nisi effectu explicare uoluissent, tanquam signo, uim ueræ fidei, qua careant ficte credentes. Debuit tamen seorsim dici de actu credendi: & diserte explicari, quarum rerum noticia, assensu, & fiducia coram deo iustificemur. Videlicet, adprehendentes per fiduciam cordis, Euangelij promissionem & CHRISTVM redemptorẽ. Nã postea demum, & de dilectione dici secure potuisset: tanquam de effectu & fructu fidei, non caussa adprehensiua salutis. Fide enim in gratuitam gratiã & Christum redemptorem, non dilectionis merito adprehendimus saluationem: iusti & beati propter CHRISTVM, non propter iusticias nostras. Dilectione autem, hoc est, operibus bonis, qui uera fide præditi sumus, glorificamus pro gratia deum & redemptorem Christũ. Et omnibus modis caueamus hanc impiam opinionem, qua docent præstare opera, fidei formatæ doctores: scilicet, ut remissionẽ peccati, iusticiam et uitã æternam illis nobis mereamur. Sed hoc perniciosum cõmentũ opprimit gloriã Christi: & fidem Christianã extinguit. Bonauẽtura in tertiũ Sententiarũ, dist. xxiij. hęc scribit: Et quoniã fides non perfecte tendit in deũ, tanquam in finẽ ultimum, nisi pro ut est iuncta charitati: (Quare hoc, mi Bonauẽtura: & unde probas? Tu em̃ illo cõmento contendis, ut beneficia gratię neges gratuita esse: neges recipi gratiã per fidẽ, adeoq; neges fidẽ iustificantem adesse illi qui nõ habeat opera, quibus iusticiam & salutẽ mereatur.) Ideo actus credendi in deum, diffinitur per actum amandi, non tanquã per actum proprium: sed tanquã per actum annexum. Sed dic nobis acutissime magistrorũ, quomodo non perfecte tẽdit in deum fides, tanquam in finẽ ultimum, illius in quo est gratuitę gratię & propiciatoris Christi fiducia: & qui deo suã gratię laudẽ, & CHRISTO redemptoris, toto corde tribuit? Deinde, quomodo is perfecte tendit in deum, tanquam in finẽ ultimum, qui opera dilectiõis nõ modo sine fiducia gratię, uerumetiã contra eam fiduciã facit: nẽpe, ut sibi seruiat, sibi mereatur salutem? et nihil plane referat ad gratiæ laudẽ. Aut deniq; nihil ne dicit Christus, in illo: sic em̃ deus dilexit mundũ. ut filiũ suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eũ non pereat, sed habeat uitam æternã: etiamsi appendicem illũ actus amãdi non addat? Imo quõ posset addere? Vos em̃ Sophistę dicitis illũ actũ amãdi esse meritorium uitę æternę, de cõdigno. At Christus & Apostoli testant̃ q̃d gratis, sine meritis operũ nostrorũ saluemur. Ioan. xvij. hęc est uita ęterna, ut cognoscãt te solũ uerũ deũ: et quẽ misisti Iesum Christũ. Hęc sentẽtia soli cognitiõi dei et Iesu Christi, utiq; q̃ est ꝑ promissiõis euãgelij, de gratuita et ęterna salute, fidẽ tribuit saluationẽ. Adeoq; iusticijs nostris illã detrahit.

Bonauentura.

Quem

Quemadmodum & illa Pauli, Roman .iij. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in CHRISTO IESV: quem proposuit Deus propiciatorium, per fidem in sanguine ipsius.

Neq; tamen excluditur dilectio his sententijs, ne sequatur. Necesse est enim ut sequatur. Quia arguit incredulitatem adesse, & DEI contemptum, illis qui sine dilectione & sine pœnitentia uiuunt. Cum enim de dilectione loquimur, includimus ea omnia officia & opera, quæ hæc præstare solet, Deo in obsequium, & proximo in bonum & utilitatem: quæ & præcipit Deus, & fidem exercent, & seruata muniunt conscientiam contra tentationes desperationis. Neque enim potest sibi promittere propicium DEVM, qui eius uoluntati in omnibus resistit: nullis bonis operibus, & nulla Christiana pœnitentia florens. Sed rursus, illa arrogans & superba fiducia meriti operum nostrorum, quæ falso uocant dilectionis opera, reprehendi debet: quia reuera nihil minus est in illis operibus, quam dilectio. Mimeses habet operum dilectionis, & pharisaicas hypocrises: a dilectione uero abest longissime. Quæ est em̃ tua illa dilectio, qua te fingis amare DEVM, & amare proximum propter Deum: cum operando tua solum spectes & quæras? confidisque corde penitus recedente a Deo, quod per opera tua salueris? Pura dilectio, est in operando non spectare nisi Dei præceptam uoluntatem, ut hanc facias: obsequium illi præstaturus, qui te uocauit in gratiam reconciliationis & æternę salutis per CHRISTVM. Oportet em̃ hanc fidem retinere, quę fons est & caussa Christianę dilectionis.

Postremum cur actum proprium fidei uos Sophistæ non explicatis: & qua proprie re iustificetur impius? Nam si Deus iustificat eos qui Euangelio credunt, ut scripturæ testantur, quid uos diuinum decretum corrumpitis, & torquetis illud ad operantes? Fidem nominatis, cum tamen in uestra fidei descriptione nihil habeatis non commune impijs: ut ipsa re coacti detrahatis fidei iustificationem. Nam & appendix ille de dilectione, nihil facit ad fidei prędicationẽ. Quinetiam opera prædicare, quasi sint meritoria salutis, est relabi a fide, & abijcere gratiam, atque a CHRISTO ad legem deficere. Proinde his argutijs, per descriptionem actus amandi in fide, abstrahimur miseri a gratię fiducia, & redemptoris Christi: & legem compellimur pro salutis doctrina habere. Quod plane non est, quam ęternam uitam, commutare cum æterna morte. Vę uobis autoribus, & confirmatoribus operationis tanti & tam impij erroris.

Ergo, ut maxime credas esse Deum, quid refert, si non confidas te respici a DEO, & tibi fauere Deum, te habere propicium & placatum Deum: atq; adeo Deum esse, quod se uocari a nobis & credi gaudet: nempe clementissimum & fidelissimum patrem? Verum hoc unde scias, nisi *Quid sit pie credere Deũ.*

per Euangelium, de gratuita misericordia dei qua ignoscitur peccatis nostris propter CHRISTVM. Cuius fides, quomodo hūc annexum actum amandi habere potest, quo confidit homo, quod per opera & iusticias suas mereatur uitā æternam? Nonne hoc monstrū est, & blasphemiarum summa blasphemia? Tametsi ut sæpe dixi, uerā fidem sequatur dilectio: sed qua credentes Euangelio glorificant deum & seruiunt proximo, sine hac impia opinione, qua iusticiarij quærunt per opera sua saluari a peccato & a morte. Porro hęc misericordię & adoptionis fides quo iure tribuitur malis & diabolis? Hac enim iustificantur mali: diabolis autem nunquam potest adesse.

Quid sit pie credere deo.

Deinde, quid prodest, ut maxime pie credas uera esse quæ deus loquitur: nisi scias, credas atque confidas tibi loqui deum, & benigne loqui, per gratiā & misericordiam loqui, ut credens sis iustus, beatus & saluus ab ęterna morte? Quomodo autē hoc scias ac credas, quod uidelicet impius & peccator libereris ab ira dei, & fugias illas horribiles poenas, peccatoribus debitas, iudicio æternę mortis: itemq́, deum tibi loqui, loqui ad cor, & clementissima consolatione, sicut pater filio suo, quē ardētissime diligit: nisi per promissionis Euangelij fidem? Illa em̄ agitur de gratuita illa clementia & misericordia dei, qua recipimur peccatores, ex filijs iræ & æternę mortis, in filios dei & uitæ ęternæ hęredes. Nec potest in eius fide esse ea impia opinio, quæ statuit quod merito operū tuorum fugias & declines hanc iram & mortem, & dignus habearis æterna uita. Nam certe hæc est Euangelij consolatio, qua nobis benigne loquitur deus & clementissima consolatione, tanquā pater filijs suis: quā CHRISTVS significat ubi dicit: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam uos. Cui fidem habere, homines mali, facinorosi, et qui sine poenitentia manent, non possunt. Multo minus diaboli, ut qui sciunt hanc consolationē ad se nihil pertinere: quinetiam facere ad destructionem tyrannidis ipsorum.

Fides promissionū Euangelij.

Postremum, quid profuerit credere, uel omnes Euangelij promissiones ueras esse, nisi tibi ueras esse confidas? Sed unde hoc, nisi per fiduciam mediatoris Christi: per cuius beneficium, sine meritis operꝝ nostrorum, in ea gratia sumus. Huius autē beneficij fides, ut nulla esse potest in hypocritis illis, qui de meritis operum suorū gloriantur: Ita nec in sceleratis istis, qui sine poenitentia manent: nec in diabolis, ut quibus spes saluationis penitus præcisa est, perpetuis aduersarijs et inimicis gratiæ dei et glorię CHRISTI. Peccatores uero possunt cōuerti a uijs suis malis, et saluari. Sed de hac iustificāte et saluāte fide, Sophistę in bene lōgis disputationibus suis de iustificatione nihil loquūtur: sed tantum hærent

in suo

in suo nugacissimo cōmento de fide formata, errantes et alios secum errare facientes. Opera pharisaica prędicant & docent: CHRISTVM & fidem non prędicant. Nominant fidē: sed rem gloriæ Christi, fidei iustificantis & saluantis, suis sophisticis cauillationibus omnino dissipāt & opprimunt. Esto quod ignorantes hoc faciant & fecerint: tamen faciunt & fecerunt. Quare nisi a suis pernitiosis opinionibus liberati fuerint, uel in agone conscientiæ & articulo mortis, (quando intelligitur demum, quæ sit imperfectio & immundicia iusticiarum nostrarū: & quā non sit aliunde salus, nisi a gratia & seruatore CHRISTO.) nemo ex ipsis, & omnibus quos errare fecerūt, saluari potest. Nam fides Christiana est sentire ac profiteri, quod gratis, per misericordiam, & seruatorem CHRISTVM, sine lege & sine meritis iusticiarum nostrarum, salui efficiamur a peccato & ab æterna morte. Contra quam qui sapiunt, sentiunt & agunt, nunquam in æternum possunt saluari: nisi a suis impijs opinionibus liberentur, & corrigant consilia & facta sua mala ac praua. Sic discerni pij ab impijs debent: dilectione uero, ut signo exteriore, discerni debet uera fides a mortua rationis opinione.

Fides discernit pios ab impijs.

Porro, si homines mali & impij, (quales natura omnes homines sumus: ignorantes DEI, & inepti ad ueram atque perfectam iusticiam coram DEO.) possent credere omni uerbo Dei: nemo illos accusare de malicia & impietate posset, credentes DEO. quia mox iustificarentur: & spiritu DEI, per illius uerbum, gubernarentur. Viuit enim homo in omni uerbo, quod procedit de ore DEI: iuxta prophetæ testimonium & CHRISTI. Sed in uerbo credito: hoc est, in fide excitata a spiritu sancto. Quare res uiua est, & efficax atque omnipotens in homine fides: & iustificat impium, & liberatum a peccato & morte, æternum beat. In summa, efficit ex filijs diaboli & æternæ mortis, filios DEI & hæredes æternæ uitæ. Ita de efficatia uerbi fidei scribit Paulus, Roman. i. Non erubesco Euangelium Christi. Potentia enim DEI est, ad salutem omni credenti. Sic. i. Thessalo. ij. testatur uerbum DEI efficax esse, in illis qui credunt. Et Scholastici doctores, belli Theologi, fingunt impios credere omni uerbo DEI, & uerbum sine efficatia & sine fructu posse in ipsis permanere. Sed, ut frequenter dixi, Scholastici de pharisaica & speculatiua rationis noticia in uerbo, solum loquuntur: quæ est literæ noticia, & homini ad saluationem nihil prodest. De practica noticia, in qua est uere assentiri, credere, fidere ac niti promissionibus DEI, nihil loquuntur: neque quicquam de ea intelligunt. Hoc dixi secundo loco in hoc capite, ut fidem nostram confirmatius muniant, contra cogitationes rationis de fide.

Efficatia uerbi crediti.

De fide dæmoniorum.

Esto uero, Diaboli credant, hoc est, credāt esse Deum, & uera ipsum loqui. Quid tum? quid hoc ad nos? quid diaboli credant? Num diabolis loquitur DEVS, ut fide uerbi salui fiant? Aut habent isti quicquam cō mune nobiscum, in credendo? Deinde, si hoc recte tribuitur diabolis, quod uerbum DEI, uerbum gratiæ, fide adprehendere possint: cur non poterunt & dilectionis, seu operum uerbum adprehendere, atq; ita sal uari? Postremum, num de fide diabolorum litigabimus Christiani, ea relinquentes, quæ ad nos pertinent: & quibus Deus nobis loquitur? Quis audet affirmare, Deum in promissionibus gratiæ diabolis loqui? Certe, ne ipsi doctores fidei formatæ hoc concedent. Quomodo igitur tribuitur diabolis uerbi DEI fides: in quo Deus nihil loquitur ipsis? Sci unt quidem diaboli humano generi promissam esse salutem in Christo Iesu. Quia non potuerunt ignorare, hoc quo dictum est: Inimicitias ponam inter te & mulierem: & inter semen tuum, & semen illius. I P S V M conteret caput tuum: & tu mordebis calcaneū eius. Quare nun quam potuerunt diaboli ignorare Deum, & quę gratia nobis promissā sit, nunc exhibita, pro restitutione nostri ad æternam salutem. Sed non ideo uerbum gratiæ ipsi potuerunt fide adprehendere: tanquam illo sal uandi. Quod tamen est uere fidei, & uere credentis in DEVM. Quin etiam hac promissione coacti sunt desperare salutem: ut quæ ipsis aduer sabatur, sicut rursus diaboli aduersantur promissioni, & saluti electorū, credentium in CHRISTVM. i. Pet. v. Hæc igitur non est fides, de qua in literis sacris agitur, & qua affirmantur iustificari impij: scire alijs pro missam esse salutem, eamq; illis inuidere. Sed nosse ac scire, adeoque fir miter credere, sibi esse promissam: & promissionem gratiæ fide adprehē dere. Quare non debuerunt Lombardus & Sophistæ, collatione fidei, quę est in diabolis, fidei qua peccatores iustificamur & saluamur ab æ terna morte, tam audacter detrahere: & eius gloriam minuere: hoc est, gratiam DEI, & beneficium redemptoris CHRISTI tam impura mente blasphemare.

Diaboli non hominum saluti tantum, sed & Deo & omni eius glo riæ, quantum possunt resistunt: & ueritatem uerbi eius calumniantur. Vt docemur exemplo Genesis iij. Item alio Matth. iiij. Et in parabola zi zaniorum Matth. xiij. Et Paulus testatur dæmones impiarum doctrina rum autores esse. prima Timoth. iiij. Et ij. Cor. xi. dicit, ipsum quoque Satanam transfigurari in angelum lucis: nimirum ut simplicibus & in cautis imponat, & sensus illorum corrumpat, & auertat illos a fidei sim plicitate, quæ est in CHRISTVM. Dicitū præterea diabolus obnoxia te nere impiorum hominum corda: ut uerbo salutis aduersentur & contra dicant. Sicut fecit Alexander ærarius, de quo est, ij. Timoth. iiij. Sed & mentes infidelium excæcare dicitur, ut non fulgeat eis illuminatio Euan

gelij

gelij gloriæ CHRISTI: qui est imago Dei. Igitur tantus hostis & aduersarius Dei, Christi & salutis electorum diabolus, non potest Deum prorsus nescire: sed num idcirco diaboli fidem habere possunt eandem, quam saluandi per Christum, nisi quod dilectionem non habeāt? Vides ergo Lombardum & Sophistas in doctrina fidei nihil loqui de fide adprehendēte promissionē salutis, qua una iustificamur & saluamur.

Necq; uero dubium est, diabolos odio DEI, & perpetua salutis desperatione, horribiliter cruciari: quod fortassis uoluit, qui dixit: dæmones credunt & contremiscunt. Sed hæc de fide diabolorum plus satis. Quid enim ad nos quid credant. Sed Lombardus, Sophistæ & aduersarij nostri, huius dicti occasione, & per somnium suum de fide, corrūpunt nobis uerbum gratiæ, & fidem ex cordibus nostris eijciunt: quam pro officio bonorū doctorū Ecclesię plantare potius debuerūt, & animis nostris bene & firmiter radicare. Nunc autem euellunt & destruunt: quod omnium potissimum in eos dictum esse uolumus, qui hoc tempore doctrinæ gratiæ & fidei aduersantur. Iam igitur considera, quo iure tribuatur impijs, qui malo spiritu agūtur, & sine pœnitentia uiuunt, fides. Num enim isti impij, prophani & scelerati homines, qui sine pœnitētia uiuūt & sine operibus bonis, possunt credere Euangelio, & fide promissionē gratiæ recipere? hoc est, possunt ne credere, quod habeant reconciliatum, placatum, propicium & fauentem DEVM: qui ipsis remittat peccata & liberet eos a morte & tyrannide diaboli, utque sint æternæ uitæ hęredes, propter CHRISTVM: etiamsi perpetui quidam contemptores Dei permaneant? Denique quod defendantur in omnibus aduersis, & spiritu sancto regantur? (Nam illum certe constat habere, eos qui credunt.) & qui ita nō credunt, necesse Christi, nec posse saluari? Sed si impijs dare hęc omnia renuerint: rursus interrogamus, cur igit̄ impijs tribuant fidem? Quid usque adeo ipsos iuuet, detrahere gratiæ, & Christo iustificationis gloriam, sophistica, ne dicam malitiosa cauillatione? Cur hac techna & dolosa arte imperitos circumueniant & fallant? Cur beneficia CHRISTI blasphement: tantum ut gloriam iusticię carnis stabiliant? Nunc enim mihi cum istis potissimum sermo est, qui Sophistarū impijs erroribus patrocinantur: et pro Christianis doctrinis eos defendunt, nosq; damnant, qui docemus, quod impij sola gratiæ fide iustificentur. Quanquam irrefragabile est & certissimum hanc fidem in sacris literis ab Euangelistis & Apostolis doceri.

Hoc constat, fidem non posse durare in illis qui flagitiose & sine pœnitentia uiuunt: aliquid probant aut faciunt contra cōscientiam, quicquid illud sit, quod mandatis DEI aduersetur. Nisi mox pœnitentiam agant: iterumq; resipiscant, & melius sibi deinceps caueant. Neq; enim permanere in fide gratiæ quisquam posset, nec retineri spiritus sanctus

Iacob. 2.

Quod fides impijs non debeat tribui.

Fidem etiam amitti, a sceleratis.

ab homine impio & peccatore: contraria sapienti & agenti uerbo & monitis Dei. Quod si intellexissent Sophistæ, nunquam uoluissent istius pernitiosi dogmatis autores esse, quod fidem impijs pariter & pijs tribuit eandem: nisi quod pios ab impijs separat operibus dilectionis, quæ quilibet hypocritæ facere possunt, qui licet in DEVM nunquam crediderunt.

Muniamus itaque conscientias nostras hac Christiana doctrina, de fide promissionum Euangelij: qua semper fiet, ut uel lapsi in uicia & peccata, iterum resurgamus. Nihil enim uanius est, quam tribuere impijs et malis fidem: & fingere, quod noticia DEI firma & uerax existere possit, in homine mandatorum Dei transgressore. Ita uero statuere oportet, quod uera Dei & CHRISTI noticia, qualis non potest haberi, nisi per uerbi Dei fidem, nunquam relinquat credentem ociosum, & sine pœnitentię fructu: tantum abest, ut peccatis mortalibus obnoxios, & sceleribus indulgentes, improbos, noxios & malos relinquat. Vide quid fides & Christi noticia effecerit, in Dauide, Manasse, Petro, Thoma, Paulo, & similibus in historia Euangelij: uocatis in gratiam per seruatorem Christum.

Ergo si crederent impij omni uerbo Dei: sequeretur, quod crederēt omnibus comminationibus & promissis Dei. At fides comminationū statim operaretur in ipsis uerum timorem DEI, ueros conscientiæ pauores: & contritionem illam, in qua est primus ad salutem gradus, si non destituatur promissionum Euangelij fide. Postquam enim ad contritionem fides accedit, illa inquam, quæ est consolationum Euangelij, impij & peccatoris sunt salua & beata omnia. Quia fides promissionum Euangelij consolatur contritos: & proposita remissione peccati, tanquam ex mortuis restituit eos in spem æternę uitæ. Et accipiunt tales spiritum sanctum, ut nunquam possint in impietate uitæ permanere. Non enim rejciunt gratiam, qui uere agnouerunt & crediderunt illam sibi factam esse: sed cum gratiarum actione acceptam ornant in omni reliqua sua uita. Quo suos CHRISTVS nusquam non hortatur: ideo nihil habet, cum impœnitentibus & malis, quemadmodum nec illi aliquid cū Christo. ij. Cor. vi. Quomodo igitur fidem homines mali habere possent?

Sed si homines impij & mali credere Deum & Deo possent, assensum in articulos fidei habere, non opus esset ad sanctificationem iustificandis spiritu sancto. Siquidem omnes homines ex æquo potentes essent ad efficiendum gratię fidem: et timorem DEI, seu ueram contritionem, & obedientiam erga legem. Quę fuit impij Pelagij sentētia: a qua quantum absint isti doctores operum, in quos scribimus, aliorum esto iudicium. Quid enim quod de conficta gratia, et habitu dilectionis in operarijs, qui nullus est, deblaterant? Hoc enim non est gratiā agnoscere:

quæ non significat habitum in nobis, sed misericordię beneficium, quo nobis peccata remittuntur propter CHRISTVM, & uita æterna donatur, quatenus in eum credimus. Non est res tam uulgaris tum uerax contritio, tum uera fides, quam esse existimatur a crassis Sophistis. Multo minus tam inefficax & impotens, ut peccatores sine pœnitentiæ fructu relinquat.

In summa, pessime merentur de gloria CHRISTI & rebus Ecclesiæ, qui fidem gratiæ ita contemptim prędicant, ut hanc tribuant impijs quoque. Quia sic faciunt hominibus gratiæ Christi beneficium sordere: aut certe autores sunt, ne in magno precio habeatur. Atq; adeo, ut confidamus, nos carnalibus iusticijs multo potius saluos fore, quam per redemptorem Christum: quem licet habemus unicam caussam nostræ æternę salutis. Quia aliud nomen non est sub cœlo datum hominibus per quod oporteat nos saluos fieri. Fugiendi sunt ergo, qui noticiam gratiæ, & fidem in Christum, fingunt rem esse tam uulgarem, inutilem & prophanam. ut impijs istis & malis hominibus, qui sine omni fructu melioris uitæ agunt, possit contingere. Hoc enim pręcipua quadam contumelia, in gratiam DEI, & in Christum dicitur: & Euangelij gloriam maxime lædit. Quod enim formaliter iustus esse dicitur homo per opera dilectionis, id præter quam quod eleuat gratiam, & CHRISTI gloriæ detrahit, tribuit summam iusticiæ laudem pharisaicę iustis: quibus nihil minus esse potest, quam uerax iusticia, illa Christiana, uerę efficax fructibus pietatis, quibus DEVS glorificatur.

Viderint ergo quid agant, qui commentum inanis somnij de fide formata, uerę fidei nomine nobis obtrudunt: quo illud imprimis credere iubent, non quod nos respiciat & saluos faciat DEVS, per misericordiam, credentes in Christum Iesum: sed quod ipsi priuata iusticia & proprijs meritis operum nostrorum, tum remissionem peccati, tum æternā uitam nobis impetremus. Sed hoc est gratiam negare, & a fide in CHRISTVM deficere ad legem: quasi hac, & sine Christo, salus obtineatur. Nihil refert enim quod gratiam nominant, & merita passionis Christi, isti quos dico, meritis operum nostrorum doctores. Oportet enim eos qui uere credunt in Christum Iesum beneficia redemptionis ita agnoscere & recipere, ut pro gratuitis gratiæ donis ea habeant: quæ aliter adprehēdi, seu accipi haud quaquam possint, nisi per promissionis Euangelij fidem. Sed hactenus de fide, quam prædicant sacræ literæ: & rursus de pugnantia, quæ est apud somniatores Sophistas, contra fidei doctrinā. Ne ergo dubites pie lector, me hac collatione pręstitisse, quod ab initio huius loci pollicitus sum, uidelicet, me monstraturum in aduersariorū doctrina, quod prædicent, impium & peccatorem iustificari suis operum meritis, sine gratia, sine CHRISTO, & sine promissionis Euan-

gelij fide: planeq; abolere Euangelij promissionem & extinguere Christianismum. Neque posse absurdius quicquam dici, quam affirmare, quod fides existere possit in homine impio & malo mandatorum DEI transgressore.

QVOD CHRISTI APOSTOLI, NON CAErimonijs legis, sed in uniuersum omnibus iusticijs nostris detrahant meritum iustificationis.

CAP. V. Reliqua est una spes refugij, his qui iusticiæ rationis, & meriti operum nostrorum, patrocinantur, contra gratiæ iusticiam, & contra fidem in CHRISTVM: & illa quoq;, non tam iusta obiectio, quam cauillatio mere Sophistica. Quid enim nisi inania somnia & delyramenta impietatis obijci contra gratiæ & fidei doctrinam possent. Nihil refert, quod hunc impium & fœdum errorem, quem dico, quidam magni uiri docuerunt: ueluti Origenes & Hieronymus, ea in re pœnitendi & perniciosi doctores. Quanquam nec rarum est, magnos sæpe pueriliter hallucinari & desipere: cum presertim in his, quæ sunt Christianæ doctrinæ, cogitationibus rationis cœperint indulgere: & plus fidere illis quam uerbo DEI. Porro maior est Deus, & amplior uerbi eius autoritas, omnibus Origenibus, Hieronymis & Sophistis: cui uel ipsi angeli subijci & credere debent, nedum quidam literatores. Quid est enim humani ingenij magnitudo, doctrina & iudicium, in comparatione ad DEVM? Sed ad rem.

Hoc igitur, quod sacra scriptura testatur, nos iustificari fide, per gratiam, propter CHRISTVM, sine lege, & sine iusticijs nostris, sic cauillantur atque eludunt: fingunt hanc exclusiuam operum et iusticiarum nostrarum, non intelligendam esse, nisi de cærimonijs Mosaicis. In quo uides optime lector, nihil tam simpliciter, dextre, candide & clare dici posse, quod ars sophistica non queat cauillari & irridere. Decalogi iusticias copulant cum fidei doctrina, magnifici gratiæ præcones scilicet: Imo conscientiarum oneratarum peccato, lege, & terroribus inferni, immanissimi tortores atq; carnifices. Gratiæ tribuunt, quod ubi legis onus est leuissimum, & plane quidam puerorum ludus, ibi nos exonerarit: rursus ubi est onerosissimum, prorsusq; importabile omni carni, & quo omnes condemnamur, in eo defecerit illius exactionibus & comminationibus nos releuare. Quo simul intelligere est, qua diabolus astucia & fraude semper conatus sit noxius esse Ecclesijs, per impias doctrinas: perque parum cautos, & non satis attentos doctores.

Hoc igitur rationis inuentum, cum ostendero uanum, falsum & impium esse, palam erit, hanc nos DEO & IESV CHRISTO nominis gloriam debere, qua credere & confiteri necesse habemus, quod Deus gratuita misericordia sua & Christi beneficio saluos faciat nos a peccato

& a mor-

& a morte: & non ipsi nos, per iusticiarum nostrarum merita & satisfa-ctiones. Qui itaque hoc ultimo diuerticulo elabi conantur, ut dicant impudenter, atque affirment pertinaciter, quod in doctrina iustificationis Christiana, solis cærimoniis Mosaicis, iustificationis meritum detrahatur, non moralibus præceptionibus quoque, & in summa, omnibus iusticiis nostris, quascunque possumus prestare: eos inquam, numeramus inter Pelagianę hæreseos professores, & accusamus abnegatæ gratię & fidei in CHRISTVM, defectionis ab Euangelio ad legem, qui se pręcipitent ex regno cœlorum in infernum ad diabolum, ut salui fieri non possint, nisi ab hoc errore liberentur. Nam primum, uera in gratiam & Christum fide destituuntur: sine qua nemo potest saluus fieri. Deinde, quia non possunt docere, iusticię & pietatis nomine, quam pharisaismũ quendam, & hypocrisim operum, seu speciem iusticiæ: quæ magis est noxia homini, quam prodesse illi possit.

Dedit autem isti errori occasionem, aut certe confirmauit eum, quod isti qui contendunt nos meritis operum nostrorum saluari, uiderunt retineri in doctrina Apostolorum moralia præcepta: & ideo partialem caussam iustificationis hæc fecerunt. Non prædicantes illorum opera, ut iusticiæ fidei fructus: qua una saluamur a peccato & a morte. Sed caussam iusticiæ illa dixerunt: ut quibus & peccati remissionem sibi homo mereatur, & satisfaciat pro peccati pœnis & æterna morte. Hæsit autem, & ille opinionis error in hoc dogmate, quod arbitrati sunt, Decalogi exactionibus per externas operum iusticias satisfieri. Atque inde in doctrina de abrogatione legis, non pronunciauerunt, liberatos esse nos, nisi a cęrimonialibus & forensibus Mosi legibus: nec uisum est opus habere hominem liberatione ab exactionibus Decalogi. Nempe, quibus carnalis natura possit facilime satisfacere: & suis iusticiis bene mereri de DEO. Istis ergo rationis doctoribus penitus absurdum uidetur, cum dicitur, quod solius gratiæ fide, propter CHRISTVM, a peccato et a morte iustificemur. Quia non possunt se explicare ex illo nodo, cum audiunt, quod obedientiam præceptorum Decalogi seruare debemus: neque tamen possimus, iusti et beati coram Deo, propter illam obedientiã nostrã, pronunciari. Quasi ideo necessarium sit, iustificari hominẽ per sua opera, quia DEVS requirit ab his quos recepit in gratiam saluationis propter Christum, opera bona. An non hoc est disipere? Cui enim filio necesse est, hæreditatem paternam mereri? etiamsi patris nomen, et familiæ suæ, necesse habeat bonis moribus et iusticia ornare? Degeneres enim, iure excluduntur hæreditate.

Proinde aduersarij nostri, hoc errore perpetuo cæcutiunt, quod existimant iusticiam illam Christianã, qua saluamur a peccato & a morte, significare qualitates et uirtutes nostras: cum sit gratuitum misericor- *Iusticia Christiana.*

diæ beneficium, quo nobis peccata remittuntur, & uita æterna donatur, propter CHRISTVM, quatenus in illum credimus. Sicut clarissime & firmissime docetur, Roman. iiij. Ioan. iiij. &c. Ideo enim hac gratiæ iusticia opus habuimus, quia exactiõibus Decalogi nemo potuit, neque poterit unquam satisfacere. Sunt enim spirituales: & de summa perfectione iusticiæ, & summa animorum nostrorum puritate pręcipiunt. Cuius debitores si essent Christiani, nemo saluandorum non debitor esset huiusmodi perfectæ iusticię, qua etiam sine omni uicio cordis uiueret, prorsus angelice, nedum sine externis uicijs peccati. Sed tales non sumus in hac infirma, carnali & peccatrice natura: etiam iustificati, & quatenus a spiritu sancto gubernamur: Roman. vij. Nondum enim corpus peccati deposuimus in totum: nec accepimus plenitudinem, sed primitias spiritus: Roman. viij. Et si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. i. Ioan. i. Retinetur autem Decalogus in Apostolorũ doctrina, quia pertinet ad poenitentiæ doctrinam: ad ostensionem & accusationem nostri peccati. Roman. iij. vij. Adeoque ad fidei exercitia illa, quibus glorificari a nobis debet DEVS, tanquam iusticiæ fructibus: non ut operum nostrorum meritis saluari quæramus. Nos enim dilectorum filiorum loco habet, propter CHRISTVM: & per misericordiam suam saluos fecit. Deinde iusticiam illam gratiæ, atque æternam salutem, communicat his qui Euangelio credunt, non qui iusticiam & salutem per legem quærunt. Roma. ix.

Rationes Sophistarum de legis abrogatione,

Sed cur non uidemus etiam, quibus rationibus illi caussæ suæ patrocinantur, qui negant meritum iustificationis detrahi operibus seu iusticijs legis in uniuersum: sed cærimonijs tantum. Scholastici enim, primum pudendo errore affirmant, iudicialia & cærimonialia, post CHRISTI glorificationem, obseruantibus mortifera esse: & Decalogi mandata non esse abrogata. Quia sine operibus Decalogi nemo iustificetur coram DEO. Idcirco Thomas, in summa, prima secundæ, Quæsti. xcviij. illud Ezechielis, cap. xx. Dedi eis præcepta non bona: & iudicia in quibus non uiuent. Ita eludit, ut affirmet hoc testimonium, de præceptis cærimonialibus solum esse intelligendum. Nam præcepta DEI dici non bona, quia (ut ait) gratiam non conferebant, per quam homines a peccato mundarentur. Intelligit autem gratiæ nomine, uim illam qua per cordium nostrorum puritatem, seu dilectionem, ipsi satisfaciamus legi. Sed si omnino prophetæ locus ille, intelligi debet, ratione legis & obedientiæ nostræ, (Nam Iudæi aliter illum eludunt.) Sic exponendus erit, ut præcepta intelligamus dici non bona, ratione difficultatis & impossibilitatis, quæ est carnalis naturæ ad satisfaciendũ pro peccato & morte: adeoque ad satisfaciendum exactionibus legis. In quo quanquam idẽ dicere uidetur Thomas, tamen in eo fallitur, quia existimat,

tinat, quod nostra dilectione & nostra nouitate legi satisfiat. Nam etiamsi contingat nobis spiritus & donetur dilectio, tamen non satisfacimus legi per omnia: & omnes iusticiæ nostræ indigent remissione peccati, propter immundiciam cordium nostrorum, & imperfectam obedientiam erga legem. Sicut etiam testatur illud prophetæ psal. cxliij. Et ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia in conspectu tuo non iustificabitur omnis uiuens. Deinde, præcepta DEI erunt non bona, hoc est, minime commoda carnali naturæ, propter iram iudicantem nos & damnantem lege. Gal. iij. Sed satis est, si teneas ex Thomę scripto, illum sentire, cũ alijs Sophistis, Decalogum nõ esse abrogatũ: sed manere & retineri cum nouo testamento, ut iustificationis doctrinam. Ex eo enim intelligis, Euangelium apud Sophistas non haberi pro iustificationis doctrina, sed legem.

Porro Thomas, illud Pauli; Roman. vij. Sine lege, peccatum mortuum erat. Ego autem uiuebam sine lege: sed cum uenisset mandatum, peccatum reuixit: ego autem mortuus sum. Item illud: Roman. v. Lex subintrauit, ut abundaret delictum. Cum non pateat rima, qua possit elabi, in hunc modum cauillatur: lex (inquit) dicitur occidisse, non quidẽ effectiue, sed occasionaliter, ex sua imperfectione. (Sed cur non potius ita occasionaliter, quia incidit in carnalem naturã, quam ipsa lex inquam sanctissima & perfectissima doctrina, non potuit uiuificare? Quia carnalis natura non obedit, nec obtemperat legi: ac ne potest quidem. Rom. vij. & viij. Idcirco enim lex non potuit, neque debuit, quam occidere hominem & damnare. Atq; ex eo uocatur administratio mortis & condẽnationis. ij. Cor. iij.) In quantum scilicet gratiã non cõferebat, per quã homines implere possent quod mandabat: uel uitare, quod uetabat. Hic rursus opus habes Thomam gratiæ adpellatione, intelligere non de misericordia regenerante & iustificante nos, per Euangelij promissionem: sed sophistico more, de nouitate nostra.

Sic ergo reijcit Thomas totam culpam mortis & condemnationis nostræ in legem: & hominem illa liberat: scilicet, lex præcipiebat de perfectione iusticiæ: sed quia uim implendi mandata legis non contulit, in eo fuit quædam imperfectio & uicium legis. Quid audio? sed oportet hic exclamare, uim fieri scripturis: & æquum iudicem appellare. Cur enim a lege requiritur, ut uirtutem donet se implendi, illis quibus loquitur: quam nisi conferat, male audiat, & dicatur uiciosa & non bona? Nõne satis est legi præcipere de recte factis: etiamsi uim faciendi & implendi mandata non tribuat? Aut dixeris mihi, DEO non integrum esse, præcipere de perfecta iusticia: sed cogi illum ut se accommodet, ad nostros pharisaicos animos. Iubẽt enim anathema esse, qui dixerit DEVM impossibilia pręcepisse. Postremum, Paulus dicat: lex quidem sancta

est, & mandatum sanctum, iustum & bonum. Roman. vij. Et homo Sophista cauillatur, in lege esse imperfectionem & uicium: & eam imperfectionem ita incommodare homini, ut illum occidat: nimirum natura bonum & iustum. Sed hoc est legi libidinosam tyrannidem tribuere: & iusticiam accusandi peccatores derogare. Iam quis magis uiolentus & iniurius erit, quam DEVS: si lex suo uicio, & propter suam imperfectionem occidit: quia non confert homini gratiam, per quam ille mandata possit implere.

Lex effectiue occidit.

Sciat igitur Christianus lector, quod lex, quoniam incidit in carnalem naturam, non potest habere alium effectum, quam quod hominē occidit & damnat. Hoc est, declarat reum mortis: per ostensionem peccati, quod hęret in carnali natura: & irrogata in peccatorem sentētia mortis, siue æternę maledictionis. Sicut Paulus clare docet: Roman. iij. vij. & Gal. iij. Est enim lex spiritualis, sancta, perfecta, & purissima doctrina: nos uero carnales sumus, immundi, iniusti, peccatores, & pleni impijssimarum opinionum & cogitationum, de DEO & lege. Imo Deum prorsus ignoramus: & ideo legem eius odimus. Quia non intelligimus, qua ratiōe nobis consulat, hac sua spirituali & perfecta legis doctrina. Lex ergo occidit atq; damnat hominem effectiue: & summo iure, hominis uicio & culpa. Suo enim iure arguit atque accusat hominem DEVS: adeoque damnat, neminem afficiens iniuria neque tyrannidem seu iniusticiam exercens.

Vult autem DEVS hoc modo nobis peccatum nostrum ostendere: & ueluti impellere nos ad gratiæ inuocationem, qua saluemur a morte, & sanemur a corruptione peccati. Nec enim irascitur perpetuo, nisi gratiæ contemptoribus. Ideo posuit legem, quæ cum incidat in carnalē naturam, non possit eam uiuificare: & tamen redarguat peccati, & ream declaret æternæ mortis, adeoque retineat in morte eum qui per incredulitatem pergit contemnere gratiam. Et ideo uocatur chirographum, contrarium nobis. Col. ij. Quia omnes testimonio suarum conscientiarum, reos esse, & damnabiles peccatores. Non enim uoluit DEVS gratiam saluantem & sanantem nos conferre per legem: cum tamen contrariū ubiq; doceant Sophistę maxime in doctrina de iustificatione: quam existimant fieri, per nostram dilectionem. Sed lex, ut dixi, seruire debuit, ad peccati ostensionem, & perfectam humiliationem hominis peccatoris: illumq; gratiæ siti accendere. Proinde caussa illa mortis, iræ & condemnationis, non debet reijci in legis defectum, seu imperfectionem, quæ nulla est, quanquam esse fingitur a blasphemis: sed reijci debet, in hominis peccatoris maliciam & impietatem.

Sic ad illud: Lex subintrauit, ut abundaret delictum, respondet Thomas: consecutiue hoc, non caussaliter accipiēdum. Quod recte quidem

dicere-

diceretur, si recte intelligeretur. Lex enim non est uirtus peccati, sua culpa, seu effectiue: etiamsi causaliter & effectiue occidat atque damnet peccatores. Sicut gladius ciuilis magistratus: quo cum summa iusticia & æquitate percutitur reus & occiditur. Sed nostra culpa est uirtus peccati: quia legi irritamur, nolentes arceri a prohibitis, siue adigi ad obseruationem mandatorum. Concupiscimus enim & irascimur contra DEVM & legem: quinetiam Deum odimus, quia nos accusat & iudicat lege. Thomas uero ita dicit consecutiue: in quantum, scilicet, homines accipiẽtes occasionem a lege, abundantius peccauerunt. Tum quia grauius fuit peccatum, post legis prohibitionem: (Quod nisi de quibusdam minutijs cærimoniarum, & rebus per se medijs, nec peccatis sua natura, recte dici nõ potest. Peccatum enim, quod natura sua est tale: & de quo proprie intelligi illud Pauli debet, Per legem enim cognitio peccati: semper fuit æque graue, & peccatores occidit. Nec futurum erat aliter, etiamsi lex nunquam lata esset: sed postquam data est lex, cognitũ est certa demonstratione, quæ sit peccati grauitas coram DEO, & quo iure cõdemnet hominem æterna morte.) Tum etiam, quia concupiscentia crescit. Magis enim concupiscimus, quod nobis prohibetur. Recte, sed dispeream, si Sophistæ ipsi intelligant suas uoces & dicta. Nam alias, concupiscentiam, quæ est uicium in natura, contentiosissime negant peccatum esse: nempe, in eo qui sit per baptismum renatus. Qua consequentia possent cædes & adulteria quoque, & si quid huiusmodi est externorum uiciorum, peccato excusare. Neq; uero est frustra, cur nolint hominis naturam uicio damnabili culpa, propter concupiscentiam accusari. Quia dicunt grande absurdum hinc consequi, si recipiendum sit, concupiscentiam in natura renata esse peccatum, legi contrarium. Nam mandata DEI fore impossibilia, uiribus naturæ: uidelicet, quæ doctrina secum traheret ingentem ruinam uirtutum & operum moraliter bonorũ, & meritoriorũ gratię, & uitę ęternę, quę libero arbitrio præstantur. Vides periclitari illis suas hypocrises operum: hoc est, iusticias rationis, pro quarum gloria & laude tam dimicãt strenue: ne ponantur infra laudem meriti gratiæ, remissionis peccati, iusticiæ atque æternę uitæ.

Porro, rursus admonendus est mihi lector, ut a lubricitate Sophistarum cautus ubiq; sibi caueat. Nomen enim gratię, ut sæpe dixi, usurpãt pro habitu & qualitate in nobis: hoc est, dilectione, cœlitus data & infusa homini, cum significet DEI fauorem illum & misericordiam: qua credentes Euangelio recipimur in filios Dei, & accipimus remissionem peccati, & æternam uitam propter CHRISTVM. Hęc est enim Christi condignitas, quę nobis meretur: non operum dilectionis nostrorum. Igitur hac arte, (id est, per abusum uocabuli gratię, pro dilectione, qua nos legem faciamus.) Thomas illud quoq; Petri tractat, Gratia.

quod est Acto.xv. Nunc ergo quid tentatis DEVM, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini nostri IESV CHRISTI credimus saluari: quemadmodũ & illi. Ad hunc namque locum ita respondet Thomas, dicendum: quod iugum legis seruari non poterat sine gratia adiuuante, quam lex non dabat. Postea explicans seipsum, de qua gratia loquatur: dicitur enim (inquit) Roman. ix. Non est uolentis neque currẽtis: scilicet uelle & currere in pręceptis DEI. (At, quid hoc est dicere? Volunt currere, adeoque omnibus uiribus currunt in mandatis DEI. Ita ut Paulus hac de re testimonium perhibet Iudæis: Roman. ix. Dicit enim eos sectari iusticiam legis. Et Thomas pronunciat, quod uolentium & currentium, non sit uelle & currere. Putas ne igitur ita loqui & statuere, hominem sobrium, & sanæ mentis?) sed miserentis DEI. Hoc ergo, quod Paulus totis uiribus detrahit iusticijs nostris: homo nugator & Sophista torquet & trahit uiolenter ad merita iusticiarum nostrarum: nempe pręmium remissionis peccati, & uitæ ęternæ. Sed si detur uelle & currere, per dilectionem. Hinc enim proxime adijcitur a Thoma: Vnde in psal. dicitur. Viã mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, scilicet, per donum gratię & charitatis. Hoc scilicet, est arte tractare scripturas: sed sophistica & calumniatrice.

Tribuit itaque Thomas, & cum eo reliqui Sophistæ, dilectionis nostrę merito & obsequio, totum beneficium saluationis. Fingit autẽ in lege quandam imperfectionem: qua defecerit in saluando nos a peccato & morte. Quam cum impetret sibi homo, meritis præparatorijs ad gratiã: hoc est, dilectionem, tum hęc sufficiat homini, ut perducat eũ ad destinatum finem foelicitatis æternę. Existimant enim Sophistæ legis finẽ esse, ut hominem eo perducat. Sed cur non potius ipsius Thomæ execrabiles blasphemias subscribam: ut eas omnium piorum uotis detester atque damnem. Sic ergo habet, in quæstione, de qua supra, arti. primo. Sed notandum est inquit, quod bonum diuersos gradus habet. Est enĩ aliquod bonum perfectum: & est aliquod bonum imperfectum. Perfecta quidem bonitas est in his, quæ ad finem ordinantur: quãdo aliquid est tale quod per se est sufficiens, inducere ad finem. Imperfectum autẽ bonum est, quod operatur aliquid ad hoc, quod perueniatur ad finem: non tamen sufficit ad hoc, quod ad finem perducat. Sicut medicina perfecte bona est, quæ hominem sanat: imperfecta autem, quæ hominem adiuuat, sed tamen sanare non potest. hæc ille.

Thome scriptum, de merito operum legis.

Vides his præparamentis eo tendi, ut iusticijs operum nostrorum tota laus iusticię & salutis nostrę feratur accepta. Lex enim perficitur: hoc est, efficitur perfecte sanatiua, iuxta Sophistarum sententiam, per dilectionem. Et ante acceptam dilectionem, aliquo modo, sed imperfecte, coo-

cte, cooperatur ad hominis salutem. Sed pergamus ad alia Thomæ, quibus ipse se, & totum illum chorum Sophistarum, suis coloribus graphice pingit: ut cognosci possit, quid sentiāt, de fide in CHRISTVM. Nimirum plane & prorsus nihil. Nā Christi beneficia sunt gratuita, quę quisquis negat gratuita, totum CHRISTVM negat. Ergo Thomas prędictis hęc addit. Est autem sciendum, quod est alius finis legis humanę: & alius legis diuinę. Legis enim humanę finis, est temporalis tranquillitas ciuitatis. Ad quem finem peruenit lex cohibendo exteriores actus: quantum ad illa mala, quæ possunt perturbare pacificum statū ciuitatis. (De hac ergo legis ratione in pręsentiarū nihil ad propositū. Hic enim usus legis est ciuilis: sed sequitur.) Finis autem legis diuinę, est perducere hominem ad finem fœlicitatis ęternæ: qui quidem finis impeditur, per quodcunqꝫ peccatum: & non solum per actus exteriores, sed etiam interiores. Et ideo illud quod sufficit ad perfectionem legis humanę: ut scilicet, peccata prohibeat, & pœnam adponat: non sufficit ad perfectionem legis diuinę. Sed oportet, quod hominem totaliter faciat idoneum, ad participationem fœlicitatis ęternę. Quod quidem fieri non potest, nisi per gratiam spiritus sancti: per quam diffunditur charitas in cordibus nostris, quę legem adimplet.

Si hoc non est abijcere gratiam, a fide Euangelij & redēptoris CHRISTI deficere ad legem, apostatam fieri, iudaizare, & in impiā sententiam impij Pelagij concedere, excusent se de hac pessima infamia, Papistę professores sophistici huius erroris. Quid refert enim, quod fabuloso commento de operibus dilectionis multa nugantur: de gratia adiuuante per spiritum sanctum imbecillitatem nostram, & cooperante uiribus liberi arbitrij: Siquidem in principali negotio, & in tota summa quęstionis, tribuit iusticijs nostris meritum iustificationis & uitæ ęternę. Quanquam hoc quoqꝫ, quod Sophistę de gratia, id est, dilectione, quę detur iusticiarijs, comminiscuntur, est plusquam nihili somnium: & ut terminis eorum utar, est quędam chimera, & compositum ex incomponibilibus, germanicę, eyn hultze schur eysenn. Neqꝫ em̄ possibile est, spiritū sanctum accipere, eos qui negant beneficium redemptionis nostrę gratuitum esse. Deinde, ut maxime haberent spiritum, tamen ille non potest permanere aut retineri ab his qui sentiunt quod iusticiam, remissionem peccati, spiritum sanctum, dilectionem & uitam ęternam, possint atque debeant sibi per opera sua mereri.

Digni sunt autem Sophistæ, suis istis stultis & uanis inuentis dementari. Quia ita se ulciscitur DEVS de gratię contemptu: hinc enim uidimus tot perniciosas sectas monachorum grassari in orbe Christiano, ad d eletionem fidei. Omnis em̄ populus persuasus fuit, ꝙ sibi necesse esset iusticiam & salutem per opera mereri. Hos fructus infidelitatis & incre-

dulitatis uidimus: & tamen nondum satis doceri illo pernicioso & damnabili exemplo erroris possumus. Tam uere autem dicitur hoc de gratia somnium: quam idoneis testimonijs utitur Thomas ad probationem ascitis. Adducit enim illud Pauli ad Roman. vi. Gratia enim DEI uita ęterna. Quid enim hoc facit ad probationem eius, quod affirmant Sophistę de gratia, quę sit qualitas mentis, & uirtus in nobis: & mereatur homini absoluta condignitate uitam ęternam? Manifestum est enim omnibus, qui legunt epistolas Pauli, quod Apostolus ille hac sententia nihil prorsus dicit de dilectione nostra, qua ipsi legem facimus seu implemus: sed quod testet, uitam ęternam gratuitum donum gratię seu misericordię DEI: & quidem, ut ibidem diserte explicat, quod contingat per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum, utique si in eum credamus: de quo lege Ioan. iij. Quare hac Pauli sententia etiam excluduntur iusticię nostrę, a merito tantę salutis: sed Thomas, ut Sophistę officio satisfaciat, contemptis omnium hominum iudicijs, ad illarum merita torquet dictum & sententiam Pauli.

Poterat itaq; Thomas eadem dexteritate ad probationem afferre, qua connititur euincere, iusticias nostras, propter habitum dilectionis, meritorias esse æternæ uitæ, omnes scripturę sententias, prorsus sine ullo delectu. Qui enim minus satisfaciat, uel quod de adulterijs et stupris admissis scribitur, si hoc Pauli dictum ad Sophistæ opinionem quadrat? Sed audiamus pergentem: hanc autem gratiam (inquit) Lex uetus conferre non potuit, reseruabatur enim CHRISTO. Quia ut dicitur Ioan. primo. Lex per Mosen data est: gratia autem & ueritas per IESVM CHRISTVM facta est. Ex hoc dicto intelligis, quid Christo tribuant Sophistæ: nimirum quod dilectionem nobis promeruerit, & effecerit illo condimento iusticias nostras, meritorias remissionis peccati, & uitæ æternę. Quanquam enim & condonationem originalis noxæ dicant factam beneficio mortis CHRISTI: tamen ab adultis & lapsis post baptismum requirunt ut proprijs operum meritis satisfaciant pro peccato. Atque inde est, quod omnia referunt ad meritum dilectionis.

Neque uero contendam hic de sententia uerborum Euangelistæ Ioannis. Satis constat quid gratiæ nomine significet, iuxta prius datas expositiones: nimirum misericordię beneficiū, & reconciliationis quod cōtingit per CHRISTVM. Deinde, ut maxime significet ueritas nouitatem illam, qua per repurgatos cordis motus, DEVM spiritu & ueritate colimus: tamen non debet illi tribui meritum remissionis peccati & uitæ ęternæ. Hoc enim est sentire contra gratiam, & contra redemptorem Christum. Sed abuti Thomam gratiæ nomine, etiam hæc quæ mox subijcit testantur: & inde est, inquiens, quod lex uetus bona quidē est, sed imperfecta. Secundum illud: nihil ad perfectum adduxit lex.

Nam

Nam huius loci sententiam & supra expositam habes. Sic ergo torquere scripturas in omnibus locis ad habitum nostrę dilectionis, quę loquuntur de gratia id est, misericordia DEI, qua nobis peccata remittuntur, & uita ęterna donatur, propter Christum, est corrumpere eas & interpretari contra CHRISTVM: cum ubiq; hoc agendum sit, ut pro gloria Christi illas interpretemur. Et omnino ne ullo modo, quæ nostrę gloriæ sunt per eas statuamus:

Habes ergo quę sint illę tantæ rationes & caussę, quæ impulerunt Sophistas, ut contenderent, in doctrina de legis abrogatione, solis cærimonijs & iudicialibus Mosi, detrahi meritū saluationis. Nam in summa Decalogum Mosi, & similia morum pręcepta, quæ in Euangelicis literis leguntur, & ex Decalogo fluxerunt, habent pro doctrina iustificationis: quo fit ut promissionum Euangelij nullum usum, & nullum Christi, seu fidei in CHRISTVM, docere possint. Cum quorum perniciosis opinionibus uolumus nunc paulo diligentius scripturæ sententiam conferre. Tu igitur Christiane lector in quęstione de legis abrogatione, intelligito omnia de lege proprie dicta ac spirituali: & complectere simul totam legem, nihil distinguens inter iudicialem, cęrimonialem, & moralem. Sed legis nomine intellige omnes illas partes: ut existimes, non cęrimonijs solis, aut iudicialibus Mosi detrahi meritum iustificationis: sed cęrimonijs pariter & omnibus operibus legis. Fide em̄, per misericordiam iustificamur, propter Christum: sine lege. Nec significat hęc oratio, iustificatos non esse debitores obedientię erga legem: seu studij bonorum operum. (Nam perfectę obedientię nemo est debitor: ut quam etiam nemo potest pręstare. Et Decalogus eo nomine abrogatus est solum, ne ius habeat exigendi debitum perfectæ iusticię ab his qui in Christum credunt.) Sed testatur operibus nihil opus esse credenti, ad meritum iustificationis & uitæ ęternæ. Et significat abrogatas esse legis maledictiones: & in his qui Euangelio credunt, etiam imperfectam legis impletionem reputari pro perfecta & adprobari illam coram DEO. Nam alioqui frustra esset bona opera a iustificatis exigere: quę illi pręstare debebunt glorificandi DEVM studio tanquam iustitiæ fructum.

Sententia scripturæ de legis abrogatione.

Fide iusti sine lege.

In summa, si Decalogo ius esset exigendi debitum perfectę obedientię, seu iusticię in illo præceptę, nemo prorsus omnium hominum saluus fieri posset. Est enim impossibile satisfieri illius exactionibus ab infirma carne. Et rursus tamen solis qui credunt in Christum, abrogatus est Decalogus, eo modo ut dixi: incredulos enim perpetuo iudicat & damnat. Qui etiam dupliciter rei sunt mortis & condemnationis: priore modo, propter debitum perfectę iusticię, quam nunquam possunt pręstare. Posteriore, propter contemptum gratię DEI, & redemptoris Chri

sti: quem alunt isti summum, qui per iusticias legis quęrunt salutem. Ergo necesse fuit legem abrogari, prorsus totam, & omnium maxime Decalogi mandata. Nam illis omnium grauissime affligitur, terretur, et cruciatur conscientia: & adigitur ad desperationem salutis, nisi quatenus retrahitur per promissionis Euangelij fidem, ad concipiendam spem ęternę salutis per Christum. Nec aliter intelligi debet abrogatio, pręceptorum Decalogi, quam de iure accusandi aut damnandi peccatores: siue de iure exigendi debitum perfectę iusticię, quod legi ademptum est, propter Christum. Quia illi debito nemo posset satisfacere: & per consequens, lege omnes condemnarentur.

Ita certe, cum Paulus ait: nos non esse sub lege, sed sub gratia. Intelligit nos beneficio diuinę gratię per CHRISTVM ab exactionibus decalogi, & omnium maxime a maledictionibus legis liberatos esse. Item gubernari a spiritu sancto, eos qui Euangelio & in redemptorem Christum credunt, ut peccato resistere possint: ne iterum recidant in maledictiones legis, si carni cœperint indulgere. Quorum postrema sunt deteriora prioribus: ut de his docemur. ij. Petri ij.

Enthymema Pauli inuictū & insuperabile.

Paulus dicit: Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est. Quanquam autem hoc testimonio et argumento Pauli, etiā in prędictis usus sum, tamen nihil uetat hic repetere. Stat enim, ut immobilis rupes contra opiniones Sophistarum, de merito operum legis. Nam quomodo iustificat gratia & redemptor Christus, quos lex iustificat & saluat? Aut quomodo in lege iustificantur homines quibus gratia opus est, & iustificatore Christo Iesu, filio DEI: quem necesse fuit mori, pro redimendis nobis a peccato & a morte. Nā gratia & lex hic a Paulo acerrima contentione opponuntur: & alteri detrahitur meritum saluationis, nempe legi, hoc est, iusticijs nostris. Ne ergo abijciamus gratiam, per incredulitatem & pharisaicas opiniones, quærentium per legem iustificari: qui se indignos faciunt beneficijs gratiæ, & CHRISTO seruatore, quem impossibile fuit frustra mori.

Quinetiam errorem tribuunt & summam impietatem Paulo, qui in doctrina de abrogatione legis illi tribuunt, quod de cærimonijs & iudicialibus tantum loquatur: & his argutijs elabi ex eius disputationibus & doctrina quęrunt. Quasi inopia uerborum & dicendi perdiderit Ecclesias: scilicet, potuit magna uerborum copia, & flumine orationis, & contentiosissima contentione astruere atque affirmare, impium & peccatorem iustificari coram DEO, fide, per misericordiam, propter CHRISTVM, gratis, sine lege, sine operibus, exclusa omni gloriatione nostra: & in eo uno defecit, atq; uiribus dicendi destitutus est, ut ne semel quidem potuerit uel cautionis & necessitatis caussa, se in illis omnibus exclusiuis non loqui nisi de parte legis cærimoniarum, & politicarum obseruatio-

seruationum? Manere enim peccatori suam gloriam integram in iusticijs moralium prçceptorum: & pro illis dari, tum remissionem peccati, tum uitam æternam. O uere mutum Apostolum, & nihili CHRISTVM, qui Gentibus talem & tam infantem Apostolum misit. Sed o Christe fili DEI, quo nos trahit dolor & indignatio contra improbos cauillatores Sophistas? miserere nostrum & ignosce his uocibus nostris. Paulus non fuit nutritus in Sophistarum scholis, & monachorum antris pharisaicis: in quibus didicisset scilicet, istas tam magistrales distinctiones. Sed a CHRISTO didicit hoc suum Euangelium quod docuit: Ideo nihil potest ei cõuenire cum somniatoribus Sophistis.

Non intelligunt ergo uim Paulini argumenti, illius scilicet, si enĩ per legem iusticia, ergo gratis Christus mortuus est: isti qui dicunt, iusticiã & uitam obtineri, ab his qui faciant Decalogi præcepta: nec salutem, nisi per conditionem meritorum nostrorum obtineri. Finge enim ex omnibus unam, qui per Decalogi præcepta sit assecutus iusticiam & salutem, ei certe gratis mortuus est CHRISTVS: cui etiam necesse est Christum plane ociosum esse & inutilem. Sed quoniam uenit Christus populum suum saluare, a peccatis eorum: quo perueniet ille, cum uniuersis iusticijs suis, quem Christus non liberat a peccato, neq; seruit tali per sanguinis sui effusionem? Eijcietur haud dubie ex regno gratiæ, quia uoluit contendere cum DEO: & ueniet eo, ubi erit fletus & stridor dentium. Nempe, quisquis operibus suis tribuit, quod iusticiam & uitam illis mereatur. Illi enim necesse est Christum gratis mortuum esse. Sed ostendant nobis Sophistæ unum exemplum sui dogmatis: aut pudeat eos doctrinæ, cuius nullum exhibere possunt exemplum. Nos certe contrarijs exemplis abundamus: sicut liquet ex tota historia Euangelij. Adeoque ex illo ad Gal. ij. ne remotiora petam. Quod autem nunc uiuo in carne, in fide uiuo filij DEI: qui dilexit me, & tradidit seipsum pro me. Non abijcio gratiam Dei. Si enim per legem iusticia: ergo gratis mortuus est CHRISTVS.

Quinetiam Deus maledicit gloriæ carnis: isti arroganti & impiæ, qua homines in ullam rem fiduciam cordis sui ponunt, præterquam in Deum, & beneficia gratiæ eius, & ubi ipse sperare iubet. Vt habemus Hieremiæ xvij. Maledictus uir, qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, a DOMINO recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non uidebit cũ uenerit bonum: sed habitabit in siccitatibus in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Quanto magis maledicti sunt coram Deo, qui oblatum gratiæ beneficium contemnunt, abijciunt & repudiant? ut potius confidant in iusticias rationis, quam in filium DEI, Christum. Imo qui uolunt iudicio contendere cum Deo: & meritis operæ suorum certare & paria cum gratia facere? Nihil est enim quod

Gloria carnis maledicta

Sophistas hac in parte excusare possit, prorsus em̄ nullum honorē, per fiduciam cordis, Deo & redemptori Christo habent. Quia in opera sua, & merita iusticiarum carnis, quæ fingunt, fiduciam ponunt, cum DEVS saluet nos per gratiam suam & redemptorem Christum: & hoc nomine uelit glorificari & celebrari a nobis, exclusa om̄i gloria carnis. Et huc facit alius locus, qui est apud Hiere. capite ix. & a Paulo citatur prima Cor. i. quem ut notum in pręsens relinquam.

Vicit igitur amplitudo bonitatis & misericordię DEI, & filius Dei traditus est pro nostris peccatis: & requirit hæc gratia, ut per fidem agnoscamus & recipiamus eam, & per fidei confessionem laudemus & glorificemus: Ac liquet ex illo non posse in eorum numero esse aut haberi eos, qui iusticijs suis saluari quærunt, quo beatos prædicat Hieremias propheta, loco quem supra citaui, ubi hæc leguntur. Benedictus uir qui confidit in domino: & cuius fiducia est DOMINVS. Erit enim sicut arbor plantata iuxta aquas &c. Quare perpetuo florebit, & beatus erit in domino Christo. Nam CHRISTI nomē datum est nobis: in quo oportet nos saluari. Dicant igitur Sophistæ, quomodo per solius gratię & propiciatoris Iesu Christi fidem saluemur & beati simus: si non absq; merito operum nostrorum?

Attendenda est igitur Euangelij doctrina, quæ cum testetur Christum traditum esse pro nostris peccatis in mortem, id haud quaquā frustra factum esse: nimirum, quia per iusticias suas nemo potuit saluari a peccato & a morte. Neq; enim possibile est CHRISTI mortem eo loco gloriam habere, ubi est tanta operę nostrorum gloria, ut ea a peccato & morte liberemur: & contra nulla penitus gloria operibus nostris esse potest, ubi regnat Christi gloria. Fructificat ergo Christus in illis ad iusticiam & possessionem uitæ æternæ, qui credunt in eum. Huc facit illud Pauli Ephes. ij. Gratia enim estis saluati, per fidem: & hoc non ex uobis. Dei enim donum est, non ex operibus: ne quis glorietur.

In hac breuissima sententia de gratia, sunt sex uniuersales exclusiuæ: quas omnes Paulus direxit in confusionem eorum, qui meritis operum suorum quærunt saluari, & iusticias rationis locant in parte effectiua iustificationis, & impetrationis ęternæ uitę. Prima est, quæ dicit: Gratia enim estis saluati. Hæc saluationem nostri totam fert acceptam diuinæ gratiæ: hoc est, misericordiæ DEI, remittenti nobis peccata nostra, & liberanti nos ab æterna morte, per CHRISTVM. Secunda: per fidem. Hac ponitur caussa adprehensiua saluationis. Gratia enim relatiue requirit fidem: & fides promissionem gratiæ adprehendit, & seruatorē Christum in cor suum includit, & precium pro peccato & pignus æternæ uitæ: Imo ipsissimam uitam. Tertia: & hoc non ex uobis. Hæc est exclusiua operum nostrorum, ne quis suis iusticijs tribuat, meritum seu effectum

Gratia.

Fides.

Exclusiua operū nostrorum.

fectum saluationis. Quarta: DEI em̄ donum est. Quod oportet gratuitū esse aut non est donum, sed debita merces. Quinta: non ex operibus. Si enim ex operibus nostris ullo modo iusticia cōtingeret, gratia non esset gratia: & haberent iusticiarij, quo sua opponere gratię possent, cum summa iusticiæ laude. Sexta: ne quis glorietur. Sed cur non debeat̄ pars gloriæ iusticijs carnis, si per eas homo impius & peccator, mereri peccati remissionem & uitam æternam posset? Donum Dei. Sine operibus. Gloriatio exclusa est.

Aut igitur mentiuntur Sophistæ, & Paulus uera dicit: aut contra. Dic utrum uoles: nam alterum oportebit confiteri. Sed ad Pauli uerba, ut Apostoli ueridici Iesu Christi alligati sumus: & minime omnium ad fabulosa & inania commēta Sophistarum. Verum age ponamus & quādam Antithesim iam dictę sententię Pauli: si per eam collationem ueritas Euangelij clarius elucescat. Quanquam uix clarius potest dici. Continet igitur duas breues periodos Pauli sententia: quas inter se oppone, & redde singulis suam partem, & erit altera alteri clara ratio: In hunc modum.

Gratia enim estis saluati.	DEI enim donum est.
Per fidem.	Non ex operibus.
Et hoc non ex uobis.	Ne quis glorietur.

Credas fortassis me insanire optime lector, quod hęc quæ per se clara sunt in Paulo tam anxie, & propemodum curiose excutio atque expono. Verum surdis horum temporum cogor hæc ita inclamare, subinde repetitis uicibus. Quanquam metuo, ne hæc quoque frustra: non alia caussa, nisi quia surdis ad gratiæ prædicationem.

Sed erit fortassis, cui hęc proderunt. Hac spe non pigebit prędictis adhuc pauca quædam adijcere. Primum illud Roman. iij. Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu. Deinde illud Roman. iiij. Idcirco ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio. Quare si daretur condicionaliter salus, uidelicet propter merita iusticiarum nostrarum, Christus nulli prodesse posset: & uere inutilis esset promissio. Stante enim conditione legis nemo saluus fieri posset: quia ex actionibus legis nemo potest satisfacere. Est igitur abrogata per gratiā lex, ut aditus pateat ad saluationem, his qui promissionibus Euangelij credunt. Quod gratiæ beneficium non intelligunt necessarium fuisse, qui per opera sua saluari quærunt. Sed tales esse oportuit Euangelij promissiones, ut territas conscientias efficacissime in quibuslibet periculis consolētur. Neq̧ uero essent tales, nisi gratuitæ essent: & maxime firmæ his qui in Christum Iesum credunt. Si enim eos consolarētur tantum, qui priuatas operum suorum iusticias, & meritorias de condigno haberent, iam nullus usus esset promissionum neque Christi. Quia æque dubias relinquerent conscientias, atque si nullæ essent. Quis enim

legi satisfaceret unquam? Quis non periret desperatione salutis? Quia certissimum est, quod de perfecta iusticia & perfecta obedientia nemo potest gloriari. Quid enim quod pharisaei & hypocritae nunc aliter sentiũt, qui iusticiam DEI ignorant: adeoque semetipsos? Quos Deus nõ minus horribiliter perditurus est, quam eos qui palam flagitiose uiuunt, & sine poenitentia manent.

Addam etiam hoc testimonium ex Paulo Gal. ij. Nos natura Iudaei & non ex Gentibus peccatores. Scientes quod non iustificatur homo ex operibus legis: sed per fidem Iesu Christi. Et nos in Christum Iesum credimus, ut iustificemur ex fide IESV CHRISTI: & non ex operibus legis. Propterea, quod ex operibus legis nõ iustificatur omnis caro. Quot obsecro sunt in hoc uno testimonio exclusiuae & uniuersales? quas omnes Paulum constat contra eos posuisse, qui fingebant peccatores lege & operum suorum meritis iustificari. Ceterum facile esset omnes eludere & ridere, si parti legis cerimoniarum & iudicialium praeceptorum effectus iustificationis detraheretur. Posset enim dici: parum referre, etiamsi iusticiae gloriam non queant sibi uendicare homines per caerimonias Mosi: esse tamen, unde habeant uerã & solidam gloriam, nẽpe, opera Decalogi, longe praestantiora, & digna iusticiae nomine coram DEO: quibus ille praemium iusticiae denegare non possit, cum operator hac in parte habeat ius recipiendi, ac Deus debitum & necessitatem reddendi. Hoc est scilicet pulchre theologizare: & placet haec Theologia mundo, sed caeco & furioso: filijs Dei non placet: nec potest placere. Est enim supra modum blasphema. Hac enim stante, sequitur Paulum nihil prorsus docere: ipsumque de ocioso aut fabuloso CHRISTO concionari.

Addam & illud, ex Actis apostolicis, cap. xiij. Notum igitur sit uobis uiri fratrees, quod per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur, ab omnibus a quibus non potuistis per legem Mosi iustificari: per hunc, (Christum intelligit.) omnis qui credit iustificatur. Sed quid obsecro habet lex Mosi? certe moralia praecepta ęque, ut caerimoniarum instituta & politicas leges. Cur igitur uos Sophistae perpetuo torquetis ad partem, quod dictum est de tota lege? quo iure? Deinde, qua in re tam difficiles fuerunt caerimonię, ut nemo potuerit illis satisfacere & iusticiã mereri? Nam Paulus difficultatem, imo impossibilitatem allegat, ubi caussatur neminem potuisse per legem iustificari. Ac citat non caerimoniale praeceptum: sed quod est difficillimum, imo prorsus impossibile in iusticia morum. Videlicet, praeceptum de non concupiscendis rebus, lege prohibitis: quo exigitur a nobis perfectissima puritas & mundicies cordis. Roman. vij.

In summa, nulla sunt opera, & nulli cultus, per quos iusticiã mereamur,

mur, aut salutem. Non est ergo cur speremus ęternam foelicitatem, nisi per fidem gratuitæ misericordiæ DEI, propter Christum: Qui traditus est propter delicta nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri. Roman. iiij. Cæterum aduersarij gratię audacter satis derogant cærimonijs Mosi effectum, seu meritum iustificationis: Cærimonias autem Papæ & monachorum cum quanta prædicant maiestate? ut etiam istis ridiculis cultibus tribuant summa, & primas in omnibus. Quasi meliores sint cærimoniæ papisticę, quam Mosi: aut quasi non possent obseruari cærimonię Mosi absque peccato, cum tamen sabbati cærimoniam aliquo modo retineamus. Papę uero non seruentur nisi cum pręmio iusticię summo. Quis hic putas Satan lateat? nisi quem Christus exagitat, in hypocritis, suarum iusticiarum iactatoribus, ambitiosis & auaris. Vę uobis, inquiens, qui comeditis domos uiduarum: orationes longas orantes. Quantum enim est tandem in papisticis cæremonijs, etiam religiosissimorum monachorum, quod non alat inertes & maximam uanitatem? adeoque non pascat auaros, uentres & ociosos, & ambitionem non conseruet? Denique, quod omnium tristissimum est, faciens uidelicet ad uerę in Christum fidei oppressionem?

BREVIS RESPONSIO, AD EAS SENTENTIAS *scripturæ, quæ ab aduersarijs ferè citantur, contra fidei doctrinã: de gratuita nostri per Christum iustificatione.*

CAeterum, quod aduersarij doctrinæ de gratia, ingentem copiam sententiarum scripturæ, de præceptis operum, cum ex ueteris testamenti libris, tum ex noui, congerunt & nobis opponunt: ut quibus uideri uolunt, se doctrinam de merito operum ruentem, imo collapsam, fulcire, erigere, & in pristinum statum, quē obtinuit semper, apud perfidos fidei hostes, restituere: nihil efficiunt eo labore, nisi quod se magis magisque implicant, ac produnt quam male affecti sint, & male sani in fide Christiana. Vt clare intelligi possit, quid tribuant gratiæ & Christo: nimirum, prorsus nihil. Et contra, quod iusticijs operum suorum, rem saluationis totam ferunt acceptam. Quod hactenus multis & non obscuris argumentis ostendi. Oportet enim ut fateamur nos saluari per solam gratiam, propter CHRISTVM, quatenus in illum credimus: quod qui non agnoscunt, neque confitentur nobiscum, eos oportet in numero eorum habere, qui gratiam, Euangelium & Christum negant, & fidem Christianam, ut rem inutilem & uanam rident. CAP. VI.

Esto igitur, sint infinitæ leges operum: & multę comminationes adiectæ, contra transgressores legis: adeoque seruantibus legem multa præmia promissa. Quid tum? num per legem iustificamur? Nonne Euangelium est iustificationis doctrina? Hęc uero testatur, quod fide, per misericordiam, propter Christum iustificamur: & diserte addit illas exclu-

siuas, gratis, sine lege, sine operibus iusticiæ nostris. Cur igitur cogor ab hac doctrina deficere? filium DEI pedibus proterere? & sanguinem testamẽti ducere pollutum, quo sanctificati sumus? & spiritui gratiæ cõtumeliam facere? Legem pro doctrina iustificationis & saluationis habere? Nulli Diocletiani audacius & truculentius sæuierunt in fidẽ Christianam, atque isti qui hoc postulant. Postulant aũt Episcopi: ut a quibus hoc tempore Euangelij doctrina damnatur & proscribitur: & doctores Euangelij, tanquam nocentissimę pestes e uiuis tolluntur. Idem agunt nonnulli principes: cum caussam neq; cognoscant neque intelligant: & uelint tamen pro Christianis haberi. Sed si satisfaciunt legi homines suis operibus, & illius obedientia saluantur: cur non aboletur in totum CHRISTI nomen? Sed regnat ille, securus in cœlis: & nihil moratur istos, qui in nomen glorię ipsius inaniter sęuiunt in his terris: quos olim reuocabit ad tribunal iudicij sui, ac reddet ipsis quod promeruerũt.

Quin igitur CHRISTO suam gloriam tribuimus: aut fidem & Ecclesias penitus euertimus, reducto Iudaismo, cum omnibus Mosi legibus, iudicialibus, cęrimonijs, et difficultate Decalogi, si uidetur quod legibus iustificemur? At si fide iustificamur, propter Christum, sinant quæso placati gratiam regnare: quod alioqui inuiti cogentur facere, quã diu manet Christus. Est autem rex æternæ gloriæ: & regnum eius durat sine fine.

Certum est ergo, quod doctrinæ gratiæ & fidei in Christum nihil intelligunt, qui operibus nostris tribuunt, quod illis coram DEO iustificemur. Ac ne intelligunt quidem legis doctrinam: nam si hanc intelligerent, non possent cum tanta cæcitate Euangelio aduersari. Primum enim transferunt in se Christi gloriam, qui meritis operum suorum saluari quærunt: quia solius Christi est iustificare impium, & saluare a peccato & a morte. Deinde legem pharisaice intelligunt, quasi de sola externa operum iusticia præcipiat: & quia existimant hac externa obedientia legi satisfieri, contendunt iustos pronunciari coram DEO, qui illam habent. Tales autem manent sine uera cognitione peccati: & ideo nec fidem remissionis peccati ueram habere possunt. Sicut hoc tempore tribuunt Christo, quod pro originali satisfecerit: oportere autem sua quemq; operum iusticia saluationem mereri, peccata expiare, & pro pœnis peccati satisfacere. Istos pharisaicos errores ex animo detestamur & execramur: & docemus quod sola fide gratuitæ misericordię DEI, propter Christũ iustificemur, hoc est, a peccato & morte liberemur. Quod nullam unquam peccatorum remissionem aliter accipiamus, quam per fidem in Christum: neque pertinere opera nostra ad satisfactionem pro peccato & illius pœnis. Vna eñ mors Christi, est precium illud, quo satisfit, pro culpa & pœna: pro peccato & æterna morte.

Hanc

Hanc confessionem fidei nostrę uolumus extare: ne tacẽdo reprobis, & perfidis fidei Christianę hostibus, consentire uideamur. Dicit quidẽ scriptura: Si uis ad uitam ingredi serua mandata. Item, Venite possidete regnum: esuriui enim & dedistis mihi manducare. Sicut est talium sententiarum scripturæ magnus numerus, & ingens copia: quam nõ ignoramus. Neque officit caussę huic nostrę, uel potius glorię Christi, quã tuemur: sine qua nec Ecclesię salus esse potest. Quæ est hęc consequentia: obedientia requiritur a renatis, igitur obedientia saluat? cum renati adpellatio restetur neminem, saluari nisi per gratię fidem: quanquam illi sint debitores glorificandę uoluntatis Dei.

De sententijs operum, quo modo intelligi debeant.

Hæc uera est: obedientia requiritur, ergo rebellio damnat. Habet enim manifestam causam: uidelicet, Dei contemptum. Rebelles enim & immorigeri contemnunt DEVM: & satis liquet, quod tales nec fide gratię prędití esse possunt. Quomodo igitur saluari possent, cum iusticia fidei & effectu iusticię, seu fructibus fidei, qui sunt bonorum operum, & obedientię erga legem, destituantur? Est igitur necessaria obedientia nostra: & bona opera fidem sequi debent. Quanquam illa obedientia, & illis operibus, nemo iustificetur, aut saluus fiat coram Deo: sed mercedem aliam laboris accepturus est. Quam non debent affectare, qui credunt Euangelio & bene operantur: ne magis spectare uideantur mercedem recte operando, quam DEI uoluntatem: siue quam diligant Deũ, pro cuius nominis gloria uelint bene operari, etiam si nulla merces operum sequeretur: & tunc sua sponte sequetur merces & pręmium laborem. Quod nunquam accepturi sunt, qui præmium operando quęrunt. Tales enim non diligunt Deum: sed mercedis gratia perueniunt ad opus, reuera fidei gratię & Iesu Christi inanes.

Igitur in priore consequentia, opera obedientiæ nostrę non dicuntur recte caussa saluationis: Nam etiamsi aliquam obedientiam præstemus, quam adprobat DEVS, tamẽ propter aliud seruamur: nempe, per gratuitam misericordiam Dei, propter Christum, si tamen credimus. Nec obedientia illa nostra posset placere Deo nisi per fidem prius in gratiam recepti essemus. Nemo enim satisfacit legi: & omnes iusticię nostrę sunt immundę atq; imperfectę. Ignoscit autem Deus immundicijs nostris, & si quid minus perfecte pręstamus, id non reputat nobis in peccatum, quatenus credimus in Christum: Roman. viij. Quanquam requirit ut studeamus proficere, & de die in diem fieri meliores, per obedientiam operis nostri. Sed idem requirit hoc quoque, ut in fide gratię permaneamus. Hęc uero fides longissime abest ab hac impia opinione, quę statuit, salutem per opera nostra quęrendam esse: seu totaliter, seu partialiter. Non enim nisi per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluamur & beati sumus, redempti a peccato & morte, credentes in eum: sine lege

& sine iusticijs nostris. Placent autem Deo & opera nostra: sed quę in fi de reconciliationis & nominis Iesu Christi pręstamus.

Fide sumus iusti: quę est efficax dilectione.

Paulus affirmat, nos fide iustificari, cum alias, tum Roman. iij. & dicit eam fidem efficacem esse dilectione. Gal. v. Et tamen hęc sententia nullam incommoditatem habet: qui posset enim sibi pugnare Apostolus Christi in doctrina: prędicare gratiam, & gratię detrahere? Ac miror Scholasticos, cum alioqui dialecticen egregie calleant, hic uidere non posse, quid Paulus dicat. Testatur enim nos fide iusticari: & ideo hanc facit causam adprehensiuam salutis. Et alijs in locis pronunciat, eã fidem, esse efficacem per dilectionem. Quo non docet deficere a fide: sed uult eam retineri, qua profitemur, quod saluatio gratis nobis contingat, per misericordiam, propter Christum: quatenus Euangelio, de hac gloria gratię dei, & redemptoris Christi, concionanti credimus. Sed loquẽdo de effectu fidei, qui inter alios pręcipuus quidam est dilectio, discernit eam a fide ficta, a frigida & mortua rationis opinione. Neq; enim est uera fides in illis qui sunt uacui omni dilectione, & sine poenitentia uiuunt. Iuxta illud .i. Timoth. i. Finis pręcepti est charitas, ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Hæc retinet ergo, caussam salutis in corde, & agnoscit, quod per gratiam, propter Christum iustificamur, & soluti pronunciamur a peccato & ab ęterna morte. Ideo hęc oratio, fide iustificamur melius intelligi poterit, si mutetur in eius correlatiuam, uidelicet, illam: per gratiam, seu misericordiam iustificamur. Sicut eruditissime & sanctissime docet, uir clarissimus & doctissimus Philippus Melanchthon. Per gratiam enim, seu misericordiam DEI remittuntur nobis peccata nostra: & reputamur illa eadẽ gratia iusti, propter iustificatorem Christum: per cuius sanguinem abluti sumus a peccato, quatenus credimus. Ab hac sententia cadunt Sophistę: & pręterita ac tacita, (uel etiam dissimulata) caussa iustificationis, fingunt nos effectibus iusticię, hoc est, fidei fructibus iustificari: pudendo tantis magistris errore.

Itaque nulla in re nobis cum istis doctoribus in prędicatione de iustificatione potest conuenire. Quia enim somniant, quod effectibus iusticiæ, seu fidei, iustificemur, ideo opinantur, iusticiam actiue significare nostras qualitates & uirtutes: & impium seu peccatorem suis iusticijs & meritis saluari. Verum hac summa impietate tribuunt homini iusticiæ laudem, qua in re nulla ei debetur: gratiam negant, & CHRISTO IESV iustificatoris officium, quantum in ipsis est, derogant. Denique si quibus suas impias opiniones persuadent, eos deijciunt in profundum inferni: qui iusti, salui & beati esse potuerunt in regno gratiæ filij DEI. Ideo sæpe docui, iusticiam qua coram Deo salui & beati sumus, non significare actiue nostra opera bona: sed passiue, nostri peccati remissionem, &

nem, & iusticiæ gratuitam imputationem. Hac enim gratię iusticia donati sumus benignissima liberalitate misericordiæ a DEO, propter iustificatorem CHRISTVM: si tamen in illum credimus. Itaque relinquitur, iusticiam qua coram deo beati sumus, non esse in nobis: hoc est, non esse operum se meritorum nostrorum iusticiam. Sed esse extra nos, & alienam, uidelicet Christi, & in Christo Iesu: qui factus est nobis a DEO sapientia, & iusticia, & sanctificatio, & redemptio. Vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur. i. Cor. i. Nō licet igitur hanc spei fiduciam in carnales iusticias operum nostrorum ponere: quasi illis iusticiam coram Deo, & uitam æternam mereamur.

Iam si hæc sententia, (fide sumus iusti: quæ est efficax dilectione.) nihil potuit incommodare illi doctrinæ, quę est de nostri saluatione, gratuita illa, qua pronunciamur beati, fide per Christum: sed utrunq; retinetur, & fide opus esse ad saluationem, & obedientiam, plenā bonorum operum, seu dilectionis, requiri a fide iustificatis & saluis factis, tanquam iusticiæ fidei effectum: (requiritur enim uera & efficax fides, non mortua opinio.) quæ alia sententia doctrinę poterit nobis aduersari? Omnis enim operum iusticia, debet esse effectus fidei: aut non potest DEO placere. Habēt autem summam impietatem & blasphemiam opera, quæ fiunt hac mente, ut illis remissionem peccati, iusticiā & uitam æternam merearis. Aut possunt ne monstrare nobis aduersarij nostri, Euangelistas & Apostolos pugnare sibi in prædicatione fidei & bonorum operum? Tam enim gratiæ fidem, quam bona opera prędicant: necesse est ergo, ut sic prędicent opera bona, ne gratię fides non maneat salua. Paulus non minus agnoscit hanc suam uocem: arbitramur igitur iustificari hominem, per fidem, sine operibus legi. Item illam: iustificati gratis, per gratiam ipsius, per redemptionem, quę est in Christo Iesu? (Imo hanc omnium maxime uult extare, & credi ab Ecclesia: ut cuius solius fide, iusticia & æterna salus obtinetur.) atque illam: factores legis iustificabuntur, siue hanc: qui redditurus est unicuiq; iuxta facta sua. Aut denique similem aliam. Has pugnantias, (quæ finguntur esse: non sunt.) si nesciunt concordare aduersarij, cur non ex hac harena disputationis de gratia & iustificatione discedunt: & ignorantiam suam fatentur potius, quam gloriæ CHRISTI detrahunt? Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis.

Qui igitur cauillantur, impium non iustificari sola gratię fide: obstare enim, quod Christus dicit, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Securus esto ac certus, quod isti ne syllabam quidem unam intelligant in doctrina de iustificatione Christiana: neque posse te aliquid bonorum operum docere. Sed hypocrisim operum tantum, & impiū pharisaismum. Aut certe prudentes, ac dedita opera malos esse: tacere & ob

scurare Euangelij ueritatem, & gloriam CHRISTI. Requirimus et nos legem, seu opera bona, in prædicatione: sed finibus ab aduersarijs uariamus. Isti enim docent, quod operibus de congruo, habitum infusum quem adpellant dilectionem, mereamur: & per illũ habitum, & sequentia opera legis, uitam æternam de condigno. Hoc uero est fidei doctrinã funditus euertere: quæ testatur, quod gratis, per misericordiam, propter Christum, saluemur, sine lege, & sine iusticijs nostris. Ideo nos discernimus inter legem & Euangelium: (quæ duo apud Sophistas fœdissime confunduntur: imo corrumpuntur.) & diserte pronunciamus, iustificationis doctrinam & saluationis, esse Euangelium: quo docemur de gratia erga nos DEI, de remissione peccati, iustificatione, fide & æterna uita. Contritionis autem, seu pœnitentię, & bonorum operum doctrinam, quæ nos prę stemus, gratificantes DEO, qui nos uocauit in gratiam suam, per unigenitum filium suum, Dominum & seruatorem nostrum Iesum Christum, esse legem, & hac nos erudiri, quomodo fidem oporteat exercere, crescere & fructificare in illa externa iusticia operum bonorũ. Quę non ualet nisi ex fide procedat. Est enim imperfecta, ideo non potest esse accepta coram Deo, nisi in illis, qui credunt sibi peccata, omnes immundicias & defectus remitti, propter CHRISTVM.

Coniunge igitur fidem operibus nostris, & nihil incommodabunt, omnia illa præcepta de moribus & iusticia nostra, doctrinę de misericordia erga nos DEI & gratię iusticia. Christus igitur, ubi dicit, si uis ad uitam ingredi, serua mandata, illi loquitur necessario, quem oportet ante omnia uera in DEVM & saluante fide prę ditum esse. Remittens autem talem, ad legem testatur obedientiam bonorum operum necessariam esse, non quod illis remissionem peccati & uitam æternam merearis: sed quia necesse est, ut uera & efficaci fide sis prę ditus, non frigida opinione seu noticia literę credendorum. Proinde nostra fide perpetuo retinemus, quod nulla alia re coram Deo, iusti, salui & beati sumus, prę terquam sola fide misericordię Dei, propter Christum. Credentes autẽ necesse habemus, ut fidem exerceamus & glorificemus DEVM. Non potest eludi dictum Christi, quin fateamur obedientiam necessariam esse. Dicitur enim Matthæi xxv. Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: Esuriui enim & non dedistis mihi, quod manducarem. &c. Sed illa obedientia placet in solis illis qui Euangelio credunt: neq; potest placere in illis, qui meritis operum suorum, quę esse fingunt, arrogant debitum æternę uitæ. Non enim sic necessaria est operis boni obedientia, ut impium iustificet, seu liberet a peccato & a morte: sed ut iustificatum, saluum factum, & credentem exerceat. Saluamur eñ per misericordiam, propter CHRISTVM, quatenus credimus, iusti & salui facti glorificamus per opera bona Deum.

Locus Matth. 19. Si uis ad uitam ingredi.

Porro

Porro, eadem CHRISTI sententia, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata: reuocat omnes hypocritas ad legem, ut ibi discant & experiantur, quam est impossibile carnali naturę, omnia legis facere, operibus iusticiam & uitam mereri. Sicut testatur factum adolescentis, cui hæc uerba primum a Christo dicta sunt. Nam cum reuocaretur ad abnegationem omnium rerum a CHRISTO, tristis discessit ab eo: neque secutus est Christum. Et tamen abnegationis perfectissimæ omnium rerum omnes debitores sumus: quam tamen impossibile est prębstari a carnali natura. Quare hac caussa opus habemus Christo, qui nos liberet a peccato & condemnatione: sic autem oportet Christum adprehendere, ut iustificatorem nostri a peccato & liberatorem ab æterna morte. Postea certe aliqua obedientia sequi debet: qua uidelicet exerceamus fidem & partem facultatum nostrarum in pauperes distribuamus, & reliqua officia dilectionis faciamus. Qui enim habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum egere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo? i. Ioan. iij.

Itaq; eadem sententia aliter loquitur iustificandis & aliter iustificatis. Iustificatos enim admonet officij sui: & hortatur, ut operibus dilectionis, uelint fidem suam exercere & confirmare. Iustificandis prædicat impossibilia. Hic igitur alius finis spectari debet, cur obedientia erga legem perfecta ab omnibus requiratur: cum tamen nemo illi satisfacere possit. Debet enim lex omnibus demonstrare peccatum, adeoq; iram aduersus peccatores: ut omnes uere humiliet [illegible]oram Deo, ne superbe de se & iusticijs suis carnalibus sentiant. V[illegible] intelligant se redemptore Christo Iesu opus habere: qui unus om[illegible]iustificat et saluat a peccato & a morte: quatenus in ipsum credunt. H[illegible]ntia lex facit primum ad cognitionem nostri peccati, & imbecill[illegible]stræ, ad præstādum perfectam & debitam obedientiam. Deinde p[illegible]dicat, qualibus iusticiæ operibus DEVS ab his, qui crediderunt Euangelio, glorificari uelit. Euangelium enim exhibet eum, qui exactioni legis pro nobis satisfecit: nempe, CHRITVM. Et testatur iusticias nostras acceptas esse & gratas Deo, quatenus in fide nominis Christi illas præstamus. Non autem placere Deo, quatenus ab incredulis fiant. Nec prædicat alia opera, nisi quæ in lege decalogi per Mosen sunt præcepta. Neq; enim requirit deus alia: quanquam aduersarij nostri etiam fingāt nos debitores esse, quarundam impijssimarum traditionum Episcopi Romani. Cui quis deditius condendi leges in Ecclesia?

Sed charitas est maxima uirtus? sane quidem. Nam reuera est maxima uirtus: nempe, legis plenitudo. Roman. xiij. Gal. v. Sed quis est perfectus in charitate? Quorsum ergo ruis amice, qui propter summam uirtutem, quam nemo omnium hominum habet, arroges carnalibus *In locum .i. Cor. 13. de charitate.*

iusticijs nostris, meritum remissionis peccati & uitae ęternae? Esto perfectus in lege, & imple omnia quae sunt dilectionis: & tunc poteris recte gloriari, tibi frustra mortuum esse CHRISTVM, prius non potes. Ac rursus, non sic est legis plenitudo charitas, quasi operibus dilectionis nostris, quantumcumque perfecte praestes illa opera, legi satisfiat. Semper enim infra perfectionem debitae iusticiae manemus: & indigemus alio legis impletore, qui pro nobis satisfaciat, ac liberet nos a maledictione. Gal. iij. Pone igitur priorem impletionē legis, quę facta est a CHRISTO: & efficitur nostra per gratiae imputationem. Qua his qui credunt in Christum remittuntur omnia peccata: omniq; debito legis absoluuntur. Finis enim legis CHRISTVS est, ad iusticiam omni credenti: Roman. x. Et tunc adde charitatem: hoc est, legis impletionem effectiuam, nempe, tuorum factorum & operum, seu obedientiae: & erit grata seu accepta DEO. Quanquam adhuc imperfecta, in se, ideo absque fide non potest placere Deo. In fide autem praestita, satis perfecta est: & placet Deo. Non ut opus meritorium gratiae & uitae aeternae: hoc enim opus non potest praestari in fide. Sed ut iusticiae fidei fructus: quo credens glorificat DEVM & patrem suum, qui est in coelis. Itaque credentes implent legem, per fidem: deinde per dilectionem, qua fidem exercent. Et charitatem retinentes, in nullo peccare, uel leuissimum erratum admittere possunt. Quot uero esse putas, qui in omnibus seruent charitatem?

At uero charitas est maior omnibus uirtutibus: & ipsa adeo fide & spe? Audio. Esto, sit maior: quid tum? Ergo beatiores erimus per charitatem, quam per fidem: aut certe, non sola fide saluabimur? Imo uero, nec beatiores erimus coram DEO per charitatem: quantum attinet ad impetrationem saluationis. Nec charitate, fidei coniuncta, tanquam partiali causa iustificationis, saluabimur. Quia Deus uoluit nos alia re beatos efficere, quam per nostram dilectionem: nempe, per dilecti & unigeniti filij sui mortem. Ideo in saluando, non respicit ad actiones & opera nostra: sed ad suam misericordiam & bonitatem, qua nos impartit, quatenus credimus in eum, propter CHRISTVM. Itaque maior quidem est charitas, hoc est, operosior, & plurimorum fructuum, fide & spe. Opinor, si respicias ad dilectionis negociosissimos, operosissimos & infinitos labores: & contuleris illos, cum fidei tranquillitate, ocio, (ut ita dicā.) silentio, & quiete. Quid enī operatur quisquis uere in DEVM credit? Nihil plane, nisi quod omnes suas curas a se deponit, & tranquillissima mente, animi summa alacritate & fide, seu fiducia, reponit illas, ac transfert in DEVM, maxime securus aeternae uitae & beatitudinis in Deo propter Christum. Sinit enim quisquis uere credit, DEVM pro se operari: & disponere sibi uitam aeternam: ipse plane ad eam

rem nihil operis seu laboris sibi sumens. Sed si conferas inter præstantiam effectuum fidei & charitatis: charitas erit longe infra fidem. Primũ enim, quia est imperfecta, saltem nostra charitas: perfecta quidem præcepta est, sed qualem nemo præstat. Nec potest esse grata DEO, nisi ex fide in CHRISTVM fluat. Fides autem perficit credentes: & æternum beat. Quinetiam sola uincit terrores peccati in conscientia & legis: adeoque peccatum ipsum & ęternam mortem. Denique est petra illa, aduersus quam non præualebunt, nec portæ quidem inferorum. Matth. xvi. Horum nihil præstat nostra dilectio: tantum habet plurimos fructus, per quos glorificatur a nobis Deus, & caro subigitur, & seruitur proximo. At fides habet ampliores.

Sed si charitatem nõ habeam, nihil sum: etiamsi linguis hominum loquar & angelorum &c. prima Cor. xiij. Reuera ac prorsus nihil: adeo ut nequeas saluari. Neq; tamen sequitur saluationis caussam esse dilectionem nostram: tametsi nostra rebellio & inobedientia, est condemnationis caussa. Quemadmodũ utrumq; horum, ab initio huius loci, satis clare exposui. Ac ne fides quidẽ aliquid homini prodest, si absit charitas. Non quod charitas fidem perficiat: sed quia est uerę fidei effectus. Vt testatissimum sit, nec fidem adesse ubi abest chariatas. Ille igitur qui destituitur charitate, quisquis sit, nihil est, & nullus in regno DEI. Sed hoc quoque obseruandum est, nec dilectionem ueram haberi posse nisi ab his, qui uera in CHRISTVM fide sunt prædití. Impossibile est enim legem & proximum uere & constanter amari a te, nisi prius intelligas, scias atque credas, DEVM tibi reconciliatum esse, remittere peccata & donare uitam æternam, propter Christum. Fac igitur primũ adesse in te ueram fidẽ, quæ statuat q; gratis per misericordiam, propter Christum, sine lege, & sine meritis operum tuorum, iustificeris & saluus efficiaris coram DEO: & deinde adiunge illi fidei dilectionem, tãquam eius proprium effectum ac fructum, quem gignit: & quo credentes glorificent Deum, sint grati, exerceant & confiteantur fidem, subigant carnem, & seruiant proximo, & procedent eo modo belle & pulchre omnia in doctrina Christiana.

Fons & caussa dilectionis fides

Verum illæ de operibus sententiæ, obijciuntur nobis ab aduersarijs nostris, non quod dilectionis & operum bonorum sint tam studiosi & amantes: sed in gratiæ & fidei contumeliam. Nomen enim & gloriam CHRISTI oderunt, ut maxime ne ipsi quidem hanc impietatem & maliciam animi sui satis intelligant: quare necesse est, uera dilectione eos destitui, quia fidei in CHRISTVM repugnant. Neq; eñ contingit spiritus sanctus, nisi per fidem in Christum: Gal. iij. Ille uero ubi contigerit diffundit in cordibus nostris charitatem. Roman. v. Ergo sit ter maxima uirtus dilectio, (sicut reuera in omnibus est summa.) & præstet

atque excellat multis modis fidem, & nemo carens dilectione saluus effi ciatur, ut iam antea dictum: tamen beneficium saluationis non obtinetur charitatis merito, sed per fidē in CHRISTVM. Caeterum aduersarij nostri, perpetuo tribuunt dilectioni, quod per solam fidem obtinetur. Id nos detestamur in eorum praedicationibus & doctrina, tanquam summam blasphemiam in gratiam & Christum filium DEI. Christus enim est precium pro peccato & morte, adeoque pignus ęternę uitae: imo ipsissima uita et salus, omnibus qui in eum credunt. Neque tamen hinc colligimus, nullam operum bonorum obedientiam sequi debere, eos qui fide iustificati sunt & salui facti. Melius enim erudit nos gratia. Timoth. ij. Multo minus probari poterunt Deo, in quibus est, quaedam ferina & bestialis uita: ut taceam, quod qui huiusmodi sunt ipsa quoqne fide careant necessario.

Ergo si mihi obieceris illud Matth. xix. Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. Siue illud Daniel. iiij. Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas beneficijs ergo pauperes, semper ita responderim: serua mādata, & redime peccata in Christo, seu fide in Christum, in te regnante. Et sic de similibus alijs scripturae sententijs omnibus, quae remissionē peccati & saluationem uidentur conditionaliter promittere, si uidelicet legis iusticias praestemus, pronunciarim. Lex enim non potest ualere contra Christum: sed CHRISTVM subsequi, illiq; seruire debet. Praecedit quidem Euangelij praedicationem: sed ut contritionis non ut iustificationis doctrina. Et tunc quidem rigidissime agit, accusans ac damnās peccatores: quia iusticijs legis nemo est, qui possit satisfacere. Hoc ius legis, illud onus & exactio, & nimia quasi crudelitas erga infirmam naturam, abrogatur a Christo per Euangelium: in quo est iustificationis doctrina. Iusticia enim qua saluamur, non est actionum, seu operationum & uirtutum nostrarum: sed est tota in remissione peccati & delictorum nostrorum: quam accipimus quidem, quatenus per Euangelium in Iesum Christum credimus. Eos autem, qui Euangelio credunt, sequi debent opera bona quae in lege requiruntur: sequi autem, ut iusticiae fidei fructus. Quorum alius finis spectari debet, quam est quaerere remissionem peccati & ętemam uitam per opera: ne contra Euangelium, & contra fidem in Christum sentire reperiamur. Finis igitur sit, ut Deum, tanquam gratias referentes, in omni uita nostra glorificemus. Atque ita quidem sequitur lex Euangelium: & subseruit Christo, bonorum operum doctrina: famula & ministra, non domina Christi. Debent enim, qui fide iustificati sunt, & salui facti, sese exercere in lege & operibus bonis: & eo modo crescere in iusticia & confirmari. Non est ultra exactio lex, & onus.

Ita igitur redime eleemosynis peccata tua: sed prius placato tibi Deo

per Chri-

per CHRISTVM. Neque tamen rursus hæc ita redemeris eleemosy-nis, tanquam opere satisfactorio pro peccato, seu illius pœnis: siue reli-qua obedientia erga legem, tanquam causa partiali iustifiationis, pro-pter quam peccati remissio, seu uita æterna donetur. (Satis enim docui perspicue, hanc impiam opinionem pugnare cum Euangelio & fide in Christum.) Sed tanquam signo exteriore remissionis peccati: quæ con-tigit nobis coram DEO, propter Christum, quatenus in illum credidi mus. Idcirco enim requirit Deus, ut hanc fidem bonis operibus exercea mus & confirmemus, ut intelligas, esse in his qui Euangelio credunt, exercitia fidei & testimonia gratiæ: non merita saluationis. Pertinent igi-tur opera ad confirmationem conscientiarum nostrarum, de remisso peccato, per CHRISTVM: quia, nostro iudicio & capacitate ratio-nis, non aliunde facilius deprehendi, aut certius cognosci, quãdo in gra-tia simus & uera in CHRISTVM fide prędit, potest, quã per obedien tiam in operibus bonis. Est quidem & pax cordis certum testimonium iu stificationis nostræ, quæ fide contigit propter Christum: sed internum. Opera autem bona sunt eiusdem rei externa signa & testimonia: sine qui bus pax interna cordis nõ potest consistere, retineri aut permanere. Nõ quod fiducia cordis hæreat in operibus nostris, ubi saltem pia est: hæc enim tota est in promissa gratia & seruatore Christo. Sed quia firmum est & certũ, quod qui prædit sunt uera fide, eos etiam sequi pœnitẽtiam externam & conuersionem ad Deum, fugam operum malorum, & di ligentiam ad bona opera. Ita quidem non potest retineri pax cordis ab eo, qui carnalibus desiderijs indulget, & suas impias cupiditates explet, & nullis operibus bonis studet. Habet enim semper conscientiam ad-uersantem sibi & accusantem de peccato, & urgentem ad desperationem. Ideo in hoc meo scripto frequenter docui, ueram fidem non posse consi-stere cum peccatis mortalibus: neq; esse in illis qui sine pœnitentia ui-uunt. Quemadmodum & Paulus docet. Finis pręcepti est charitas: ex cor de puro, conscientia bona & fide non ficta. 1. Timoth. 1.

Signa exteriora, quibus aliquo modo deprehendimus, nos esse in gratia.

Matthæi v. præcipit CHRISTVS: si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te: re-linque ibi munus tuum ante altare, & uade ac reconcilieris prius fratri tuo, & tunc ueniens offeras munus tuum. Et Lucæ. vi. dicitur. Remitti-te, & remittetur uobis. Et in oratione iubemur precari: remitte nobis de-bita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Neq; tamen se-quitur, quod offerẽs munus post reconciliationem & placatum fratrem: aut remittens alij culpam, quam aduersum se commisit: mereatur istis o-peribus, remissionem peccati & saluationem. Quia remissio peccati, & salus illa æterna, de qua in hac nostra disputatione agitur, sunt gratuiti doni beneficia: in eos uulgata, per misericordiam DEI, propter Chri-

stum, qui in illũ credunt. Sed hoc sequitur, esse prophanos, impios, & incredulos homines, qui se nullo pietatis opere exercent, ut in quibus est nullus DEI timor, nulla dilectio, & nulla in eum fides. Requirit em̃ Deus fidem, & exercitium illius, per obedientiam erga legem. Sunt tamen non illi solum impij & damnabiles coram Deo, qui sine iusticiae fructibus uiuunt: uerumetiam uanissimi & perditissimi hypocritae, qui existimant, quod merito, prestantia & dignitate operum suorum coram Deo saluentur. Et quid rixantur nobiscum aduersarij de iusticia bonorum operum, contra gratiae iusticiam, cum nullum penitus exemplum dare possint, impletae legis, per iusticias nostras? Quis est enim, qui dicere possit, mundum est cor meum, purus sum a peccato? Nisi ille, qui sic loquitur: gratias ago tibi Deus, quia non sum sicut caeteri homines. Sed reprehenditur & damnatur a Christo.

Cum igitur sententias operum opposuerint Sophistae doctrinae de gratia iustificante: ita perpetuus respōde: Non auditores legis iusti sunt, apud Deum, sed factores legis iustificabuntur. Impij homines & caeci, in doctrina legis ita semper disputant, quasi per debitum fieri lex sit impleta: cum tamen de facto esse & lege impleta, nihil exhibere queant. Redditurus est quidem Deus unicuique secundum facta sua. Quia omnes nos manifestari oportet coram tribunal Christi: ut referat unusquisque propria corporis, pro ut gessit, siue bonum siue malum: Sicut haec sententia copiosius tractatur Roman. ij. His quidem (inquit) qui secundum perseuerantiam boni operis, gloriam & honorem & incorruptionem quaerunt, uitam aeternam. Hic necesse est, ut intelligas eos qui per fidem opera sua bona presttterunt: iuxta illud Pauli Roman. ix. Gentes, quae non sectabantur iusticiam, &c. Nam remissio peccati, his qui Euangelio credunt donatur: & illi quia sine impia opinione operantur, accipiunt operum suorum ingentem mercedem. Ideo & de incredulis scribit Paulus: his autem, qui sunt ex contentione, & qui non acquiescunt ueritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & angustia, in omnem animam hominis operantis malum. Et tales fuerunt multi summi uiri apud Iudaeos: Sicut Paulus scribit Roman. x. Testimoniũ illis perhibeo, quod aemulationem quidem DEI habent, sed non secundum scientiam. Ita sunt perpetuo, qui impias opiniones de lege & Euãgelio alunt: pharisaei, iusticiarij & hypocritae, rigidissimi legis obseruatores: sed propter incredulitatem uani & impij coram DEO. Nam & tales nulla uerax poenitentia, potuit unquam, nec potest sequi.

Mala consequentia, à debito fieri, ad factum seu impletum esse.

Merces operum quos cõsequatur.

Paulus ad Roman. ij. manifesta comparatione Gentium & Iudaeorum, dicit Gentes beneficio legis naturae tantas euasisse in operum iusticia: quanti fuerunt unquam Iudaei per legem scriptam. Et hac comparatione uult maxime certum esse, neminem per opera sua coram DEO

iustifi-

iustificari: seu liberari a peccato & morte. Nam alioqui sequeretur & Gẽtes & Iudaeos absq; gratia & sine fide in CHRISTVM iustificari. Vide igitur premium & mercedem incredulis debitam: quales sunt, qui iustitias legis sine fide in Christum iactant. Sunt enim, de quibus paulo ante locuti sumus, testimonio allato ex epistola ad Roman: cap. ij. His autem qui sunt ex contentione, (hoc est, contentiosis istis, qui uerbo gratiae, Euangelio salutis nostrae, & fidei in CHRISTVM aduersantur & contradicunt: & sunt quidem rigidissimi exactores iusticiae legis.) & qui non acquiescunt ueritati, (tã fidei, qua oblata gratia & promissio salutis debuit recipi, quam operum, quę per fidem prestari debuerunt.) Credunt autem iniquitati (hoc est, pharisaicis opinionibus: quales in omni uita sua, quid possunt habere, nisi operum hypocrises, & speciem iusticiae, sine uera iusticia coram DEO? Caret enim fide, & puritate cordis.) Ventura est ira et indignatio, tribulatio & angustia, (quod est, iudicium aeternę mortis.) in omnem animam operantis malum.

Ergo tales quidem sunt, non isti solum, qui externa opera praua committunt sine poenitentia: qua uitam suam impiam emendarent, & crederent Euangelio: uerum isti quoque hypocritae, qui praecepta legis, secundum externa illius opera, faciunt, sine fide in CHRISTVM. Et de talibus uide quid pronunciet Christus Matt. xxi. Publicani (inquit) & meretrices precedent uos in regno Dei. Venit enim Ioannes in uia iusticię, & nõ credidistis ei. Publicani aũt et meretrices crediderunt ei: uos autem uidentes, nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. In hanc sententiam, quadrat illud CHRISTI: Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt audient uocem filij DEI: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem uitae, qui uero mala egerunt in resurrectionem iudicij. Sic procedet, secundum ea, quae hactenus de operibus bonis a me recitata sunt, & illud Christi: Venite benedicti, possidete regnum, etc. longa narratione apud Matth. cap. xxv. Sed quid attinet omnes illas sententias de operibus recitare, quas aduersarij contra doctrinam iustificationis urgent: cum satis responderim, quo loco opera bona debeant haberi, cuius ratio nunquam intellecta fuit, ab his qui opera legis praedicant, tanquam meritoria gratiae & salutis.

Sed si cui, quantum ad hanc disputationem attinet, libet plura cognoscere, is librum reuerendi patris Martini Lutheri, quem de seruo arbitrio scripsit, legat: & Apologiã confessionis, quę edita est a D. Philippo Melanchthone. Nam ut alia scripta eorum taceam, certe in dictis libris, uiri illi summi & clarissimi, ita satisfaciunt quaestioni de operum doctrina, ut qui placari responsionibus eorum aut nondum possint aut nolint, illi uideantur dedita opera mali esse, affectare ignorantiam & uelle nescire, Aut dissimulare certe intellectam ueritatem: uel contem

nere potius. In summa, abijcere & aspernari gratiam DEI, & Euangelium Domini nostri IESV CHRISTI. Quales si mihi obtigerint, non est consilium plura cum ipsis de scripturę sententia agere: ut quam non discere, sed opprimere quærunt. Ac præstat ea in re consilum Pauli sequi, qui iubet ut hæreticum & contentiosum, post unam atq; alterā correptionem, fugiamus & uitemus. Sed Christum precemur, ut donet suis, si quid confessio gloriæ eius requirat, Euangelij ueritatem sanguinis effusione tueri.

CORONIS, IN QVA AGITVR IN *genere de gratia: & locus Pauli Roman. 3. de iustificatione enarratur. Et concluditur in summa, tanquam in epilogo de supradictis omnibus.*

CAP. VII. Hic poteram finem facere primæ partis libri mei secundi de poenitentia. Satis enim dictum est in confutatione impiarum doctrinarum de fide. Sed existimo nō inutile fore, si in huius partis fine, nonnihil scribam in genere, & tanquam per epilogum, de gratia & iustificatione: ut quæ prolixe hactenus a me dicta sunt, hic in breuem summam concludantur. Cōstat igitur Sophistas tam gratiæ nomine abuti: quam doctrinam iustificationis corrumpere. Intelligunt enim per gratiam habitum in nobis, qualificantem iusticias nostras, ut frequenter dixi: non numinis fauorem. Sic ergo uel inuiti scripturæ sententiam amittere coacti fuerunt: & rebus nouam faciem induere. In summa contraria dicere & affirmare, quam in scripturis, de gratia & iustificatione habentur. Quantum enim obsecro distant inter se, quando gratia dicitur inhærēs forma, in animis nostris, ut apud Sophistas: & rursus beneficium misericordię erga nos DEI, per Dominum IESVM, ut in sacra scriptura? Quare diuersa loqui scripturam & Sophistas necesse est, etiamsi abutrisque concludatur, nos per gratiam saluari. Nam Paulus hoc pronuncians, sentit nos liberari a peccato & morte, per misericordiam, propter Christum, absq; nostris meritis: contra Sophistæ, meritis operum nostrorum tribuunt iustificationem. Sed nun quid hæc non aduersantur sibi: & ex diametro & contentiosissima contentione pugnant? Quid enim refert, quod Sophistę amplificant operum nostrorum dignitatem, mentione habitus infusi: & spiritus sancti, agentis in nobis? Hoc enim satis liquet ꝙ iustificationē, quę est gratuita beneficentia misericordiæ Dei, non existimant obtineri, nisi per operum & meritorum nostrorum dignitatem. Deinde, de commenticia re loquuntur, tam ficta, inani & falsa quam si stercus asini dicas aureum montem: aut si quid uanius est & absurdius dictu, cum nobis de habitu illo suo, quem homo impius & peccator, per suas operum iusticias sibi promereatur, loquuntur.

Quid multis? impossibile est spiritum gratiæ alijs adesse, & guberna re alio-

re aliorum uitam ad gloriam DEI & ipsorum salutem, quam eorum qui credunt sibi gratis remitti peccata, & donari æternam uitam, propter CHRISTVM. Et illi, quod satis claret, non possunt sibi uel se mereri per opera sua æternam uitam. Hanc enim credunt se per fidem in Christum assecutos esse. Ideo satis habent, si per opera sua studeant gloriæ Dei, & utilitati proximi, propter DEVM. Age uero, quando hic se mihi obtulit occasio, proferam unum locum ex Paulo, in quo ille plenissimus spiritu Christi, sanctissime de gratia, & iustificatione nostri per CHRISTVM, scribit: & Sophistarum errorem prorsus elidit, quã quã elisum & proscriptum, prius quam eius autores nati fuerunt, & tyrãnidem in Ecclesia exercuerunt. Proferam autem ex epistola illius ad Roman. iij. talem, ut eludi non possit, a quantumcunq; maleuolis & iniquis huic caussæ Euangelij & Iesu Christi. Pauli uerba sunt.

SCIMVS AVTEM, QVOD QVAECVMQVE LEX LOQVITVR, HIS QVI IN LEge sunt loquitur: *ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus* DEO. *Quia ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.*

Locus ad Roman. 3. de gratia, & iustificatione.

QVid istis Pauli uerbis opponemus? quo minus recipiamus nos seruari gratis, & sine meritis operum nostrorum? Detrahit enim meritum iustificationis omnium hominum operibus: Iudæorum pariter & Gentium. Et soli gratiæ, (ut per sequentia patebit.) tribuit, quod illa saluemur, gratis, per misericordiam, propter CHRISTVM, & fidem nostram in Christum. Illud uero insigniter notandum est: quod Iudæorum iusticijs detrahit meritum saluationis: Quinetiam testatur non dissimiliter peccatores fuisse alijs hominibus, qui iusticia legis caruerũt. Si igitur lex redarguit Iudæos, & accusat eos peccati: quos alios iustificaret? Vbi igitur consistet commentum inanis gloriæ de fide formata, merito congrui & condigni, iustificatione non per solam gratiam, & iustificatoris IESV CHRISTI fidem? Item hoc blasphemum aliud de fide, quæ talis sit ac tanta in impijs & facinorosis, quanta est in illis, qui Euangelio pie credunt, nisi quod iusticias legis non habeant? Nemo enim iustificatur lege: ut quæ aliud non potest, quam accusare, iudicare & damnare peccatores. Sed fide gratiæ iustificamur. Vbi denicq; quod fingitur, non quam cærimonijs detrahi meritum iusticiæ & salutis? Si enim non detrahitur hoc omnibus legis operibus, nihil est quod Paulus prædicat de gratiæ gloria & redemptoris Iesu Christi. Sed subscribam reliqua Pauli:

Nunc autem sine lege iusticia DEI *manifestata est: testificata à lege & prophetis. Iusticia autem Dei per fidem* IESV CHRISTI, *in omnes & super omnes, qui credunt in eum.*

Hęc Paulus seorsim scribit de gratia saluante nos per Christum Iesum: non respiciens ad exteriores illos fidei effectus, qui sunt dilectionis: de quibus alijs in locis satis agit. Cuius hic admonere uolui lectorẽ,

ne quis cogitet ita excludi legem, quasi non sit opus illius obedientiã sequi renatos: sed ut sciat iustificationem, hoc est, peccati remissionem & æternam uitam aliter non obtineri quam per fidem in CHRISTVM. Nec opus habent Pauli uerba prolixiore expositione: & hęc quæ dixi, abunde satis muniunt nostra contra calumnias aduersariorum.

Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt: & egent gloria DEI.

Proinde illa operum nostrorum iusticia, nemo potest remissionem peccati atq; æternam uitam mereri: propter hanc maximam caussam, quod nemo potest perfectam erga legem & debitam obedientiam præstare. Quod est illa gloria destitui: hoc est, perfecta iusticia, qua coram DEO pollere debuimus. Sed ea carent necessario, qui sunt natura peccatores. Quod enim dicit, omnes peccauerunt, plane liquet, hic posuisse Apostolum actum pro habitu: & significare omnes natura peccatores esse, reos esse æternę mortis. Sic enim sumus natura filij iræ.

Iustificati gratis, per gratiam ipsius: per redemptionem, quæ est in CHRISTO IESV. *Quem proposuit* DEVS *propiciatorium, per fidem in sanguine ipsius.*

Hic unus locus clare conuincit Sophistas & aduersarios nostros cæci & impij erroris. Paulus enim nihil obscuris uerbis asserit, quod gratis iustificemur: haud dubie excludens meritum seu dignitatem iusticiarũ nostrarum, quæ nihil sunt coram DEO. Deinde addit, per gratiam: quam alias interpretatur & uocat misericordiam: ut Tit. iij. Nec aliud significat hæc gratia, nisi gratuitam peccati & delictorum nostrorum remissionem, donum uitæ æternę. Tertio loco significat, illa gratia nos participes fieri, beneficio redemptoris CHRISTI. Neque enim habemus aliud precium, aliam satisfactionem pro peccato & morte pręter quã CHRISTVM, qui nos suo sanguine lauit a peccato: & sic ab æterna morte redemit. Postremum significat ita prodesse nobis Christum, si credamus in eum: non si operemur. Neq; enim proponit legis conditionem Euangelium: sed fidem gratiæ & seruatoris CHRISTI a nobis requirit, utq; credẽtes securi simus æternę salutis. De bonorum operum caussa & fine alias dictum est: & dicetur subinde copiosius, in suis quibusq; locis.

Vt ostenderet iusticiã suã. (hoc est, ut declararet se nostri iustificatorẽ esse.) propter remissionem pręcedentiũ delictorũ. (id est, peccati, q hactenus uiguit in natura: & nunquã non fructificat ad mortem & per nullam legis seu operum iusticiam potuit aboleri.) Quæ DEVS tolerauit, (ueluti dissimulans hoc peccati malum, quod suo tempore uoluit abolere per CHRISTVM: & renouare homines peccatores spiritu sancto. Neque enim potuit aboleri per iusticias legis.) Vt ostenderet iusticiam suam in hoc tempore: Tempore reuelati in toto orbe Euangelij, & exhibiti Christi, iustificatoris & redemptoris omnium: per

quem

quem remissio & salus omnibus annunciatur. Ac durat hoc gratiae tempus usq; ad mundi huius consumationem. Hoc enim quotidie agit DEVS: tolerans uidelicet peccata nostra, atque ignoscens ea nobis. Ac renouans nos, per fidem gratię & spiritum Christi. Illae sunt enim perpetuae quędam operationes & effectus in Ecclesia, DEI nostri per Christum. Neq; enim damnat continuo peccatores: sed remittit peccata his, qui Euangelio credunt. Denique concedit spacium poenitendi, & redeundi ab errore & delictis, his qui forte sunt lapsi.

Vt ipse sit iustus, (hoc est, ut declaretur uerax ac seruans promissi: adeoque misericors & bonus, omnibus qui in ipsum per mediatorē Christum credunt.) Et iustificans eum qui est ex fide IESV. (Non dicit, eos qui adferunt iusticias legis: sed testatur DEVM nobis fauere, propter reconciliatorem Christum, quatenus in illum credimus.)

Vbi ergo est gloriatio tua? (si uidelicet) Deus in iustificando non respicit rationis seu operum iusticias: legis sed gratię & bonitatis suae per Christum fidem.) Exclusa est. (Neque enim potuit non reijci & dānari: nempe, inanis & friuola gloriatio, eorum qui nullam ueram seu perfectam iusticiam habent. Et ubi solius gratię gloria debuit regnare.) Per quam legem? factorum? (hoc est, per legem de factis & operibus nostris pręcipientem? Verum ea ratione, DEI gloria potius exclusa fuisset, quam hominum. Nam opera nostra obscurant gloriam gratię, quibus tribuitur perfectio iusticiae & debitum aeternę uitae. Ideo uero non debent iusticiae gloriam coram Deo retinere, quia sunt immunda & imperfecta. Ideo adijcitur:) NON. sed per legem fidei. (hoc est, fide Euangelij, gratię & propiciatoris Iesu Christi.)

Arbitramur igitur, (id est, colligimus, decernimus & statuimus hac ratiocinatione hucusq; ducta. Nam ea uis est graecę uocis apud Paulum.) iustificari hominem per fidem: sine operibus legis. (fide enim adprehēdimus promissionē, gratię, peccati remissionē, iusticiā & ęternā uitā: quo nō potuerūt ualere, seu efficaces esse oēs prorsus iusticiae legis. Propter immundiciē carnalis naturę: & imperfectionē illam iusticiarum nostrarum, seu obedientię erga legem. Et quia inualida fuit lex, naturam peccato obnoxiam renouare. Roman. viij.

Et hactenus Pauli uerba bona fide recitaui: adiecta breui expositione, qua fidem nostram potius confiteamur, quam ut lectorem in tam claro Apostoli textu doceamus. Caeterum firmam esse hanc sententiam de fide, prudens ac pius lector facile agnoscet: cum nemo uere Christianus esse possit, sine hac fide in gratiam & seruatorem CHRISTVM: Ac puto iam satis confutata esse omnia illa commenta, quae ab aduersarijs nostris: imo Iesu Christi & DEI patris, obijci contra fidei doctrinā solent. Hęc enim est fortuna horum temporum, quod illi ipsi qui per-

liberi & credi uolunt esse Christiani, fidem Christianam damnent & opprimant: alij per impias doctrinas, & alij rursus ui, ferro & igne. Sed nunc postulat propositi operis ratio, ut in altera parte huius libri declarem atq; ostendam, quot inanibus commentis doctrina nostrę poenitentię & operum bonorum, ab ijsdem aduersarijs nostris & Christianę pietatis contaminetur & polluatur.

SEQVITVR ELENCHVS CApitum: *posterioris confutationis.*

PARS

PARS SECVNDA, IN QVA EST

confutatio pharisaicæ doctrinæ de pœnitentia.

IN doctrina de iusticatione, quod sæpe dictum est, excutiendæ sunt, duæ precipuæ quæstiones: prior, de gratiæ beneficijs erga nos DEI, & fide huius gratię: posterior autem, de operibus nostræ obedientię erga DEVM. Ac satis constat, quod utraque harum fœde corrumpitur a doctoribus rationis, scholasticis Theologis: quorum autoritate & iudicio, aduersarij nostri existimant nos recte premi, & iure condemnari: quantum uidelicet attinet, ad gratię, fidei & bonorum operum doctrinam, quam nos tuemur. Et ego quidem eo respexi in huius libri partitione: quem institui, de fide & operibus, contra aduersariorum opiniones, ut collatione doctrinę nostræ, & aduersariorum omnibus innotescat, utri retineant uera continentem CHRISTI & Apostolorum doctrinam: nos qui per gratiam prædicamus, tum fidem gratię, adeoque operum bonorum doctrinam in locum & dignitatem suam reponimus: an aduersarij, qui iusticijs rationis & factis operum nostrorum, ita patrocinantur, ut gratiam abijciant, fidem extinguant & meras operum hypocrises doceant.

Postquam igitur priorem partem absolui, in qua ea insectatus sum, quæ contra gratiæ, iustificationis & fidei doctrinam, impio errore tradita sunt, & longe perniciosiore recepta & adprobata: reliquum est, ut in altera & posteriore confutatione, quoque tantum laborem ac prestem, quantum pro nominis sui gloria, tum Ecclesiæ ædificatione donauerit mihi CHRISTVS IESVS. Quare hęc pars continebit doctrinam, de operibus nostris, seu obedientię nostræ erga Deum. Quam in uniuersum intelligi uelim unius pœnitentiæ nomine: cum internæ, quæ est contritionis, tum externæ quæ est sita proprie in fructibus exterioribus iustificatorum. Ac constat nos esse debitores illius pœnitentię: hanc enim non prophetæ solum, sed & Christus & Apostoli prædicant. Nec potest existere, durare & retineri fides, ubi homines flagitiose, sine pœnitentia & sine bonis moribus uiuunt. Hinc ipsum quoque Christum legimus uehemētissime exprobrauisse, his qui ad prędicationē suam non egissent pœnitentiam: nimirum incredulis & gratiæ contemptoribus. Matth. xi. Atque idem horribilibus exemplis horribiliter perituros cōminatur, eos omnes qui non egerint pœnitentiam. Lucæ xiij.

Pœnitentia.

Necessitas pœnitentiæ

Sed quando Sophistæ & aduersarij nostri dicunt, per nostram pœnitentiam remoueri quęlibet peccata, & satisfieri pro delictorum pœnis: scire refert hoc false atque impie dici. Hac enim assertione homines sibi arrogant, quod est solius beneficij cœlestis gratię erga nos, per Iesum Christum. Ita uero statuendum est: DEO placere quidem operis nostri pœnitentiam, si ex fide procedat. Et ne contritionem quidem satis

Pœnitentia Christiana ratio.

piam esse, nisi quam mitiget gratię fides: quantumuis sit necessaria. DEVS enim gratis ignoscit peccato & delictis nostris: & per gratię fidem contritiones nostras sanat. Deinde requirit: ut hanc ipsam gratiæ fidem, per totam huius uitæ nostrę nouitatem, qua recedimns a peccato, & operamur iusticiam, exerceamus. Huc demum facit, illud quod est Ezechielis xviij. Omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor. Sed Scholastici theologi, & cum his aduersarij nostri, si quid usquã dictum est in laudem bonorum operum, & de illis qui ex fide operantur, & nouandę uitę student, id continuo adplicant ad suas illas uanas, impias & stultas cogitationes rationis, de meritis operum nostrorum. Existimant enim, quod iusticiam & salutem ex pacto mereamur: nec attendunt, ꝙ his opinionibus gratiam abijciunt, & redemptorem Christum negant.

Cæterum Scholastici theologi in prędicatione pœnitentię, pręter alios infinitos lapsus & errores, quos docent, dupliciter peccant: partes quas numerant, nõ explicant recte, & aliena pro partibus assignant pœnitentię. Quanquam enim contritio est pars pœnitentię: tamen contritionis nomine, quid docetur nisi frigidissimas hypocrises, fingentium quod sibi doleat, peccatores esse & peccauisse? Dicunt enim contritionis dolorem elici rationis uiribus & libero arbitrio: & somniant meritorium esse remissionis peccati. Sed constat hominem, in quo non agit spiritus sanctus, sine uero odio peccati, & sine dolore illius admissi, agere: & talem malle peccato & desyderijs eius indulgere, quam retrahi a peccato, & odisse retrahentem. Deinde, sunt certa testimonia absentię spiritus CHRISTI, sibi meritum remissionis peccati & iusticiæ arrogare. Secundo loco, confessionem delictorum faciunt necessariam, illã quę non habet pręceptum DEI. Et quoniam probant Romani Pontificis decretum, quo ille etiam ab inuitis hanc extorquet, qui nihil minus sunt quam uere contriti, peccatores in aliam nouam hypocrisim non modo intrudunt: uerumetiam nouis alijs peccatis onerant, illo genere confessionis delictorum. Postremum, de satisfactione, quam faciunt tertiam partẽ pœnitentię, pręcipiunt: ut pœnas peccatis nostris debitas, per certa opera, quę pro sacerdotum arbitratu in confessione, satisfactionis nomine, nobis imponuntur, redimamus: cum non sit alia satisfactio, seu pro peccatis, seu pro illius pœnis, pręterquam mors DOMINI nostri Iesu Christi: & huius utilitas & fructus nulli adplicetur nisi per fidem in Iesum Christum.

Pharisaica contritio. *Confessio.* *Satisfactio.*

De calamitatibus illis corporalibus, quę non in pœnam, sed in correptionem & castigationem pijs inijciuntur, aliud iudicium est: ut suo loco dicetur. Pœnę enim, & crux seu castigationes paternę, longissime inter se differunt. Ac pœnę quidem recidunt in solos impios: crux & castigatio

De afflictionibus sanctorum.

stigationes ueniunt etiam supra pios, qui salui fiunt. In impijs enim, qui non credunt Euangelio habent significationem iræ: in pijs autem sunt, testimonium diuinę clementię & paternę curę. Nam Christus, merito suę passionis conuertit nobis omnes peccati pœnas in beatissimam & saluberrimam crucem: quę non tollitur per operum nostrorum satisfactiones, sed per ueram pœnitentiam mitigatur, et in summa, quęcunq; castigationes corporales. Neque uero homines pij fugiunt crucem, aut in totum quęrunt a se sublatam: sed oblatam suscipiunt cum gratiarum actione, et sustinent illam cum patientia: ut quam sciunt sibi communem esse cum Christo, quam simul omnes pios oporteat perferre. Denicq; nemo piorum reputat, per ullas calamitates, aut persecutiones, etiam quas sustinet propter Christum, se pro peccato, aut peccati pœnis satisfacere: etamsi ambigere non possint, qui uere credunt Euangelio, sibi mercedē repositam esse, & prēmium suorum laborum & afflictionum in cœlis. Quod uero de purgatorij pœnis scholastici Theologi in doctrina satisfactionum disputant, id mere fabulosum & fictitium commentum est. Sed ne diutius moras traham, iam mox de ipsa re dicere ordiar.

DE PHARISAICA CONTRITIONE: *adiecta collatione ueræ contritionis* CAP. I.

Contritionem igitur, Scholastici theologi, dicunt esse dolorem, uoluntarie pro peccatis assumptum: cum proposito confitendi & satisfaciendi. Sic autem statuunt: quod illum contritionis dolorem, homo impius & peccator possit ac debeat ipse sibi concipere: si quidem effici illum, si legem inspiciamus, & cogitemus atq; discamus quantas pœnas sibi mereantur peccatores & transgressores legis: ac rursus, quæ prēmia seruantibus legem sint proposita: ut nihil magis Iudaicum dici uel cogitari possit. Addunt tamen, quoniam contritio debeat esse dolor, non tantum ex metu pœnarum ortus, uerumetiam ex dilectione: (ita fingunt em̄ dilectionem in cōtritione existere posse: cum impossibile sit, amari DEVM uel legem, nisi ab his qui in gratuitas Euangelij promissiones credunt. Quarum fidem non modo nusquam docent: uerum etiam opprimunt, per suas impias doctrinas, de merito & dignitate iusticiarum nostrarum.) præter hanc perfectam contritionem, quæ sit meritoria remissionis peccati, quendam dolorem, qui ex metu pœnarum solum oriatur, & careat dilectione. Atq; hunc uocat attritionem: quæ etiamsi non mereatur homini saluationem, tamen proxime disponat eū ad dilectionis meritum, per quam salus obtineatur. Fieri igitur ex attritione contritionē, per accessionem dilectionis: quę impio & peccatori remissionem delictorum mereatur: modo ne desit sic contrito, uoluntas confitendi & satisfaciendi. Contritio. Attritio.

Hæc inania & pharisaica commenta quid ualeant, efficiant, et quorsum tendant, docui tota superiore huius libri parte. Nam in se continet doctrinam de merito congrui & condigni: Item, de fide quæ sine dilectione & per se, hoc est, sine operum merito, nulli prosit. Fidem enim per se, intelligunt rem esse inutilem & mortuam: ideo requirunt in ea dilectionem, quam adpellant formam gratiæ gratum facientis. Cum sentiant propter dilectionem respici impium, coram DEO, & saluari: nō, si gratiæ promissionem per fidem adprehendat. Hęc igitur pernitiosa dogmata: trahunt secum ingentem ruinam fidei, ueri cultus DEI & totius pietatis Christianæ. Ideo omnium uotis & studijs merentur reprobari, rejci & damnari.

An sit uoluntarius dolor in contritione impij.

Ergo, cum in definitione contritionis Scholastici theologi tribuant impio & peccatori, uim eliciendi uoluntarium dolorem pro peccatis, negocium internum & spirituale cordis, statim in ipsis foribus doctrinæ manifesto errore impingunt, & labuntur a ueritate uerbi DEI: & simul palam faciunt, se in tota contritionis doctrina non prædicare, quā perpetuam quandam hypocrisim & simulationem doloris de peccato. Quomodo enim carnalis natura posset uere, dolere, odio peccati? Cum nihil perinde affectet, atq; ingenita desideria explere: & doleat, quod omnibus per experientiam notissimum est, doleat inquam supra modū, quam dici aut credi potest, se retrahi atque arceri ne faciat desyderia carnis: cum præsertim intelligit quantarum pœnarum comminationibus arceatur. In istis angustijs deprehensi, simulare possunt dolorem, odiū & fugam peccati, quidam pharisaici spiritus: sed uerum dolorem, uerax odium peccati suis uiribus non possunt concipere. Quis est enim omnium hominum, quem non delectet suis cupiditatibus frena laxare: potius quam amet uinciri & abstrahi ab illis? Et qui doleat ex animo, contrarium faciens: aut cogitans se illa quæ pugnant diuinis legibus aliquando admisisse? Nisi metus pœnarum eo adigat ipsum. Sed est ne dolor ille uoluntarius, et non potius uiolentus & coactitius dolor? Aut certe pharisaicus & fictus dolor, in illis qui adhuc sunt quieto animo, & quos lex nondum terruit uere? Quid multis, uerus dolor de peccato, non est minus operatio & effectus spiritus sancti, quam aliæ internæ & spirituales uirtutes.

Porro, quia Scholastici dicunt ex attritione fieri contritionem: ut cū merito istius uiolenti, seu pharisaici & ficti doloris, infundatur homini dilectio, per quam donum remissionis peccati sibi mereatur. Nōne hoc stupido & blasphemo commento abjciunt gratiam & redemptoris CHRISTI beneficium negant? Nam remissio peccati aliter nulli contingit, quam per solam fidē gratuitę misericordiæ DEI, propter iustificatorem & redemptorem CHRISTUM. Deinde, quibus obsecro scri-

pturis probant, ostendunt ac docent, ex attritione, quę minus quam nihil est, fieri contritionem? Quanquam si aliquid esset attritio, nihil esset nisi plenissimus impijssimarum blasphemiarum dolor: aut pharisaicus, ut dixi, & fictus dolor. Sed ubi est quaeso illa attritio in scripturis, nomine & re distincta a contritione, ita ut distinguitur a Sophistis? At, inquis, satis est magistris nostris pronunciare uel dere incomperta: & nouos fidei articulos cōdere. Vulgi, indoctorum hominum, est assensum prebere & credere. Audio, sed extra iocum: hoc certe nimium audacter & serio requirunt a nobis: & hac tyrannide diu iam usi sunt in Ecclesia: qua etiam oppresserunt Christianismum. Et nullus prope monachus fuit, cuius somnia non praescripserunt nobis pro articulis fidei: sed post hac ita non imperabunt in Ecclesia.

An ex attritione fiat cōtritio.

Deniq; quod ad habitum dilectionis attinet, qui pro merito attritionis detur, atque infunditur homini a DEO, id similiter pro mera libidine fictum est a scholasticis Theologis. Nam obsecro te, quomodo dilectio legis & Dei summa, posset existere cum dolore contritionis: qui efficit hominem desperare & fugere DEI conspectum, planeque odisse legem & Deum: nisi per promissionis Euangelij fidem mitigetur? At Scholastici, uanitatis & hypocriseos doctores, nihil usquam dicunt de fidei consolatione. Neque possunt de ea loqui, quia impediuntur per illos suos errores, de merito carnalium iusticiarum nostrarum. Quapropter nihil quam legem praedicant, etiam coacti. Qui posset enim locum habere fidei doctrina, de gratuita gratia, & gratuito beneficio redemptionis per CHRISTVM, apud eos qui existimant, quod priuatis operū nostrorum iusticijs & peccati remissionem & uitam aeternam nobis mereamur?

De ficta dilectione in contritione.

Deinde quanta haec blasphemia est, fingere, quod spiritus sanctus, qui unus efficit nos amare Deum & legem, per legem, id est, operum nostrorum merita, detur? Quem constat effundi in eos qui Euangelio credunt: & effundi propter solū CHRISTVM, gratuita liberalitate misericordiae Dei. Tit. iij. Sed Scholastici hoc commento dilectionis, atque doni infusi, cauere infamiam nominis Pelagianorum, ut alias dixi, uoluerunt. Quanquam male cauti. Quid refert enim, si aut neges aperto gratiam: aut Sophisticis fictionibus & cauillationibus illam irrideas? Non minus enim quam Pelagiani abijciunt gratiam, & CHRISTVM iustificatorem, qui beneficia Dei & Christi negant gratuita esse. Sed ego contra eas omnes blasphemias, in superiore parte huius libri plus satis scripsi.

Non sunt igitur ferenda haec uana & impia commenta: neq; plane rationis, sed stupidissimorum Sophistarum, ignorantium scripturas, & cum ratione insanientium: scilicet, ne sibi pereant istae praeclarae uirtu-

tes liberi arbitrij: & deinceps non meritoriȩ saluationis esse existimentur. Hoc enim ipsi quoq; Pelagio doluit: adeo ut mallet CHRISTI gloriã subuerti & perire, ipsius quoque gratiæ seu misericordiæ Dei gloriam: quam glorias iusticiȩ carnis inanes periclitari. Sed recte damnatus est a patribus orthodoxis: quo eodem iudicio oportet pernitiosa ista commenta Sophistarum, quæ dixi, repudiare. Primum, quia excitant in homine fiduciam & gloriationem, quam habet in sua pharisaica opera & iusticias carnis: deinde abolent in eo uerum DEI timorem, ut nec ad ueram contritionem unquam peruenire queat. Quia retinent illũ in ignorantia sui peccati: quod cum quanto malo hominis peccatoris fiat, abunde exposui, libro primo. Deniq; & gratiæ fidem, & cognitionis IESV CHRISTI, sine qua nemo saluus esse potest, penitus extinguunt.

Quod uero Scholastici tribuunt contritioni, operi legis, meritum remissionis peccati, eo ipso quoq; produnt, quanta ignorantia non solum gratiæ, Christi & uerȩ fidei, se teneat: uerumetiam legis. Sic sunt enim securi, quando conscientias suas pharisaice explorant: & peccatum suum per obductum faciei Mosi uelum intuentur: & non inspiciunt in legis finem & claritatem, qua cernerent impossibilia, a lege spirituali & diuina, omni carni præcepta esse: ut per agnitionem & confessionem sui peccati uere coram Deo humiliarentur. Idcirco enim iudicijs Dei terreri non possunt: nec sitire gratiam Iesu Christi.

Secundus locus primi capitis: de uera contritione.

Age uero, quando incidimus in locum de pharisaica contritione, dicamus illa occasione nonnihil & de ueritate contritionis: quanquam de hac ipsa copiose scripsimus libro primo. Sed nihil uetat etiam hic quædam de eadem scribere: si omnino fieri possit, ullo nostro labore, quo studamus in uerbi Dei prædicatione, ut ad ueram contritionem perueniamus & uere humiliemur coram Deo. Alioqui enim nihil prodest de commentis inutilibus & pernitiosis Sophistarum disputare: nisi & ueritatis doctrina illis per comparationem adhibeatur. Nam & ea re contrarius error clarius cerni potest: & foelicius extirpari, eliminari, ac profligari.

Dolor contritionis.

Igitur nullus pius dolor est in primis motibus ueræ contritionis: quo homo peccator auersetur, odiat ac declinet peccatum, doleat de DEO offenso. Sed adest quidam alius dolor, quem gignit metus pœnarum, quæ peccatis debentur: & in illo retinetur amor & uoluptas peccandi. In hoc nihil tam dolet homini, quam quod non licet impune peccare: & cum summa licentia uoluptates carnis explere. Quare huius doloris longe alius effectus est, quam a plerisq; solet carnalibus cogitationibus imaginari. Sequitur enim illum cũ odium & fuga legis & dei: tum desperatio Quando enim uidet atque intelligit grauitatem sui peccati, & DEVM aduersantem, ignarus quomodo effugere illius iram & de

clinare

dinare possit, tunc ruit cum summa impatientia, nec sine grauissimis iræ & doloris blasphemijs contra DEVM, in desperationem. Sophistæ uero existimant dolorem contritionis rem esse tam quietam, leuem, ac placidam, ut in illo homo impius & peccator possit pie dolere, de DEO offenso: & meditari odium & fugam peccati. Sed sic facile solent ociosa ingenia, atque inexperta.

Tu uero cogitabis & scias, quisquis es Christiane lector, ueri discendi cupidus, esse in contritione maximos & grauissimos terrores, dolorē asperrimarum perturbationum plenissimum: qui hominem prorsus de statu deijciat, & nihil recti agere sinat, nihil pio & meditato animo statuere. Quos excitat quidem & incutit DEVS, lege sua & spiritu sancto, per reuelationem, ostensionem & accusationem nostri peccati in conscientia: tales ac tantos, ut uehementer excrucient animum peccatoris, planeq; in desperationem salutis conijciant, cum summa inpatientia, ira, murmure & blasphemijs contra Deum. Quales fuerunt in contritione Cain, Iudæ, qui prodidit CHRISTVM, & similium. Atque hos effectus contritionis & doloris si uidissent Scholastici, non tribuissent tales motus & actiones homini contrito, ut quibus uoluntarie doleat de peccato & transgressionibus contra legem admissis, odiat & fugiat peccatum, sancte atque inculpate uiuat: multo minus meritum remissionis peccati.

Terret igitur peccatorem uerax contritio, facitq; illum de operum suorum iusticia, fauore numinis & saluationis, prorsus desperare: ut nisi consolatio per Euangelium illi succurrat, nihil quam graues blasphemiæ regnare in eo possint. Sic enim, ut dixi, pronunciare oportet, de uera contritione, hominis nondum illuminati per gratiæ, Euangelij & nominis IESV CHRISTI fidem. Neq; enim est ullus pius dolor in contritione, quem non mitigarit Euangelij consolatio. Facinorosus ille, de quo est Lucæ xxiij. pie doluit: sed agente iam in eo gratiæ fide. Ita de similibus dicendū est, quos dolentes Euangelij fides in spē gratię erexit. Per Euangeliū enim sanātur cōterrita et cōtrita corda: prius per legem, peccati & iræ DEI cognitionem sauciata & confracta. Cum autem Scholastici Euangelium nusquam doceant, neque possint illud pure docere: stantibus, uidelicet, principijs illis, suæ ipsorum theologiæ, de quibus paulo ante, & in superiore parte tam fuse dictum est: facile intelligi potest quid agant in Ecclesijs. Necesse est enim, ut uel pharisaicam hypocrisim doceant: uel plerisque autores fiant perpetuæ desperationis.

Cum ergo de caussis contritionis disputatur apud Scholasticos, iubent quidem legem cogitare, inspicere pœnas & præmia: & sic concipere aliquem pium dolorem, meditari fugam & odium peccati, seseque gratiæ præparare & salutem mereri: prorsus pharisaice & humano mo- De caussis cōtritionis.

re. Quasi lex Dei impleri a nobis possit: aut quasi iusticia aut salus sit ex legibus petenda: in quibus est laqueus, mors & damnatio. Lex enim, uirtus peccati: peccatum aculeus mortis. Ergo, quia lex retegit peccatū, a quo nemo abesse, et iusticiam eam requirit, quam nemo potest prgstare, non est caussa pij doloris in contritione: sed, ut dixi, odientis eum, qui cupiditatibus nostris resistit: hoc est, Deum & legem, utcunq; foris simulet homo studium DEI, & legis amorem. Porro, reuelato conscientijs iudicio DEI, subito cadunt a fiducia operum, quibus prius uisi sunt Deum sibi colere, & ruunt in desperationem. Nam DEVM oportet puris animis & spirituum puritate a nobis adorari & coli: illa externa operum iusticia multas immundicias habet & grauissimos defectus atq; peccata. Ideo neque placare Deum, neq; conscientias luctantes pacificare potest. Sed homo indiget gratia & remissione peccati gratuita: ut sic ueraciter dolere de admissis contra legem, & Deum puro corde, & pio obsequio possit glorificare. Et in uera contritione utilissimum est cernere et experiri quam habemus impia & immunda corda: et quod illa gratia remissionis peccati gratuita indigemus ad hos quos, dixi, fines. Experientia enim notissimum est omnibus, neminem posse DEI legem amare & spiritu facere: modo res ad serium animi iudicium reuocetur.

In hypocritis, qui uerbum Dei per transennam inspiciunt, non retecta legis facie, nihil mirum est, hæc occulta, & latentia sub uelo, nunquam cognosci. Nunquam enim conferunt uires suas cum doctrina legis spirituali. Legem enim non habent, nisi pro operum externorum doctrina: neque uident impossibilia carnali naturæ in lege prgcipi. Ideo prgcipuum legis usum & officium ignorant: pharisaicis opinionibus excgcati. Leuiculum est enim, quod per legem Dei ab externis uicijs abstrahimur: in comparatione grauissimi peccati & immundiciarum cordis, quas lex retegit, reuelat, ostendit, accusat & damnat. Nam & beneficio legis naturæ possumus abstrahi ab externis delictis: sed immundicias cordis nemo uidet tanta peccata esse, quanta prædicantur per legem, & sine beneficio legis illæ quidem nunquam possent satis cognosci. Atque ita latent frequenter, imo nunquam non, sub speciosissimis operibus hypocritarum grauissima peccata: & multo periculosius latent, quā retegantur. Quanquam dum reteguntur hominem magis peccatorem efficiant: & grauius reum coram DEO. Sed retecta humiliant peccatorem, ne in se & iusticias suas pharisaicas, immundas & imperfectas confidat: sed det gloriam Deo, confiteatur suum peccatum, imploret gratiā, quærat remissionem peccati per gratiam, & sic effugiat iram Dei atq; æternam condemnationem. Sicut utriusq; horum pulcherrima parabola est Lucæ xviij. Primum de quodam Pharisgo, impio homine, & iactatore ta-

tore tamen iusticiarum suarum coram Deo: deinde cuiusdam publica- ni, hominis quidem peccatoris, sed per fidem gratiæ conuersi, & inuocã- tis Deum, illumque uere glorificantis.

Quare utilissimum est, homini iustificando, diligenter exerceri in le- gis spirituali doctrina: qua erudiatur, se non modo debitorem esse ciuilis seu externæ iusticiæ: sed uel maxime iusticiæ internæ cordis. Pharisaicũ errorem esse, existimare quod legi satisfactum sit obedientia nostra ex- terna: & quod hac iusticiam & salutem mereamur. Coram Deo enim ne cesse est perfectissime puros esse ab omni peccato, intus & extra, qui sal- ui fieri debent. Vt igitur dolorem aliquem uerum ac pium concipias de Deo offenso per peccatum, uerum Dei timorem & contritionem, id ef- ficitur quidem per legem: sed qua Deus interna & spirituali efficatia cor dibus nostris loquitur, ac docet quomodo quilibet immundi affectus in nobis, quia legi aduersantur, sint uera & damnabilia peccata corã Deo. Si tamen consolatio per Euangelium accedat: qua corda nostra ab odio contra DEVM & legem, & a desperatione seruentur. Hinc pro illa pu ritate contritionis frequenter precantur sancti: quorum preces in irritum caderent, & frustra mitterentur, si ipsi efficere nostris uiribus ueram & piam contritionem possemus. Nos enim cum lege commissi, sine gratiæ spiritu, non possumus nisi impie conteri. Huc facit illud Dauidis, Ipsal. li. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum renoua intra me. Item illud Hiere. xxxi. Castigasti me DOMINE & eruditus sum: quasi iuuenculus indomitus. Conuerte me domine, & conuertar: quia tu Do minus deus meus. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi erubui. Quoniam sustinui opprobrium ado- lescentiæ meæ. Sed in summa, qui horum rationem ignorant, nullum te gratię, neque inuocationis usum docere possunt. *Lex caussa cõtritionis.*

Sed nunc seorsim doctrinam legis inspiciamus, & uideamus quomo do faciat ad contritionem: & non modo non sit iusticiæ & saluationis do ctrina, sed uirtus peccati & caussa desperationis, ei qui gratiæ Euangelij est ignarus. Præcipit ergo lex de uero timore Dei: quem retinere debe- mus in omnibus cogitationibus, dictis, consilijs, studijs & factis no- stris, per hanc totam uitam, quæ hic uiuitur. Et eum qui semel amittit, neque retinet semper, is meretur æternam damnationem. Sed quot obse- cro dabis, qui illum pure habuerint, uel ad momentũ temporis, in omni sua uita? Timere enim Deum, ut horribilem iudicem, hoc impium est & blasphemum: sic enim imaginamur Deum, alium quam est. Etenim bonus est deus, & immensę miserationis omnibus inuocantibus eum. Itaque sanctus ille timor quo uult a nobis coli, permixtus esse debuit a- more DEI: ut quantum abstraheret pius timor, ne qua in re Deũ offen- deremus, tantum amor Dei inflammaret animos nostros, ut in glori- *Timor.*

iam dei omnia recta, decentia & pia ageremus, parati uel mortem pro illa pati. Sed protinus cum nascimur caremus illo timore: & nunquam habemus eum: Sicut nec alios motus spirituales & bonos: nisi quatenus excitantur in natura, per fidem gratiæ & remissionis peccati propter CHRISTUM, renouata.

Motus interni, requisiti in prima tabula legis.

Hic si quis diligenter excutiat alios motus internos sanctos, quos lex a nobis requirit: uidelicet, amoris, fiduciæ & spei in deum. Item patientiæ in omnibus calamitatibus & morte: quam obsecro lernam uiciorum hic reperiat? Hos enim constat in prima tabula mandato primo requiri: sicut & Mose exponit: Deut. vi. & Hieremias capite ix. Debemus igitur deo summum amorem, in omnibus & super omnia: summam fiduciam et spem, non minus cum affligit et aduersari nobis uidetur, quam cum benefacit nobis ac seruat nos ab his omnibus malis. Ideo et patientiæ debitores sumus, ne qua in re contra deum murmuremus: et illius iudicijs aduersemur. Sed quid efficitur his legibus? Profunda impietas, et latens incredulitas, tanquam cerberus ex inferis, protrahitur in lucem: ut conspici possit quanta sit repletum cor hominis ignorantia et cõtemptu dei. Est enim in homine animus uacuus ueri timoris dei: similiter amoris, fiduciæ & spei in DEVM. Superbus, arrogans, inflatus: sibi ac rebus suis confidens. Velut opibus, potentiæ, honori, et gloriæ carnis. Item his sublimioribus, sapientiæ inquã & iusticiæ carnis. Quæ omnia damnat apud Hieremiam deus, expressis uerbis: sicut et illorum fiducia et gloriatio sæpe reprehenditur et damnatur in psalmis. Quid q; homo in quantumuis modica aduersitate, et paruo terrore, alit perpetuam quãdam diffidentiã intra se & desperationem? Quę omnia peccata si uere cognoscantur, qualia sunt & quanta coram DEO, non permittunt hominem tranquillæ mentis esse: qui merito contritionis remissionem peccati sibi promittat. Sed compellunt illum irasci iudicijs DEI, blasphemare & desperare: adhuc ignarum gratiæ & fidei in CHRISTVM. Et hoc est, quod Paulus dicit: legem esse peccati uirtutem.

Motus interni, requisiti in secunda tabula legis.

Sed eamus etiam ad secundam legis tabulam, qua pręcipitur nobis dilectio proximi: Leuit. xix. Hac enim illius mandata omnia summantur Roman. xiij. Si quidem illam exercere debemus mente & operibus, in omnibus dictis & factis nostris: prorsus erga omnes, sine personæ delectu: ut boni, faciles, amantes, misericordes & clementes erga omnes simus: inimicos & aduersantes rebus nostris, æque ut amicos, qui nos & nostra in rebus omnibus iuuant. Neq; enim est syncerus amor in illis, qui benefactores suos diligunt tãtum: sicut CHRISTVS testatur Matthæi v. Sed si talis fuerit, qualis est erga nos in DEO: qui bonis & malis ex æquo benefacit, tum gratis & ingratis. Imo nisi malis & ingratis suæ gratię beneficia impartiret, nemo est omnium hominum qui saluus fieri, cum a peccato tum a morte posset. Et huius tantæ & tam purę dile-

ctionis nos debitores esse, testatur illud Lucæ vi. Estote misericordes, sicut pater uester cœlestis misericors est. Iubet igitur benignos esse & clementes ac beneficos, plane in omnes: adhæc tolerantes iniuriarum, ne offensi uindictam quæramus: & omnino tales, quales nos Paulus describit, in dilectionis uirtute. i. Cor. xiij. Hoc enim est perfectum esse in dilectione: quæ & Matth. v. præcipitur: Estote igitur uos perfecti, sicut & pater uester cœlestis perfectus est. Neque uero minus lex Mosaica hanc perfectionem a nobis requirit: sic enim est Leuit. ix. Sancti estote: quia ego sanctus sum DOMINVS deus uester. Sed quis est oīm hominum qui non plurimum deficiat in hac perfecta dilectione? Imo qui non infinitis modis peccet in eam: & non cupiat ualde, eius non esse debitor? Nam & Sophistæ diligentissime cauent in dogmatibus suis, ne credatur quod illius debitores simus: ita scilicet dolet istis DEVM, offendi peccato, qui suis contritionibus mereri quærunt, cum remissionem peccati, tum æternam uitam. Sed quid mereantur, ex mea collatione non obscure intelligis.

Quid quod lex ipsam quoque concupiscentiam damnat: a qua nemo unquam potuit abesse? Et illa quanta uicia in se habet? Nam regnāt in ea auaritia, ambitio, æmulatio, ira, odium, inuidentia, immisericordia, cupiditas uindictæ, dolor & tristicia in rebus proximi lætis ac prosperis, presertim aduersarij & inimici, gaudium & uoluptas si male cadant & affligantur proximi bona, quæ cupiditates quam impiæ sint & crudeles quis potest satis explicare? Et tamen sunt in carnali natura: quod experimur, collata dilectione nostra ad inimicos. Et eo testimonio conuincimur, quod neminem syncere diligimus: & quod pleni sumus impijssimarum cupiditatum. Sed & qui affectus & desideria regnant in nobis, ad quamuis intemperantiam: crapulæ, ebrietatis, ocij, ueneris, & immodici luxus, in rebus omnibus, uelut indumentorum et similium? In hūc igitur modum carnalis natura semper aduersatur et repugnat legi DEI: ut ipsis quoque sanctis grauissimos labores semper exhibeat. Sicut testatur Paulus: Gal. v. Caro enim concupiscit aduersus spiritum. etc. Et Scholastici pulchri doctores, existimant quod homo intelligens peccati et malorum suorum, quæ peccantibus debentur, possit pie dolore, mutare animum, fugere peccatum, et salutem mereri. Quasi homo impius & peccator carnalem naturam exuere possit: et totam a se deponere. Quemadmodum tunica et uestimentum aliquod corporis abijcitur. Rursus nouam et spiritualem naturam assumere: quam nemo conferre potest, nisi ille qui condidit omnia, et cuius est omnia renouare. Sed Scholastici rem et caussam non agunt serio: tantum de pharisaicis cultibus nugantur.

Concupiscentia.

Igitur nulla uerax contritio esse potest in securis hypocritis, qui legē

Contritio hypocritarum.

de externis operibus & factis solum exponunt. Tales enim existimant, se nihil debere DEO, quam dolere aliquantulum, si quo externo delicto Deum offenderint aliquando: & curare, ut reliquis actionibus suę uitæ DEVM iterum reconcilient sibi & saluationem mereantur. Quā quam mirum est quomodo statuant affectus cordis esse in hominis potestate: sicut est dolor, amor, fiducia & spes in Deum. Nisi quod intueri iubeant poenas & præmia in lege proposita: ut pharisaice & uiolenter omnia agere doceant. Nos uero sciamus, DEVM non solum externa delicta per legem accusare: sed internam maliciam & naturæ immundiciem omnium maxime. Non tyrannice quidem, ut omnes perdat: sed pro rigore ueritatis & iusticiæ, ut homines humiliet, & per cognitionē peccati in gratiam suam trahat: denique receptos in gratiam, propter fidem in CHRISTVM, renouet & gubernet spiritu sancto, ut deo per iusticiam cordis seruiant, & a peccato & morte saluentur. Longe autē uanissimum est, affirmare de contritione, quod remissionem peccati mereatur: quia ubi uerax est, facit hominem magis peccatorem, ut docui, & grauius reum. Habet effectum contrarium iustificationis effectu: de quo Paulus in epistola ad Roman. capite vij. Iustificati enim per fidem, pacem habemus cum deo: & gloriamur sub spe gloriæ filiorum dei. Sed effectus contritionis, est legis effectus: ideo non solum non pacificat, non tranquillat conscientias nostras: sed & grauissime territos & excruciatos abijcit in sempiternam desperationem, iram & condemnationem, nisi per gratiam Euangelij restituamur in salutem.

Officium, usus & finis contritionis.

In summa, cognitio peccati interni omnium maxime opus est homini, pro efficienda in eo uera animi contritione. Primum, ut fiduciam suorum operum & carnalis iusticiæ a se deponat. Hæc enim impedit ne a deo recipi in gratiam possit: siquidem superbis resistit, humilibus autē dat gratiam. Et hanc impiam & pernitiosam superbiam tamen, docent tanquam pium & sanctum opus Sophistæ. Deinde, ut uere humiliatus coram deo, per peccati sui cognitionem, quærat etiam illius remissionem, sed fide promissionis Euangelij, propter CHRISTVM. Cum enim fides promissionis Euangelij accedit ad contritionem, animus peccatoris inter pauores desperationis deprehensus, iterum confirmatur de gratia & in spem uitæ æternæ erigitur. Et tunc oritur quidem pius dolor in homine contrito: & impius ille qui prior aderat totus fugatur. Hic serio dolent homines: de deo tam propitio & clemente patre in tantum offenso. Et cauent qui huiusmodi sunt, ne amplius offendant: sed ipsius uoluntati seruiant in omnibus & per omnia. Aut certe, si qua carnis imbecillitate & tyrannide peccati uicti fuerint, ut labantur: mox iterum resurgunt a peccato, ac pergunt aliquanto cautius in uita sua deum glorificare, ne iterum a peccato superentur. Quanquam isti non sint proprie

effectus

effectus contritionis: sed fidei qua cor contritum sanatur ut subinde melius habeat, gaudeat ac lætetur in DEO, domino & seruatore IESV CHRISTO.

Sed contritio per se consyderata, res est tristissima & amarissima: & dolorem istius omnes fugiunt & auersantur. Tantum abest ut elicere uelint. Nihil enim tam contrarium & inuisum est hominis naturæ, atque uere conteri: nihil ęque refugit & odit, homo Euangelij ignarus. Occurrit enim in uera contritione homini illud horribile spectrum iræ dei, mortis & æternæ maledictionis: de quibus lex concionatur. Et quomodo esse posset uoluntarium hominis opus, & rationis ludus? uidelicet, res amaritudinis & desperationis plenissima. Hæc igitur uis est uerę contritionis, & isti effectus, excitare in homine iram & odium contra legem & deum: et nouissimo protrudere in desperationem, terroribus peccati & legis uictum. Quæ enim conscientia uincere posset hanc horribilem legis uocem, quæ clamat: maledictus omnis, qui non permanet in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea? Si ignara sit Euangelij de CHRISTO: & nesciat opponere hoc gratiæ testimonium, Finis legis Christus ad iusticiam omni credenti, seu illud: Non estis sub lege, sed sub gratia. Siue illud: CHRISTVS nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Siue denique quodcunque aliud ex Euangelio, quod testetur, nos per CHRISTVM liberatos esse a peccato, ira & maledictionibus legis, quatenus in eum credimus.

Liquet ex his omnibus, quæ dixi, in hunc locum, quanta sit uanitas doctrinæ scholasticorum Theologorum de contritione. Nam quia oportet tandem ueritatem legis iudicio dei omnibus conscientijs reuelari: certe eos, qui parum exercitati sunt, ad uincendum terrores peccati & legis per Euangelij fidem, in iudicium æternæ mortis abijciunt. Alios quos sanare uidentur & curare, efficiunt ridiculos hypocritas: superbientes de re nihili, imo peccato, tanquam de perfectissima iusticia, coram DEO. Quo quid miserius & calamitosius esse possit, quam hominem sic persuasum de deo? Nisi tandem per gratiam liberetur ab erroribus tantis, & tam perniciosis. Peruersa impietas ita sentit ac statuit de deo, quasi per legem suam nulla alia peccata in nobis reprehendat: præterquam quæ potest ac solet captus naturalis reprehendere & damnare: & uis rationis aliquo modo superare. Quod si ita esset, tunc uere nihil haberet opus homo lege diuina: multo minus gratię et Euāgelij lucę. Per rationem enim satis erudiretur: qua qui bene uteret, beatus esset: qui autem illa abuteretur, ei esset pereundum. Ideo nihil sunt Scholastici theologi, quantum attinet ad doctrinam de contritione & iustificatione, nisi rationis doctores. Lege perniciose abutuntur: & Euangelij prædicationem nusquam attingunt. Quare non habemus opus ulteriore & firmiore cō

futatione, contra uanitatem dogmatum prædictorum de contritione: quę tam aperto uanitatem produnt suam, & ipsa se confutant.

De proposito confitendi & satisfaciendi utrum sit in contritione, non oportet disputare: si præsertim loquaris de contritione, quam Scholastici docent. Facile est de re ficta & pharisaica quiduis fingere & nugari. Nos tamen & de confessione delictorum & satisfactionibus suo ordine loquemur.

DE CONFESSIONE DELICTORVM: *et quid sit peccata sua uere confiteri.*

CAP. II. Secunda pars poenitentiæ ponitur a scholasticis Theologis confessio delictorum: nec numeratur in illa, nisi quę sacerdotum ministerio celebratur, & tota est iuris humani. De qua pontificius canon extat, in hęc uerba; Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia peccata sua saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti. Hanc monstrare possim multis nominibus impiã esse. Primum, quia fingitur necessaria ad saluationem esse, quæ sine mandato DEI docetur. Vt non possit nisi hypocritas efficere, nisi libera relinquatur: & uolentibus eam facere, seu pro institutione & consilio, seu pro consolatione permittatur, aut consulatur. Deinde, quia libertatem Christianam opprimit: & Christianis grauius iugum inijcit, quam unquam impositum fuit Iudæis. Cogit enim pharisaico præcepto illius institutio homines peccatores, quales omnes sumus, ad impossibile: propter illam enumerationem omnium delictorum: quæ in ea confessione requiritur. Quia nemo omnia intelligere, nemo omnium recordari potest. Verum hic accusatur negligentia inquirendi, & ideo multos modos inueniendi oblita peccata, per certas circunstantias proponũt: & nescio quot rationibus alijs laborent, in sordibus peccati memorandis nos retinere. Vt uix sit ocium cogitandi aliquid de gratia & saluatione quę datur per CHRISTVM. Verum nec conceditur huic gratiæ locus apud Theologos scholasticos.

Nam quemadmodum contritioni, ita quoque isti pharisaicæ confessioni tribuitur a Scholasticis, meritum remissionis culpę. Verum ne hic impingant, & uideantur imposturas offundere, cum contritioni tribuant, quod sufficienter liberet a culpa, addunt uenustum commentum. Dicunt enim, quoniam contritio uotum confessionis annexum habet, ideo liberet a culpa poenitentes: quemadmodum desyderium baptismi, baptizandos. Atq; ita quidem nõ erit per se sufficiens contritio ad meritum remissionis culpæ, nisi confessio accedat: aut certe uotum confessionis faciendæ. Cum uidelicet in aliquo necessitatis casu illam coram sacerdote priuato non possis facere. O diligentes theologos tractatione scripturarum: imo pharisaicarum cogitationum. Hæc enim loquuntur

& affir-

& affirmãt, non modo sine scripturis: sed & pugnantissima pugna aduersantes Euangelio de Iesu Christo.

Disputant etiam, utrum hæc ridicula & pharisaica confessio liberet peccatores a pœna. Sed quoniã peccato non deberi existimant, quã æternam pœnã, aut temporalẽ: pœna autem æterna per contritionem dimittatur, temporalis uero per satisfactionem: ideo prope concludunt, per confessionem nihil remitti de pœna. Sed hanc argutiam ita eludunt: Thomas, dicendum, inquit, quod confessio simul cum absolutione habet uim liberandi a pœna dupliciter. Vno modo, ex ipsa ui absolutionis: & sic quidem liberat in uoto existens a pœna æterna, sicut etiam a culpa. Quæ quidem pœna est condemnãs, & ex toto exterminans: a qua homo liberatus, adhuc manet obligatus ad pœnam temporalem, secundum quod pœna est medicina purgans & promouens. Et hæc pœna restat in purgatorio patienda, etiam his, qui a pœna inferni liberati sunt. Quæ quidem pœna est improportionata uiribus pœnitentis: in hoc mundo uiuentis: sed per uim clauium in tantum minuitur, quod proportionata uiribus pœnitentis remanet: ita quod satisfaciendo, se in hac uita purgare potest. Hæc Thomas. Postea subdit: alio modo diminuit pœnam confessio ex ipsa natura actus confitentis: qui habet pœnam erubescentiæ annexam. Et ideo quanto alius pluries de ipsis peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur.

Quem non pigeat istarum neniarum & uanitatum? Quas ego recito tamen ita prolixe, ut ab his qui ignorant cognoscantur, et odibiles reddantur. De quibus adeo nihil est in scripturis: & a Sophistis tamen ea specie traduntur, quasi essent mere diuina oracula, quæ sunt dæmonũ imposturæ. Nullæ enim pœnæ peccati sunt, quas non persoluat & extinguat perfectissime CHRISTVS: his qui in eum credunt. Nos uero omnibus iustitijs nostris pro nullis peccati pœnis possumus satisfacere. De cuius ratione suo loco. Sed Sophistæ Iudaicis & pharisaicis opinionibus excæcati, hæc omnia de merito operis operati fingunt: quod scriptura sacra nusquam agnoscit. Imo omnibus modis detestatur.

Taceo infinitas alias uanitates, de quibus sophisticantur suo more Scholastici, circa confessionem delictorum: & huius, quam docẽt, quasdam alias incommoditates infra recitabo. Nam horribili tyrannide grauant omniũ Christianorum conscientias: & multis haud dubie ansam desperationis, hac in parte præbent, sicut alias in multis. Scire igitur oportet, hanc non præcipi a DEO: ideo nec necessariam esse ad salutẽ, etiamsi pie fieri possit, quod infra exponetur. Deinde addendum, aliam esse, quam Deus a nobis requirit: eam uidelicet, qua intus & per ueritatem cordis loquimur Deo, & delicta nostra accusamus. Imo ingenium huius corruptæ & pessimæ naturæ nostræ, qua toti in peccato sumus, odi-

mus ac detestamur: sicut nos haec exempla docent. psal. xxxij. Peccatum meum notum tibi feci: & delictum meum non operui. Dixi, confitebor super transgressionibus meis Domino: & abstulisti iniquitatem peccati mei. Et psal. li. Ecce in iniquitate genitus sum: & in peccato concepit me mater mea.

Quid sit peccata uere cõfiteri.

Iam docendi sumus, nec recte uti posse delictorum confessione, qui homines in suas carnales iusticias confidere iubent. Quid enim possunt illi nisi pharisaice de quibusdam externis peccatis, si qua admiserint, cõfiteri: & in caeteris iusticiam arrogare sibi: ad exemplum hypocritę pharisaei, Lucae xviij. Vt uel hinc adpareat scholasticos Theologos, de uera & pia delictorum & peccati confessione loqui non posse. Quia in totum peccatores sumus, non eo nomine solum, quando labimur in externa uicia. Nec pro ingenio corruptae naturae aliud possumus, nisi peccare: ut ex his, quae proxime dicta sunt de uera contritione perspicuum est satis. Ne memorē, quę dicta sunt a me in libro primo, capitibus de contritione, peccato & legibus. Nam & in bono opere peccatum habemus: quod confiteri & agnoscere oportet. Multo magis ingenium malitiosae naturae deplorare necesse est: & haec confessio debet esse quotidiana. Pertinet enim ad fidei iustificantis exercitium: neqꝫ ullis ullum peccatum remittitur nisi qui, postquam peccati mala deplorarunt omnia: reijciunt se in gratiam seruatoris Iesu Christi. Sicut huius confessionis peccati, & fidei in CHRISTVM pulcherrimum exemplum extat in epistola ad Roman. vij.

Sed attende quid fiat: scholastici Theologi, etiam meritum iusticiae uidelicet, operis operati, tribuunt huic pharisaicę confessioni: qua solū de illis peccatis pronunciamus quae externo opere admisimus, neque satis aut uere agnoscimus nos esse peccatores. Sic enim, cum peccata ipsa confiteri docent, implicant homines peccatores in alia grauiora peccata: arrogantiae pharisaicae scilicet, & inanis gloriationis, de opere bono confessionis. Nec enim meretur iusticiam coram DEO, etiam uerax & pia confessio: sed Deus adest, sua mala uere & serio deplorātibus, & confert illis remissionem peccati gratis, quatenus in promissionem gratiae credunt. Sed huius discrimen, pharisaicę confessionis inquam, & Christianae, hominis superbi & arrogantis, fiducia operum suorum, & rursus uere humiliati agnitione & confessione sui peccati, uide depictum a Christo Lucae xviij.

Cum enim Publicanus quidam agnosceret, ac confiteretur sese esse peccatorem et peccatum suum deprecaretur, implorata misericordia Dei, pronunciatus fuit iustus coram DEO. Contra alius quidam, ex genere pharisaeorum, cum iusticias & merita sua superbe iactauisset: nihil de gratia sollicitus: nec enim agnoscebat se peccatorem esse: condemnatus est. Omni-

est. Omnino igitur aliud est peccati uerax confessio, quam isti esse imaginantur, qui peccati confessionem coartant ad certam quandam delictorũ enumerationem: qua nihil opus est confitenti, nisi in conscientiæ iudicio, quod satis est DEO. Deinde, ita confiteri peccatum, ut illius operis merito iusticiæ præmium tibi arroges, magis noxium est, quam prodesse queat. Is uero utiliter confitetur suum peccatum & delicta, qui procumbens coram misericordia DEI, & propiciatore Iesu Christo, precatur sibi ignosci: nihil tribuens uel contritioni, uel confessioni suæ, uel denique ulli alij operi suo, tanquam gratiam promeritus fuisset.

Habet autem magnam necessitatem uerax peccati & delictorum confessio: non est enim nisi effectus quidam contritionis: ideo non minus necessaria est homini Christiano, quam contritio. Requirit enim DEVS ueram humiliationem nostri: quæ sita est in uera agnitione nostri peccati, illaque est ueræ contritionis. Non aliter requirit humilitatis nostræ confessionem, siue corde, seu ore fiat. Quæ tunc utilis est & adfert confitenti remissionem peccati, quando fit fiducia remissionis peccati impetrandæ per misericordiam coram DEO. Et de hac confessionis necessitate, pietate, fructu & utilitate, lege quæ sunt 1. Ioan. 1. Quare ut nemo idoneus est ad promissionem gratiæ, nisi qui prius per peccati sui cognitionem uere contritus & humiliatus est coram Deo: ita confessio peccati necessaria est, (qua ueritatem cordis contriti testetur,) ei qui remissionem peccati consequi uelit. Neque tamen prodesse potest, nisi illi qui spe remissionis peccati consequendæ, per gratuitam gratiæ promissionem, illam facit. In hac igitur pia & Christiana confessione, agnoscimus & peccatum nostrum: & profitemur iustum esse contra nos iudicium Dei: & quod nunquam salui esse aut fieri possimus, nisi per gratuitam misericordiam Dei, & beneficium mortis Iesu Christi, DOMINI nostri. Necq; aliter fieri potest in omnibus qui sunt uere contriti coram Deo, quam ut peccata, errores & delicta sua agnoscant & confiteantur: qui, si pij sunt, non desperant, non abijciunt animum & spem recuperãdæ saluationis: sed confugiunt ad Euangelij promissionem, & quærũt, ut per uerbum gratiæ a peccatis suis absoluantur.

De necessitate & utilitate confeßionis.

Quare magnam necessitatem habet, ut dixi, uera peccati & delictorũ confessio: sed sicut docui, contritionem per se nulli prodesse, imo etiam perniciosam esse, in his in quibus nulla remissi peccati fides ad contritionem accedit: Ita ipsa quocq; confessio peccati per se nulli potest salutem adferre. Imo etiam perniciosa est, quatenus fit absq; spe consequendæ remissionis peccati. Quid profuit enim Iudæ proditori sua confessio, plus quam seria & cordis horribiliter contriti, cum gratiæ fides nulla ad illam accederet? In summa, lex contritionis formandæ regula, quando uere intelligitur, extorquet uel inuitis nobis peccati nostri confessionem:

ad quam nisi gratiæ fides addatur conijcit hominem in desperationem: non aliter quam contritio, quæ est inanis & uacua fidei in CHRISTVM. Nihil prodest enim uel agnoscere peccatum & terreri, uel cõfiteri illud: nisi & gratiam adprehendamus, qua liberamur a peccato. Hæc uero non potest aliter adprehendi, quam fide misericordiæ, propter CHRISTVM. Confessio igitur pia, utilis & fructuosa, nascitur ex interna poenitentia, seu contritione: quæ cum fide in Christum coniungi debet: ne fiat desperatio & mors æterna in homine peccatore.

Sua igitur peccata nulli qui Christiane iusti sunt tegunt, uel excusant coram DEO: imo nec coram hominibus, si quando res exigit illa retegi & accusari. Sed agnoscunt & fatentur ea omnia quæ retegit in omnibus DEVS. Pharisæorum est & hypocritarum nolle peccata agnoscere quæ habeas: nec prædicant suas iusticias, nisi abominales hypocritæ, quos uerbũ DEI iudicat & dãnat. Et quidem isti, si uere cognouissent quantæ sunt immundiciæ carnalium iusticiarum coram Deo, nunquam possent fiduciam in illas ponere. Sed conuersa mente & sententia dicerent cum propheta: Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Imo cum omnibus sanctis: remitte nobis debita nostra. Nam in illis debitis sunt multa grauia peccata, quæ homines pharisaice iusti nunquam recte cognouerunt. Quando igitur negamus ullam peccati confessionem ueram esse apud eos, qui fiduciam in suas carnales iusticias ponunt: cum tamen nemo uideatur plus confiteri peccatum, & minus a iusticia abesse: oportet attendere, nos de uero iudicio & uera accusatione peccati loqui, ita ut ueritas est coram DEO. Nam in iudicio Dei nemo mundus est, & nemo sine peccato: ut possit aliquis dicere, mũdum est cor meum, purus sum a peccato. Deinde, nemo de operibus suis bonis, tanquam de perfecta iusticia, gloriari, nisi pharisaice & impie, coram Deo, potest. Alioqui probe scimus, non ab alijs plura scribi de confessione delictorum, quã a Scholasticis & summistis: sed pharisaice & scelerate omnia. Lege obsecro exempli gratia prodigiosum locum, de interrogationibus peccati in confessione, in summa Angeli. Sed hæc præfati in locum de peccati confessione: deinceps de generis speciebus seorsim scribemus.

ESSE PLVRA GENERA, SEV *species confessionis: & de primo, quod fit intus in corde, seu coram Deo.*

CAP. III. CONfessionis delictorum triplex genus numerari solet, commendatum nobis in literis sacris. Primum illud, quod conscientia peccati nos perurgente intus fit in cordibus nostris, seu coram DEO. Secundũ, est externæ & publicæ confessionis: qua coram tota Ecclesia aliquoties utimur. Ita enim fieri nonnunquam oportet, & publice confiteri: cum ex

alijs causis, tum pro diuinæ erga nos gratiæ laude, prædicatione & gratiarum actione. Tertium, illi debemus, quem læsimus pro sarcienda concordia & reconciliatione. Quibus nos adijcere poterimus quartũ, quod priuatũ appellamus: et nũc fere solet fieri corã aliquo Ecclesię ministro, seu uerbi DEI doctore, aut pro consilio in rebus dubijs, aut pro fidei confirmatione. Omnino enim multi casus se offerunt, & quotidiani, in quibus sæpe opus est hominibus imperitis, & periclitantibus conscientijs, tali aliquo consilio & confirmatione. Verum hoc genus prorsus liberũ est: nec debet cogi sub præcepta hominum: sed relinqui, ut illo utatur qui uelit. Laudari autem debet: & commoditates illius coram uulgo a peritis diligenter exponi. Cæterum confessio delictorum, quæ hoc tempore fit, coacta & extorta per leges Pontificis Romani, & prædicata a scholasticis Theologis, speciem quidem habet pietatis, sed hypocritarum est, & perniciosa.

Igitur primum genus confessionis est omniũ, qui uere contriti sunt. Nã quibus suum peccatũ lege & spirituali efficatia in cõscientijs ipsorũ retegitur & exprobratur: illi uelint nolint cogunt cognoscere & fateri quod est: nempe, se esse miseros, calamitosos, & abominabiles peccatores coram DEO, iure condemnari & abijci. Et in hac confessione nihil est, quod pios homines discernat ab impijs, commune est enim hoc genus omnibus: ut pariter eandem confessionem faciant pij & impij coram Deo, nisi ꝙ in piorum confessione fides accedit: quę retrahit a blasphemijs & murmure contra deum, ac seruat eos a desperatione. Adeoꝗ regit in spe remissionis peccati & uitæ æternę. Alioqui ipsi quoque impij trahuntur tandem ad conscientiæ iudicium: quo peccatum suum uideant. Quod tunc in cordibus suis & coram deo nunquam possunt negare: sed irascuntur DEO, & ruunt in desperationem, cum ipsa necessaria peccati confessione. Sicut docemur exemplo Cain, Iudæ proditoris & similium. *Confessio interna cordis.*

Proinde DEVS est, qui hanc internam peccati confessionem, pro ineffabili bonitate & amplitudine misericordiæ suæ, conuertit in iustificandis, (ac retinet in iustificatis.) in piam, uoluntariam & glorificantẽ deum peccati nostri confessionem: ut quos per Euangelij doctrinam, de remisso propter CHRISTVM peccato, consolatur. Oportet enim statuere, quod prius docui, piam confessionem delictorum, a nemine posse fieri, quã illis q uera IESV CHRISTI noticia et fide prędíti sunt. Deinde, ꝙ sicut uera fides semp durat in homine Christiano: ita ipsam quoꝗ confessionem semper durare, non exteriorum delictorum tantũ, si quæ admissa sunt, uerumetiam immundiciæ naturalis, & peccati seu defectus in opere bono. Si igitur ad illam confessionem, fides remissi peccati accedit, bene nobiscum agitur, nosque glorificamus DEVM. Sin

nulla fides in eam peruenit, de peccato gratis remisso per CHRISTUM: uæ istis in quibus hæc peccati confessio est aut fuit. Tam est necesse saluandis ut conscientiæ terrores, quos suscitat lex & peccati agnitio, consolatione Euangelij eijciantur. Ergo in hac confessione, quantū ad pios, non est nisi quotidianum exercitium fidei. Qui enim per gratiæ cognitionem, uere illuminati sunt, sine hac confessione interna sui peccati nunquam possunt esse: nec sine confessione gloriæ DEI, & gratiæ IESV CHRISTI. Denique nullum est aliud genus confessionis, quod sine hoc possit acceptum esse & probari coram deo.

Hanc igitur confessionem docet nos primum lex dei: est enim potissimum tradita, ut ostendat & accuset nostrum peccatum. Deinde, ipsa etiam Euangelij prædicatio docet eandem. Testatur enim Euangelium, pro peccatis nostris traditum esse CHRISTVM, filium dei: ergo significat nos grauissimos peccatores esse, qui nullo alio precio potuerimus liberari a peccato. Postremum & multis exemplis sanctorum commendatur nobis: sicut illo Dauidis, psal. xxxij. Peccatum meum notum tibi feci, &c. Nam huius testimonij supra mentionem feci: & cuiusdam alterius ex psal. li. In quo toto psalmo, est perfectissimum exemplar huius confessionis. Huc etiam facit illud Prouerb. xviij. Qui obtegit scelera sua non prosperabitur: qui uero confitetur & relinquit, misericordiam assequetur. Beatus homo, qui semper est pauidus: qui uero est mētis duræ, corruet in malum. Item illud uulgatissimum, quod est prima Ioan. primo. Si dixerimus, &c.

Liquet etiam, quod hanc piam confessionem, solus DEVS in nobis operatur. Quia uerbum DEI tam legis quam Euangelij, per solum spiritum sanctum est efficax in nobis. Deinde hæc confessio fons est omnium reliquarum quę pie fieri possunt: quare uel ex eo claret, impiam esse, quæ per doctrinas & præcepta hominum ab inuitis extorquetur. Nam in ea quid esse posset, quam impia & blasphemans hypocrisis? Hoc scire etiam eo prodest, ne remissionem peccati promitti patiamur, his quibus illa non debetur. Ita sunt doctrinę hominum in Ecclesia: laquei uidelicet conscientiarum, quando pro necessarijs pręceptis prædicantur. Cauendum autem in hoc genere, sicut in omnibus alijs, ne confessionem ex opere operato ualere existimemus. Nihil enim DEVM placare nobis potest, uel remissionem peccati impetrare, præter quā mediator gratiæ Iesus Christus, DOMINVS & seruator noster. Cuius beneficio quidem salui sumus a peccato & a morte quatenus in eum credimus.

Hæc de primo genere confessionis, in quo fontem esse dixi omnium reliquorum, quæ pie fieri possunt: quia est internum et cordis confessio, sine qua aliæ externæ confessiones, quid possent nisi meræ hypocrises,

irrisiores Dei & hominum esse. Et quoniam huius generis nulla mentio fit a Scholasticis: (aut si usquam fit, pure non docetur.) docent enim his contraria: facile iudicari potest, quid statuendum sit de uulgata illa confessione quam prædicant quidem , legibus, mere pharisaicis, ut supra declaratum est.

DE SECVNDO GENERE, EXTERNAE & PUBLICAE CONFESSIONIS.

PRoximum genus externum est & publicum: ut quod fieri debet coram tota Ecclesia. Habet autem uaria exempla. Nam primum fit ab omnibus qui confluunt ad Euangelij prædicationem: & ad sacramentorum communium cum Ecclesia usum. Nam quis est, qui Euangelium uere intelligit, & non confiteatur libenter coram omnibus, se peccatorē esse, qui Euangelij gratia indigeat, et sine qua nunquam saluus esse queat: atq; adeo ex corde & sine fuco confiteatur? Quanquam in hac confessione, non sit opus illa pharisaica murmuratione delictorum, de qua Romanus Pontifex & Scholastici precipiunt: sicut nec in superiore. Deinde, qui ad sacramenta ueniūt omnium apertissime agnoscunt & fatentur se esse peccatores. Fit etiam ab illis hæc publica confessio, qui alios suo exemplo inuitant & exhortãtur ad Euangelij de Iesu Christo fidem: uidelicet, per confessionem gratiæ, & remissionis peccati, sibi peculiariter exhibitæ & factę. Deniq; & illis, qui accusati ab Ecclesia et testibus, suam culpam agnoscunt. Hac enim confessione probant se Ecclesiæ qui lapsi sunt, quod uelint reuerti. CAP. IIII.

In hoc toto genere nihil non dulce & iucundum est. Est enim eorū qui terrores conscientiæ uicerunt: & quarum per gratiæ fidem sanata est contritio. Ideo ea suauitate & iucunditate refertum est: qua solent alia opera bona a sanctis & fide iustificatis prestari. Nec ab alijs potest pię aut ueraciter præstari. Huius exemplum habes Matt. iij. Nam Ioanne Baptista annunciante pœnitentiam, & docentę fidem in CHRISTVM: multi confluebant undiq; ad ipsius prædicationem, & baptizati confitebantur sua peccata. Sed ad hunc modum confiteri, fuit omnium precipuo agnoscere peccatum uiciatæ naturę: quo solo, etiamsi nullum externum facinus admiserimus, adimitur nobis laus iusticię & spes æternę uitæ. Nisi quatenus restituitur nobis, tam iusticia, quam salus illa fide uerbi gratię, & sacramentorum usu, propter Christum.

Huius eiusdem rationis est, quod cum Marcus, tum Lucas scribunt, predicasse Ioannem, baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorū. Nam certe illum baptismum nemo suscipere potuit, non confessus se esse peccatorem: ut maxime nullum externum opus prauum admisisset. Deinde nemo huc ueniebat, nisi qui recipiebat peccata coram DEO nulli remitti per iusticias legis, sed gratis propter Christū: aut pie nō uenie

bant, si qui iusticijs legis eum honorem habuerunt, quasi illis liberemur a peccato. Nam Ioannem prędicasse fidem remissionis peccati per Christum, testatissimum est, ex illo Ioannis i. Ecce agnus dei, qui tollit peccata mundi. Item ex illo Ioannis iij. Pater diligit filium: & omnia dedit in manum eius. Qui credit in filium, habet uitam æternam.

Baptismus aque. Porro hic idem pœnitentiæ baptismus durat in Ecclesia: nec eius alius usus est quam fuit ab inicio. Prębet enim exercitium fidei: & est testimonium gratiæ his qui baptizantur. Quare etiam confitemur peccatores esse, eos quos adducimus ad baptismum Iesu Christi: sicut et Ioannes suos illos quos baptizauit in Christum, testificatus est peccatores esse. Aliud uero confessionis huius exemplum refertur, Act. ij. eorum qui ad Petri prædicationem sunt conuersi & baptizati in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum. Qui si absq; baptismo, & fide gratuitę remissionis peccati per Christum sperare salutem potuissent: nunquam quisquam eos ad baptismum pertraxisset. In talibus ergo uerax & publica confessio peccati fuit: etiamsi nominatim nullus delicta sua percenseret, ita ut hoc tempore fit in secretaria confessione. Sed tamen peccatum quod confitebantur tale esse agnoscebant, ut nulli per iusticias legis condonari posset: & solis illis remitteretur, qui per Iesum Christum uerbū gratię & fidei sacramentum recepissent.

Quare necq; hoc tempore ad fidei sacramenta ullus admitti debet, sine hac confessione. Quia Euangelij gratia nullis debetur, nisi ijs qui se peccatores esse agnoscunt & confitentur: et quod sine iusticijs legis, per solam gratuitam peccati remissionem, quatenus in Christum credunt, saluentur. Et ex his exemplis usum huius confessionis satis poterimus intelligere: qui fuit olim publicus, eorum qui adulti ad Euangelium et sacramenta uenerunt: & hoc tempore, publicus est in baptismo paruulorum. Apud adultos autem in dominicæ cœnæ usu: & in contionibus illis publicis uerbi DEI. Illis enim solemus omnes homines peccati accusare: quod etiam qui uere pij sunt agnoscunt in se & deplorant ac detestantur: & remissionem peccati quærunt, fide uerbi gratię & perceptione sacramentorum.

Ad secundam partem huius confessionis, qua uidelicet, alios nostro exemplo consolamur, faciunt hæc testimonia. Primum illud Christi, quo dictum est Petro, ut est Lucæ xxij. Simon, Simon: Satanas expetiuit uos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te ne deficiat fides tua: & tu conuersus aliquando CONFIRMA fratres tuos. Hic satis est nos tenere uoluntatem Christi: quæ est, ut sancti beneficijs gratiæ, sibi peculiariter prę̄stitis, alios peccatores consolentur, ac confirmēt de promissionibus gratię, et in fidem remissionis peccati inducant: ne pigeat eos pœnitentię & renouationis uitæ, atque ut certi sint saluationis

per Chri

per Christum. Talis est hęc Pauli confessio, quę legitur prima Timot. primo: ubi non tacet quomodo peccati, quod insigni impietate contra Christum & Ecclesiam admiserat, insigni quoqꝫ gratia consecutus sit remissionem: Imprimis ut alij hoc exemplo capiant suę fidei confirmationem. Pauli uerba sunt hęc: Certus sermo, & dignus qui omnibus modis accipiatur, quod Iesus Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere: quorum ego primus sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum, ut in me primum ostenderet Iesus Christus omnem patientiam ad proponendum exemplum ijs, qui credituri sunt in eum in uitam ęternam. Iam hęc exempla omnes ad similem confessionem hortantur: si qua ratione tali alios confirmare ac retinere in fide possint. Nam si qui sunt imbecilliores, firmiorum exemplis mirificam & efficacem capiunt consolationem.

Pars tertia huius confessionis, qua agnoscimus accusati nostra delicta, & spem conuersionis nostræ bonam Ecclesiæ præbemus, habet ordinationem CHRISTI. Matthæi xviij. Vbi deniqꝫ illum, qui contemnit Ecclesiæ monita & correptionem præcipit excommunicari. Nam qui cum scandalo Ecclesię peccant, & nullam sui correptionem ferunt, uel quæ fit seorsim a paucis, uel publice a tota Ecclesia, illis plane nulla debet remissio peccati: nisi reuersis ad pœnitentiã & fidem in CHRISTVM. Tunc enim iterum recipi ab Ecclesia debent: eique reconciliari & incorporari, e qua propter peccatum, & obstinatiam in illo, fuerant eiecti. Id quod satis notum est ex loco illo, prius citato.

In quo genere, quis non uidet, illis qui peccant semper opus esse aliqua peccati sui confessione: etiamsi eius, quod prius innotuit Ecclesiæ. Quomodo enim isti recipi ab Ecclesia iterum possent, nisi plane testificarentur, sibi ipsis displicere suum peccatum: cum precatione absolutionis: Quanquam autem hac confessione magis Ecclesiæ satisfiat quam DEO: (sufficit enim coram deo conuersio & fides cordis: quæ illum non latent.) tamen requirit eam DEVS, tum ut coram Ecclesia humiliemur, cuius iudicium non erubuimus contemnere prius: tum etiam, ut sententia ipsius Ecclesiæ animos nostros erigamus & confirmemus: maxime tunc cum pœnitentiam agentes absoluit. Nam cum ligat delinquentes, contemnitur fere: donec resipiscant quos ligauit. Huius confessionis olim publicus usus fuit, in publica pœnitentia facinorosorum: solum in eo diuersus ab instituto CHRISTI, quod lapsos sine certis satisfactionibus operum suorum non recipiebant in pœnitentia: quos CHRISTVS sine ullis satisfactionibus recipi iubet.

In summa, in hoc toto genere confessionis est quoddam publicum testimonium, tum eius quod peccatores sumus: tum etiam illius, quod sine gratuita remissione peccati, quę fit propter Christum, his qui in eum

credunt, nūquam salui esse possimus. Sicut hoc uerbum Pauli testatur: Corde creditur ad iusticiam, ore autem fit confessio ad salutem. Nam fides cordis, de qua Paulus loquitur, est firmiter statuere, quod per promissionis Euangelij uerbum, quo nobis salus per Iesum Christum offertur, ac fidem nostram in illud, liberemur, & a peccato & a morte. Nec aliud agit confessio, sequens hanc fidem, nisi quod eam quæ antea latuit in corde, profert in lucem: nempe, fidem. Vbicunq; tandem & coram quibuscunq; fiat: siue multis, siue paucis. Etiam quacunque occasione: uel coram inimicis, & nominis IESV CHRISTI persecutoribus. Proinde, quemadmodum primum genus confessionis internum est, iusticię cordis opus, & impletio primi præcepti: ita hoc secundum est externum & pertinet ad impletionem secundi pręcepti. Hanc etiam, quia nascitur ex confessione cordis, palam est quod DEVS in nobis creat. Hoc dico, ne existimemus uires rationis in tam sublimibus et diuinis uirtutibus aliquid posse pręstare. Postremum & de fructibus huius confessionis satis admonemur, cum ex priore genere, tum ex iam dictis. Est em̄ perpetua quædam laus DEI: & proximis seruit ad fidei ædificationem.

DE TERTIO GENERE CONFESsionis: *pro reconciliatione.*

CAP. V. Tertium genus confessionis est, quo eum placamus nobis, quem offendimus quomodocunq;: dictis aut factis, iterumque reconciliamus: si tamen iniuria est, & peccatum contra legem DEI, quod admisimus. Aut certe operam damus, ut illū placemus: quod nos excusabit, si reconciliari nobis nolit. Quod alia ratione & uia meliore fieri non potest, quam per illatæ iniuriæ coram offenso apertam confessionem, cum delicti nostri deprecatione. Cum igitur qui læsit proximum, pacem & reconciliationem petit: cogitabit læsus, hoc officij sui esse, proximo per dilectionem, non grauanter, necq; tarde ignoscere. Et hunc honorem Iesu Christo habeat: quod & Paulus requirit, Col. iij. Supportantes inuicem, & donantes uobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam: sicut & CHRISTVS donauit uobis, ita & uos. Sed & mandato de placandis & reconciliandis læsis satis liquet, quid oporteat læsos pro uoluntate DEI præstare: nimirum, faciles se prębere ad ignoscentiam, & tales ut uideantur pacem ultro offerre ac petere. Et debent ea in re fidem suam exercere: quemadmodum cum precantur, dicentes, remitte nobis debita nostra, sicut & nos remittimus debitoribus nostris. Glorificantes DEVM in omnibus: per Dominum Iesum Christum.

Cæterū quod attinet ad necessitatem placandi alterius: ęquum sane est, ut quem priores læsimus, sine ipsius culpa, & cum peccato aduersus Deum, eum nostris satisfactionibus iterum reconciliare studeamus, & offensam tollere. Atq; facillimum est, pacem impetrare ab omnibus, qui

sunt uere

sunt uere Christiani: ita maiore diligentia & cura eorum amicicia ambi re oportet, qui accepta iniuria furere cœperunt, & parum esse Christiani. Non eñ ignoramus, quam peccent grauiter, qui alijs peccandi causam præbent. Sed hominum tamen quorundam tanta est, uel superbia uel duricia cordis, ut ægre hanc confessionem faciāt: & suum delictum sibi a proximo remitti orent. Quemadmodum sunt rursus, qui uel leuiter offensi, nihil quicquam uolunt proximo, quantumcunque laboranti pro concordia & pace, ignoscere & condonare. In hunc modum utrique malunt in impietate permanere: & alteri statuunt uindictam quęrere, alteri iniuriam, quam proximo intulerunt, nunquam deprecari. Igitur utrique admonendi sunt, quod ab officijs Christianorꝫ recedant.

Nam cum duæ sint legis partes, quarum prior nos docet de fide bonitatis & misericordiæ erga nos DEI: posterior autem de proximi dilectione: semper meminisse debemus, DEVM totam obedientiam a nobis requirere, & exigere utriusq; partis Decalogi obseruationem, & neutram sine altera placere Deo. Imo sic requirit dilectionem proximi, ut nihil sit in omnibus, quo coli a nobis possit, quod recipiat, aut probaturus sit, si officia dilectionis in proximum negligamus aut contemnamus. Id quod liquet ex Esa. i. lviij. Ose. vi. Mich. vi. &c. Iam quod hic agimus, de reconciliando, & condonando, pertinet ad proximi dilectionem: quæ impune contemni a nemine potest. Non possumus quidem ullis operibus nostris, sic iustis & bonis, placare nobis DEVM: at possumus cito iram in nos Dei concitare, nimirum, nimio contemptu illius mandatorum: quod ne fiat, debent omnes boni diligenter cauere. Nam & fides in DEVM nulla existere potest, in illis in qubus officia charitatis omnia frigent & cessant, & nihil quam ira, iurgia, lites, contētiones, discordiæ & inimicitiæ regnant. Proinde hæc confessionis necessitas, & ignoscendi pietas, non parum faciunt ad fidei nostræ probationem: qua aut ipsi cognoscamus, aut alijs pro gloria IESV CHRISTI innotescat, quid in cordibus nostris lateat: qua obedientia & laude, sanctum & gloriosum nomen DEI uelimus hic interris honorare.

Hoc igitur ex officio omnes Christiani præstare debebunt: primum, qui alios offenderunt eos iterum quęrant sibi reconciliare, & paci quantum in ipsis est studere: idem quoq; præstare debebunt qui offensi sunt, in condonando alijs sua errata. De priore ratione habemus hoc præceptum CHRISTI, Matthæi v. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum coram altari, & uade, prius reconcilieris fratri tuo: & tunc ueniens offeras munus tuum. Tunc enim habet frater meus aliquid aduersus me, si qua in re a me læsus est: ut de accepta iniuria cōqueri possit, & me apud alios accusare. Ideo enim mox sequitur in uerbo

Christi: Esto consentiens aduersario tuo cito, (Aduersarius ille is est, qui potest me in ius uocare, diem dicere, litem intendere, & de iniuria corã iudicibus & arbitris accusare.) dum es in uia cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis hinc, donec reddas nouissimum quadrantem. Et hæc ex mandato CHRISTI, de reconciliationis necessitate.

Cæterum de posteriore ratione, mox ab initio huius loci non pauca dixi: quibus adijci possunt, quæ sunt Matthæi xviij. de ignoscendo, & remittendo alijs sua in nos debita, hoc est, errores, delicta, atque peccata, pulcherrima & prolixa parabola, qua admonemur primum beneficiorum gratiæ erga nos DEI: ut eo proniores simus & faciliores ad ignoscendum alijs, quod aduersum nos deliquerunt. Nisi ergo gratiam Dei contemnere uelimus & perire æterna perditione, dabimus hoc uoluntati DEI, per gratiæ in nos ipsius fidem, ut proximis nostris sua in nos delicta remittamus, paci & concordiæ studeamus. Non conuenit enim, ut recepti in gratiam filiorum Dei, DEO in nullo similes esse, & in nullo morem gerere uelimus: sed ut degeneres filij iram, odia & lites fouere. Non respicit, non exaudit tales Deus, qui sic sunt impij & mali: hinc est apud Marcum xi. Et cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in coelis est, dimittat uobis peccata uestra.

Iam non multis opus est disputare, quomodo in hac reconciliationis diligentia & condonationis clementia & bonitate regnet uera in DEVM fides. Charitas enim fidei fructus est: ideo in quibus uera fides est, illi non possunt hoc utrunque officium dilectionis non facere, si casus ita ferat, ut alterius sint debitores, seu utriusq; simul. Et ualde opus habemus his talibus probamentis: ne ipsi inani fidei opinione nos ludamus.

DE CONFESSIONE *priuata.*

CAP. VI. QVartum confessionis genus priuatum est ac fraternum. Vt quo sine mandato Dei utimur: singuli priuatim, quoties & ubi libet: maxime tamen apud Euangelij ministros, deponentes conscientiæ onus, uel pro doctrina, uel pro fidei imbecillioris confirmatione. Omnino enim huius confessionis usus liberrimus esse debet: ac nemo ad illam cogi. Nulla enim coacta seruitia possunt Deo placere: & qui non prius illam faciunt nisi cogantur, etiam coacti non faciunt, sed per hypocrisim hanc simulant, Deum & homines irrident. Denicq; uertunt hanc sibi in causam multorum grauium delictorum & blasphemiarum, ut in sequẽte genere dicam.

Quanquam autem nullum mandatum Dei extet, quo nobis hęc cõfessio

fessio præcipiatur: tamen quando piorum conscientiæ in Ecclesia, illa non onerantur, non debet nec potest reprehendi. Sed Pontifex Romanus & Scholastici, illius saluberrimum usum perdiderunt. Ego uero hoc loco dicam paucis de illius fructu & utilitate: & cur existimem illius usum retinendum esse in Ecclesia: & homines doctrina & exhortationibus ad illum inuitandos.

Prima igitur commoditas est, qua ego moueor, consilium quod dubijs conscientijs, & doctrina quæ in certamine peccati, dari potest. Si enim labefactatę cōscientiæ homines & territę, accedant aliquem pium & sacrarum literarum peritum hominem, poterunt per uerbum DEI, doctrina & consolatione, restitui. Neque facile iudicare de hac utilitate possunt, nisi expertæ conscientię. Deinde, quis ignorat, tales multos casus sese quotidie offerre nobis, in quibus nemo, quantumuis sapiens, doctus, pius, & peritus, satis idoneus ac sufficiens consultor sibi esse possit? Sic enim humiliat DEVS, etiam summæ eruditionis & pietatis homines, ne quis in dona sua confidat: omnesq; in remissionis peccati fide retineantur. Conclusit enim omnes sub incredulitatem, (hic maxima infirmitas, error, ignorantia, impietas & pusillitas, regnant.) ut omnium misereatur.

Secunda commoditas, quæ ex priuata confessione haberi potest, est mutuę orationis solatium. Oratio enim nunquam omitti debet, ubi agitur de re conscientiarum: de remissione peccati, de DEO offenso per peccatum, iterumq; placando, & de uita æterna. Ac debent ministri Ecclesiæ in hac confessione adhortari homines ad mutuas precationes. Nam in hac summa re assuefacere homines ad inuocationem utilissimū est: propter hanc prēclaram promissionem, quæ dicit. Si duo ex uobis consenserint, de omni re quacunque petierint, fiet illis a patre meo qui in coelis est. Vbi enim sunt duo uel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Matth. xviij. Ita certe efficaciter capient consolationem, qui confitentes sua delicta, inuocationem non negligunt, sed illa cum ministro uerbi DEI utuntur. Fiet etiam, ne uerbum absolutionis indigne tractent.

Tertia commoditas, quæ spectari in priuata confessione debet, est absolutio priuata. Ea est certa potestas Ecclesiæ: qua dispensant eius ministri remissionem peccati. Imo est Dei sententia: qua ministerio sacerdotum in Ecclesia, liberi pronunciamur, cum a peccato, tum ab æterna morte, quatenus in IESVM CHRISTVM, precium pro peccato & morte credimus. Et de hac potestate, ut est Ecclesiæ tradita, paulo post plura scribemus. Cæterum priuata absolutione non aliter utendum cēseo, quam baptismo seorsim quilibet utimur, & dominica coena: nempe, ut peculiari gratiæ signo ac testimonio. Sicut in signis iubemur attende Absolutio.

ſe, quid ſeorſim & priuatim nobis conferatur. Verbum enim fidei priuatim uni adminiſtratum, omnino ſimile quid haberi uidetur, cum ſacramentis. Vt ſicut qui baptizantur, uel dominica cœna utuntur, tum demum intelligunt ſuum eſſe, quod myſterio ſacramenti perceperunt: ſic cum priuatim abſolutionem audiunt, certius ac firmius diſcunt hic ſuam rem agi, non aliorum. Ac niſi aliquid poſſet hæc priuatorum in ſacris tractatio & uſus, pro confirmatiore conſolatione imbecillitatis noſtræ, nunquam tradita fuiſſent Chriſtianis ſacramenta: quæ conſtat eſſe peculiaria gratiæ teſtimonia, & ſignacula ſaluationis, quam in fide poſſidemus. Quæ etiam tantum proſunt, quantum priuatim quiſque illa recepit ac retinet in fide. Sic igitur adhiberi debet perturbatis mentibus, & terrore peccati concuſſis atque confuſis abſolutio priuata: & ualebit certe in fidei maius exercitium & ualidius robur. Sed de priuata abſolutione etiam infra dicam.

A nemine igitur improbari hæc confeſſio iure poteſt: qua tam bene uti poſſumus, & quę habet in ſe tot ac tantas commoditates. Male audit quidem hoc tempore a non paucis: ſed ignaris onerum & periculorum, quibus conſcientiæ plurimorum premuntur, & huius uſu releuari poſſunt. Vel potius odio & inuidia Pontificis & Scholaſticorum: qui ex medicina hac confeſſionis delictorum priuata, fecerunt publicam quandam omnium carnificinam. Ergo cauendum eſt, ne eius libertas, quæ iam iterum reſtituitur nobis, denuo pereat ac perdatur hypocritarum traditionibus et impoſturis: ita ut diu iam factum eſt. Orandum eſt autem, ut DOMINVS illius ſitim in nobis accendat. Nam licet non habeat mandatum Dei, tamen niſi a ſpirituali mente, in qua DEVS regnat, efficax eſt & operatur, utiliter & pie fieri nunquam poteſt. Parit autem, quemadmodum & ſuperiores conſcientijs pacem: propter fidem doctrinæ uerbi DEI, & exhortationis, & conſolationis, & inuocationis, & abſolutionis: quæ omnia in illa tractantur, Denique accendit in nobis amorem Dei: & efficit gratos erga DEVM, atque indies meliores: qui illa frequenter, his animis & hac mente, ut dictum eſt, utuntur.

DE PHARISAICA *delictorum confeßione.*

CAP. VII. SVpereſt ut de ſecretaria confeſſione ſcribam: quam Scholaſtici & monachi prædicant, & quę Pontificis Romani decreto confirmatur. Vt conſtet cur illam & quatenus reprobemus: quæ creditur a multis pia eſſe, & utilis & neceſſaria in Eccleſia: cum ſit pluſquam impia, noxia & pernicioſa traditio. Collatione autem iſtius priuatæ, de qua proxime dictum eſt, conſtabit ſatis quatenus uelimus & iubeamus ſecretorum confeſſionem retineri. Non enim prorſus abijcimus illam: ſed ſordibus impietatis pollutam damnamus, & repurgatam ab illis adhuc retinemus.

Ac mihi

Ac mihi quidem satis erit, paucis incommoda quædam eius colligere & proferre in publicum: ne tacens, forte probare crederer, quæ in Ecclesia DEI locum habere non meretur, sed refutari debet & explodi.

Igitur non permittimus, ut aliquis necessariam faciat hanc scrupulosam & pharisaicam delictorum confessionem: in qua sit quædam certa enumeratio omnium delictorum, per omnes circūstantias ducta. Quis quid, ubi, quibus modis, qualibus auxilijs, cur, quando, & quoties, qua uoluptate, fuerit in peccato, uel consensum illi præbuerit. Quis enim tradidit hominibus hoc ius, tam tyrannice de secretorum confessione prę cipiendi? Quam non modo nemo amare potest, aut pia mente præstare: uerum etiam ex æquo omnes oderunt, ut molestissimum conscientiæ onus. Deinde impossibile est satisfieri isti enumerationi, ut prę cipitur: prę sertim a rudi uulgo. Et tamen fingitur sic necessaria esse, ut nemo sine illa saluus fieri possit. Deniq; alia grauior blasphemia additur: dicitur enim, quod homini merito operis operati impetret remissionem peccati, cum sit inuentum mere hominum: imo Satanicum, quatenus his conditionibus, quas dixi, prædicatur.

Facit igitur peccatum, ubi nullum est: & tamen illaqueat conscientias imperitas, & inuoluit eas in mortalia delicta. Vere enim peccatum est, quicquid credis peccatum esse, & cum conscientia delicti hoc facis, uel omittis, etiamsi natura sua non sit peccatum. Quod multis exemplis monstrare possem: sed nihil opus est, quia hoc omnes nouerunt. Sic peccant grauiter, qui oderunt hanc difficilem secretorum confessionem: cuius se existimant debitores esse, tanquam pij & necessarij operis, coram DEO. Ita constituit præmium saluationis, per remissionem peccati: in re, ubi nusquam minus est, cum summa uanitate. Sic enim derogat fidei in CHRISTVM: tum gratiæ & meritis Domini nostri Iesu Christi. Quare non potest non noxia traditio esse: ut etiamsi nulla alia incommoda illius essent, præstaret totam rejci damnari, quam quomodocūque retineri. Quid quod meros hypocritas efficit ex illis, qui existimant se isti confessioni satisfacere: quam non possunt synceriter amare? Alios autem, qui illius difficultatem & impossibilitatem plane intelligunt: & credunt tamen eius se debitores esse, protrudit cum indignatione & ira atque blasphemijs contra Deum in æternæ mortis desperationem.

Nam hanc molestam, odiosam & impossibilem conditionem nobis proponit: ut peccata nostra omnia secreta, manifesta, cogitationes, dicta & facta aperiamus: ac negat esse Christianos, qui ita confiteri nolint, reosque facit supplicij æterni. Habet casus reseruatos: si quis feria sexta carnes edat, uel somniet aliquid contra decreta Monachorum, Theologistarum, inquisitorum, scilicet hæreticę prauitatis & Pontificis Romani: qui tunc retegi & aperiri debent. Resignatur enim sigillum confessio-

nis, in his casibus: uel cum periculo incendij, eorum qui sic peccauerũt. O furorem Diaboli: in tantum sęuientis in Ecclesiam CHRISTI: quã ille sanguine suo mercatus est. Quis omnia sua peccata confiteri potest, quæ nemo nouit omnia? Imo quis uelit illa confiteri, ut maxime nosset? Imo quomodo non retegantur plurima cum scandalo & peccato: quæ tacita & tecta, ita non possunt lædere conscientias audientium confessionem? Denique dubitari non potest, innumera millia animarum, hypocrisi simulatione, tædio, pudore & desperatione huius impiæ confessionis enecata fuisse & perdita: ut est fortuna earum omnium traditionũ, quæ cum oppressione libertatis Christianæ in Ecclesiam inuehuntur.

Vide igitur blasphemias & peccata: non dico, quæ sacerdotes, homines sæpe leues & impij, huius confessionis occasione admiserunt: sed in quæ inciderunt qui illa diligentissime usi sunt. Alij enim existimabant, quod merito huius confessionis, sua peccata omnia expiarent: & sic fides in CHRISTVM in illis extinguebatur. Alios uero, per latens odium, & iram blasphemantem, armauit contra DEVM: a quibus uicijs ne hypocritæ quidem abesse potuerunt, ut maxime non intellexerint. Denique quos absterruit, aut, pudor aut metus periculorum in casibus reseruatis, ne illam confessionem plene facerent, & multa cęlarẽt, desperatione perdidit. Constat etiam, quod multi solius infamię metu, seu timore excommunicationis, ad hanc confessionem uenerunt: qui quid prodiderint, aut qua pietate, in ista sui accusatione, cogitent homines prudentes ac pij. Quanquam isti dicebantur peccatum mortale confitendo admittere: quia non haberent legitimum ac debitum finem confessionis faciendæ. Et tamen cogebantur confiteri ac se perdendos præbere, in ista spelunca latronum.

Cum his tantis incommodis, quę possent tanta commoda conferri, cur ista confessio retineri deberet: nisi repurgata ad eum modum, quem supra in loco de priuata confessiõe ostẽdi? An quia hypocrisim inducit, incredulitatẽ auget, et est quędã perpetua carnificina consciẽtiarũ quæ suscitat tandẽ desperationem? Nã quid aliud agit? facit peccatũ, ubi est nullũ: p̃dicat meritũ gratię, ubi est nullũ: imo nihil nisi infinita et grãdia demerita. Nõ hęc dicunt in absolutionis iniuriã: quę nullis debet, nisi uere & coram DEO agnoscentibus se esse peccatores: siue delicta sua confiteantur hominibus, siue minus. Modo fide in IESVM CHRISTVM non destituantur. Nec debetur illis, qui per doctrinas & traditiones hominum coguntur ad confessionem. Ac quid multis opus est? nemo debet cogi ad hanc confessionem. Si quis enim non uolens ac lubens ad illam ueniat, spontanea uoluntate ac mente excitus, ei non modo non potest prodesse, sed necesse est quoque noxiam & perniciosam esse.

Doceri homines de utilitate confessionis, & de fide absolutionis per CHRISTVM debuerunt: & fructus doctrinæ deo & conscientijs hominum committi. Sed Episcopi iam dudum desierunt prædicare uerbum DEI: cœperuntq; alijs negocijs, non Ecclesiæ, sed priuatarum rerũ, auariciæ & ambitionis, occupari: adeoq; sic agunt, quasi hypocrisibus & perditionibus hominum, ignorantium ueritatem, delectentur. Sed pergant suas impietates defendere: quos perditurus est DEVS propediem. Haud dubie enim, non tardat iudicium, ipsis debitum. Alij plura incommoda huius confessionis collegerunt: sed nolo omnia illa referre & persequi. Nec attinet dicere, quid sacerdotes mali, omnium occultorũ retectione, ut cum homines suas quoq; cogitationes aperirent in confessione, ausi fuerint designare: prȩsertim isti cælibes Pontificij regni. Ad bonos certe hinc nulla potuit commoditas peruenire: nisi fortassis pecuniæ, quæ auariciam augere, pietatem non potuit. Necesse est autẽ hæc omnia scandala tolli: & repurgari ab istis Ecclesiam, quantum fieri potest. Quæ si maneant, nemo queat seruari. Nec enim talia sunt, ut debeant in iudicium reseruari: uidelicet hypocrises impiarum doctrinarum, illȩ enim & a CHRISTO, & ab Apostolis eradicantur.

Non est tacendum, quod in iam dicta pharisaica confessione, quædam opera satisfactoria confitentibus pro sacerdotum arbitratu imponuntur: de quibus dicunt, quod liberent homines a pœnis temporalibus peccati, dogmate noxio. Sic enim obscuratur doctrina de afflictionibus & cruce: & fingitur pœna esse, quod est saluberrimæ correptionis: ut suo loco dicetur. Ac piget iam plura de hac impia confessione scribere: quare quæ a Pontificijs hoc tempore obijci solent pro illius necessitate, ea uelim legi ac disci in eruditissimis confutationibus clarissimorum uirorum Martini Lutheri, & Philippi Melanchthonis.

DE ECCLESIASTICA POTESTATE: *clauibus & absolutione.*

DE potestate remittendi & retinendi peccata, item ligandi & absoluendi, ideo constitui hoc loco dicere: quia clauium Ecclesiastica potestas ferè aliud non creditur esse, quam cum absoluuntur scilicet contritionis merito a culpa & pœna, per ministros sacerdotes, hi qui ad confessionem ueniunt: siue cum impij & rebelles in Ecclesia excommunicãtur, hoc est, ligantur: & emendati iterum recipiuntur, & a culpa absoluuntur. Non dico, quam sit in eo perniciosus error: quia non oportet ubique Sophistarum uanitatibus & nugis immorari. Quæ si usquã, ut in omnibus disputationibus de gratia, iustificatione, fide, & saluatione, certe in loco de clauibus, & Ecclesiȩ autoritate, cõferendi hominibus peccati remissionem & æternam uitam, sacerdotum ministerio, nimiæ extiterunt. Quare prætermissis Sophistarum delyramentis & spinosis CAP. VIII.

disputationibus, mox de re dicere pergam: ut est simplissime & clarissime, adeoq; sine ulla obscuritate, tradita in literis sacris.

Claues quid. Ergo clauium potestas aliud non est quam facultas docendi Euangelij & administrandi sacramenta: quae a CHRISTO collata est Ecclesiae, & dispensatur per illius ministros. Hac igitur potestate admittuntur in gratiam remissionis peccati & uitae ęternae, hi qui Euangelio credunt, & sacramentis utuntur. Contra increduli, & qui sacramenta aspernantur, ab illa excluduntur. De hac accepit mandatum Ecclesia Mat. xxviij. Data est mihi omnis potestas in coelo & in terra. Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti: docentes eos seruare, quaecunq; mandaui uobis. Marci ultimo. Euntes in mundum uniuersum, praedicate Euangelium omni creaturae. Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero non crediderit condẽnabitur. Ioan. xx. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta sunt.

Hi sunt praecipui loci, ex quibus palam est, quae sit Ecclesiae potestas tradita, in aedificationem: per Euangelij & sacramentorum dispensationem. Alia est & diuersa excommunicandi potestas: qua impij & rebelles ligantur, qui aliquando Ecclesię membra fuerunt: qui tamen cum resipiscunt, & digna uitae poenitentia se emendant ac reuertuntur, iterum recipiuntur ab Ecclesia in gratiam & a uinculo excommunicationis absoluuntur. De hac praecipitur a CHRISTO Matthaei xviij. Amen dico uobis, quaecunque alligaueritis super terram, erunt ligata in coelo: & quaecunq; solueritis super terram, erunt soluta & in coelis. Porro huius exemplum extat. i. Cor. i. & ij Cor. ij. Promiscue tamen nunc utuntur uocabulis absoluendi & ligandi, remittendi & retinendi peccata, cum de hac utraque potestate loquuntur. Doctores autem Ecclesiae sunt ministri huius utriusq; potestatis: i. Cor. iiij. Sic nos existimet homo, ut ministros CHRISTI, & dispensatores mysteriorum Dei.

CHRISTVS utitur clauium adpellatione, Matth. xvi. ubi Petro loquitur: Et ego dabo tibi claues regni coelorum. &c. Qua uenusta metaphora Ecclesiasticum officium ornauit: quod praecipue situm est in Euangelij, & sacramentorum administratione: Claues illud adpellans, ab aperienda seu restituenda uia iusticiae & aeternae uitae. Promittit enim Euangelij annunciatio omnibus, quantumcunq; peccatoribus, remissionem peccati & aeternam uitam. Nec requirit ad hanc mirabilem & stupendã reconciliationem DEI & hominum, nisi ut in mediatorem Christũ credamus, & promissionẽ gratię, per fidẽ recipiamus. Ioannis primo. Dedit eis potestatem, filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Porro sacramenta sunt eiusdem gratiae & reconciliationis testimonia et signa: ac prębent fidei exercitationem & confirmationem.

Ergo

Ergo quandocunque docetur remissi peccati fides, per Euangelij gratiam, propter Christum: & sacramenta administrantur, in exercitium fidei & testimonium gratię, semper exercetur illa clauium potestas: quo regni æternę uitę ostium, nobis propter peccatum clausum, reseratur: et aditus conceditur a pœnis æternę mortis ad ęternam saluationem: ubicunque & quandocunque hoc fiat, seu publice, seu priuatim, apud multos, uel aliquem unum. Cuius sunt uaria & multa testimonia & exempla, in tota sancta scriptura: quod peritis sacrarum literarum satis cognitum est. Huc enim facit, quicquid est testimoniorum gratię, nobis per Christū collatę, ad ęternam uitam. Iuxta illud, Ioannis x. Ego sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur: & ingredietur & egredietur & pascua inueniet. Item illud eiusdem capite xiiij. Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem nisi per me. Quale est & illud Petri: Act. iiij. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, per quod oporteat nos saluos fieri. Item illud eiusdem capite x. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum. *Vsus & tractatio clauiū.*

Partitus sum autem hanc clauium potestatem in duo: nempe, in Euangelij doctrinam & sacramentorum fidei distributionem. Quia ultra hæc duo, nihil traditum esse constat a Christo & Apostolis ad proferēdum gratiæ, iustificationis & uitę ęternę regnum: siue ad reparandam ac restituendam, lapsorum in Diaboli tyrannidem, sęuam & crudelem seruitutem, salutem. Sine Euangelij doctrina, ne intelligi quidem posset, qui nam Christi & clauium usus esset. Illo igitur exponitur, quę gratia nobis per CHRISTVM adferatur. Continet autem doctrina, quę per Christum nobis adfertur, tum promissionem remissionis peccati: tum pœnitentię prędicationem. Sicut testatur illud Lucę xxiiij. Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die: & prędicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum, in omnes Gentes. *Claues, duo cōplectuntur.* *Doctrinæ clauium duplex ratio.*

In Euangelio igitur est promissio illa remissionis peccati, de qua loquor: & in summa, quędam noua doctrina, incognita mundo, quod ille regnet & in omnibus creaturis imperet, qui pro redimenda salute nostra semetipsum tradidit in mortem, precium & satisfactionem pro nostris peccatis: ut etiam ipsi, quatenus credimus in nomen eius, uiuamus & regnemus per eum. Roman. xiiij. Nemo enim nostrum sibi uiuit, & nemo nostrum sibi moritur. Siue enim uiuimus DOMINO uiuimus: siue morimur, Domino morimur. In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit ac reuixit: ut & uiuorum & mortuorum dominetur. Ephe. secundo. Cum essemus mortui in peccatis, conuiuificauit nos cum Christo: cuius gratia estis saluati. Et conresuscitauit: & una sedere fecit in cœlestibus, per Christum Iesum. Sed hęc gloriosa gratię beneficia, adhuc *Euangelion.*

latent abscondita: nisi quatenus per Euangelium reuelata sunt. Donec & per nostri plenissimam glorificationem reuelabuntur. Interim uoluit nos CHRISTVS doceri de sua illa gloria & potestate, qua glorificaturus est mortalia corpora nostra: & consolationem per uerbum fidei habere.

Pœnitentia. Quorsum uero pœnitentia doceatur, quæ est obedientiæ & renouationis nostræ in hac uita: qua peccato morimur, & iusticiæ uiuimus: in multis fructificantes, per opera bona, DEO et Iesu Christo in gloriam, in libro meo superiore copiose expositum est. Quapropter etiamsi per uitę suæ nouitatem nemo mereatur saluari: tamen qui sine pœnitentia manent, nunquam poterunt ęternæ uitę hęreditatem accipere. Requirit enim gratia, ut illam ornemus sobrietate, iusticia & pietate totius nostrę uitæ, expectantes beatam illam spem æternę uitæ. Hinc grauiter & horrenda comminatus est CHRISTVS, his qui pœnitentiam non egissent: neq; ad Ioannis, neque ad sui prædicationem. Nec aliud est retinere peccata, quam his incredulis & impœnitentibus significare, quod saluari nequeant: & quod oporteat tales horribiliter perire.

Sacramenta. Cæterum sacramenta fidei duo habemus: quæ sunt appendices Euangelij & testimonia gratiæ remissionis peccati & uitæ ęternæ per Christum: uidelicet, baptismus & cœna illa corporis & sanguinis CHRISTI. Quorum alterum uocatur a Paulo regenerationis lauacrum: per baptismum enim in filios DEI adoptamur: antea filij iræ & mortis. Alterum est gratitudinis sacramentum: atque hinc Eucharistiæ nomen habet. Reuocat enim nobis in memoriam beneficia crucis & mortis DOMINI nostri Iesu Christi: ideo illo uocamur ad gratiarum actionem. Non illius tantum quæ fit ore: sed uel maxime eius, quę fit per nouitatē totius nostrę uitæ. Quare ut baptismus proprie exercet adoptionis fidē: Ita Eucharistia totam pœnitentium uitam. Adeoque testatur adoptionem nunquam fieri posse irritam, modo in fide permaneamus: & uel lapsi resurgamus iterum ad pœnitentiam. Ideo illius usus debuit esse perpetuus in Ecclesia: ut semper illud sacramentum reciperemus, quoties liberet nobis atq; opus esset. Et tamen ut nemo potest credere, se in adoptionis gratia esse, qui sine pœnitentia uiuit: Ita qui pœnitentiam agunt, non ideo tribuunt sibi, quod illius merito sint probati & accepti DEO: sed quia fidem & memoriam beneficiorum Christi exercent ac retinent. Sed de sacramentis, si fauerit Christus Iesus, alio libro scribemus.

Excōmunicatio. Postremum, reijcit Ecclesiastica potestas illos, qui cum membra Ecclesię & CHRISTI esse, haberi ac credi uelint, professione tamen Christianę uitę admittunt indigna: siue, qui ex ijsdem, in uerbum gratię palam sunt blasphemi, suis opinionibus & hęresibus fauentes, magis quā uerbo DEI. Hęc est excommunicatio: potestas ligandi & soluendi.

Quę

Quę quomodo & in quos debeat exerceri, item quomodo differat a potestate remittendi & retinendi peccata, infra nonnihil dicetur.

Ad hunc igitur, quem dixi, modum, debuerunt claues in Ecclesia tractari. Nam qui aliter usurpant, plane errant: siue dedita opera male de illa merentur. Sic autem usurpatarum clauium est speciosissimum exemplum Act. ij. in Petri prædicatione. Ille enim per hanc potestatem Ecclesiæ traditam, uno sermone de CHRISTO in tantum promeruit, ut absolueret circiter tria milia hominum. Nec compunctis illis, quos absoluit, et territis in cordibus suis, & rogantibus quid facto opus sibi esset, aliud respondit quam, pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque uestrum in nomine IESV CHRISTI, in remissionem peccatorum, & accipietis donum spiritus sancti. Proinde hoc fuit recte administrare claues: & concessa potestate non abuti. Sic autem absoluebãtur a peccato & æterna morte, quotquot Petro iubente baptizati sunt & Euangelio crediderunt.

Denique in his capitibus doctrinæ fundamentum est & summa omnium Christianarum consolationum. Nam hinc promanat, si quid docemus, si cui remissionem peccati promittimus, & pollicemur liberationem ab æterna morte, si quem exhortamur uel inuitamus ad pœnitentiam, adeoque cum baptizamus & dominicã cœnam porrigimus Ecclesiæ ministerio, id omne facimus in nomine DOMINI nostri Iesu Christi. Atque inde cognosci & iudicari potest, quomodo dulcissima & consolantissima potestas sit corrupta in plurimos abominabiles abusus: atque adeo in tyrannidem quandam, quæ data est in remedium. Scholastici enim multa delyra & impia disputant de clauibus: ut cum fingunt alias autoritatis, alias excellentiæ & alias ministeriales: Cum sit una administrationis Euangelij, & sacramentorum in his terris. Et Romani Pontifices ita arrogant sibi claues, quasi non sint Ecclesię potius, quam Episcoporum: aut quasi illarum maius ius habeant, quam infimus minister in Ecclesia. Nostræ sunt ergo claues & nobis donatæ, nostrę saluti & consolationi, paci & quieti conscientiarum nostrarum concessæ: neque quicquam priuati iuris Pontifex Romanus in illis habet, nisi sicut minister, cui uæ nisi Euangelizauerit.

Abusus clauium.

Et de excommunicationis potestate quid dicam? quam Romanus Pontifex, & istius Episcopi & Satrapæ, mera libidine totam in quandã impiam & crudelem tyrannidem conuerterunt. Fœde etiam corrumpitur Ecclesiastica potestas per nundinationes indulgentiarum atque eos qui missas habent uenales, & fingunt, quod ualeant merito operis operati ad satisfactionem pro culpa & pœnis. Nam potestatem clauium extendunt usq; in purgatorium: & de fide uerbi gratiæ neminem quicquam docẽt. Cum nõ possint ulli utilis esse, nisi qui Euangelio de Chri

sto credunt. Nam promissio salutis, non potest ad ullum incredulum, siue in quo est ignorantia Christi, adplicari.

Hæc obseruata, diriment multas contentiones & multa scandala tollent ex Ecclesia: quæ Satan inuexit aut per indoctos, aut per malos, in Ecclesiam. Nondum discerno inter priuatam absolutionem, & publicã: quæ est publici ministerij & sacramentorum. Non minus habet illa, quam hæc: nec plus confert hęc quam illa. Quia in utraque prędicatur seruator CHRISTVS: in quem qui credit, is remissionem capit omnium delictorum, & absoluitur a culpa & poena. Siue publice hoc geratur apud multos: seu priuatim, apud aliquem unum. Fidei perpetua est remissio peccati & æterna salus: quare diligenter cauendum est Ecclesijs & ministris Ecclesiarum, ne quem absoluant, nisi qui in Christũ credit. Nam homo soluere non potest, quem DEVS non agnoscit solutum: nec ligare, quem Deus soluit. Quare ex confessione fidei eorum, qui absolutionem requirunt, & sacramenta sibi dari orant, iudicari potest, quibus remissio peccati & ęterna salus debeat promitti: nempe, credentibus. Ita enim non incidet absolutio in eos quibus non debetur. Quod si quidam mentiantur spiritui sancto: non tamen fallere illum spiritũ possunt. Et portabunt isti iudicium suum: & prophanati Euangelij & sacramentorum dabunt horribiles poenas. Cæterum Ecclesiæ ministri erunt excusati.

SOLIVS DEI ESSE, ET DOMINI IEsu Christi, autoritate seu potestate absoluta remittere peccata: siue liberare à culpa & poena.

CAP. IX. DVbitari non potest, penes nullum alium esse, remittere hominibus peccata eorum, autoritate seu potestate absoluta, præterquam DEVM & Dominum nostrum Iesum Christum. Sic enim recte dixerunt quidam scribæ & pharisęi, licet impia contentione contra Christum. Marci ij. Quis potest dimittere peccata, nisi solus DEVS? Idem testatur illud psal. cxxx. Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis permanebit? Quia apud te propiciatio, ut timearis. Item Esa. xliij. dicitur, nimirum in persona Christi: seruire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi dolorem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor.

Hanc ergo potestatem uendicat sibi Iesus Christus, DOMINVS & seruator noster, duplici iure. Prior, quia est filius Dei: æternus cum patre & idem DEVS. Altero, quia incarnatus, passus & glorificatus promeruit hunc thesaurum: adeoque ut ut Ecclesiæ illum, & credentibus in eum, communicare posset. Ioan. i. Ecce agnus DEI, qui tollit peccata mundi. Nam Ecclesiæ donari non potuisset, nisi mediator gratiæ

Christus

Christus Iesus illum nobis promeruisset. Is ergo dedit nobis potestatem annunciandi euangelij, & remittendi hominibus sua peccata, ut mox copiosius dicetur.

Hæc est Noui testamenti potestas, promissa olim per prophetas: & nunc exhibita per Christum. Per Apostolos autem & reliquos ecclesię ministros prædicata, in totum orbem terrarum. Hac qui credunt consequuntur remissionem peccati & omnium delictorum suorum: adeoque æternam uitam. Quæ per iusticias legis nulli unquam potuerunt donari. Hæc uolui attexere, ut obiter monstrarem, impossibile fuisse, ut scholastici Theologi, pure explicarent clauium potestatem: quia iusticijs legis tribuunt meritum remissionis peccati. Ideo nec existimant absolui posse ullum hominem, nisi merito contritionis & aliarum iusticiarum legis.

QVOMODO ECCLESIAE ET ILlius ministris sit tradita potestas remittendi peccata.

CAP. X.

IRrefragabile est, & certissimæ ueritatis, etiam ecclesiæ traditã esse potestatem remittendi hominibus sua peccata: quam illa exercet atque dispensat per suos ministros. Quod supra copiose docui: atq; hic paucis repetendum est mihi. Nam hæc est ministrantium potestas, non imperantium: si quos ergo diligit ecclesia in ministerium, & administrationem Euangelij & sacramentorum, illi uere remittunt hominibus sua peccata, uere etiam conferunt illis æternam uitam. Sed sicut ministri Christi, Ecclesiæ, & dispensatores mysteriorum Dei: non ut imperatores & domini ecclesiæ. Et tamen Romanus Pontifex, non alia re iubet se agnosci & adpellari ecclesiæ caput, nisi ut pro domino ecclesiæ habeatur. Qui ius habeat, uanissimus nebulo, legum condendarum in ecclesia: & opprimendi libertatem, ut uel Euangelij decreta mutandi. Sicut & facit: mutat quę statuit Christus, ut claret in Eucharistiæ sacramento, damnat Euangelij doctrinam: & iubet omnes in sua sententia & opinione stare. Interdicit esum carnium: & damnat nuptias sacerdotum: ut alia infinita taceam. Et quis dedit isti hanc potestatem? Cui quomodo potest plus iuris esse in ecclesia, quam minimo euangelij ministro?

Sed habet suos adulatores Romanus Pontifex: qui illi tribuunt potestatem priuilegij supra omnes & totam ecclesiam: scilicet, quia ualde iuuat istos audire, Pontifices dico, si quis titillet eos mentione potestatis dominatiuæ, potius quam charitatis ministrantis. Quid enim attinet priuilegiũ adpellare, quod non est dominium unius: sed ad societatem pertinet, & commune bonum totius ecclesiæ? Hoc pestilens malum in ecclesia, recte acceptum fert excellentissimus ecclesię doctor Martinus Lutherus scholasticę Theologiæ: quod commune bonum ecclesiæ, potestatem clauium, non ministerium multorum, sed dominium fecerint.

paucorum: tyrannicam ethnicam non seruitutem Christianã spectantes.

Sed ecclesiarum curandarum ratio, quam Episcopi deseruerunt, nec deseruerunt solum, uerumetiam opprimunt, hæc erat: prędicare populo CHRISTVM, docere poenitentiam, cessantes adhortari, & contra dicentibus sanæ doctrinę resistere, administrare sacramenta, uigilare & ardentissimis uotis precari pro totius ecclesiæ profectu & salute. Suæ enim uoluntatis & potestatis Apostolos & ministros delegit & amandauit Iesus Christus DOMINVS noster: nõ mundi dominos & imperatores. Non enim habet regnum ex hoc mundo Christus: ideo nõ sunt Episcopi, sed ridiculæ larue Episcoporum, qui prętextu traditæ potestatis dominia sibi & imperia quęrunt ac retinẽt. Imo sunt impietatis & iræ ministri: atque apostoli Antichristi.

Christi uox est: Qui non est mecum, contra me est. Et qui non congregat mecum, dispergit. Matth. xij. Hic certe quęritur inter dispensatores, sicut Paulus inquit, ut fidelis quis inueniatur. Sed quis erit ille? Euangelij doctor, & sacramentorum minister: legibus quas prius dixi. Ad CHRISTVM igitur tanquam ad unicum seruatorem animarum nostrarum omnes mitti per Euangelij & ecclesiæ ministros debemus. Nam illo omnes per ipsummet Christũ uocamur. Matthæi xi. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam uos. Hac regula, qui nõ procedunt, et tñ pro Episcopis et ecclesię curatoribus haberi uelint: quid possent nisi publicę ecclesię pestes & dissipatores esse? ecclesiam enim misere fallunt, decipiunt ac perdunt. Sed flebile est his immorari scribendo: quomodo uidelicet Episcopi, & impij doctores, omnia sibi indulgent: Euangelij germanam doctrinam abolent, & nihil minus agunt, quam ut rem salutis ecclesiæ & gloriæ Christi curent. Ideo, ut dixi, ueros Antichristi apostolos agunt. Versantur in delicijs carnis, auaricia & ambitione excæcati, & quomodo possent ecclesiastico officio uacare? quod requirit infinitos labores, uigilias & curas: & requirit, ut mortem pro gloria Christi perferamus. Hæc eo dicuntur, ne quis miretur, cur res ecclesiæ, in hunc miserum statum peruenerint: in quo per incuriam Episcoporum & luxum sacerdotum Euangelij ueritas prorsum explosa est. Et horum impium errorem fouet doctrina scholasticorum Theologorum.

DE PRIVATA *absolutione.*

CAP. XI. QVanquam ex prædictis, in loco de priuata absolutione, satis euidenter colligi possit, quid statuendum esse credam, de priuata absolutione: tamen libuit in hoc ordine ecclesiasticę potestatis pauca quædam de eadem illa seorsim annotare. Postquam præsertim hoc tempore apud quosdam male coeperit audire: sicut est in omnia audax inscitia prę

ceps

ceps. Igitur priuatum hic intelligere oportebit, quicquid in rebus fidei seorsim apud solos, siue singulos agitur: etiam si res per se sit communissima & totius ecclesiæ bonum: ut quod in omnes, qui credunt euangelio, uulgari possit ac debeat. Sicut cum unus baptizatur: illi baptismus suus est res priuata, alioqui communissima. Sic qui ad dominicam cœnam ueniunt, priuatim rem suam agunt: etiam si cum tota ecclesia adessent. Nec potest tali obesse aliorum abusus: modo ipse sit uera in Christum fide prædıtus.

Non aliter priuata seu speciali & sua quisque fide uerbi DEI iustificatur & saluus efficitur: siue cum solus audit euangelium, siue in congregatione & tota ecclesia. Ac licet uerbum fidei & sacramenta non minus seorsim & apud singulos explicare ac ministrare, quam apud totam congregationem. Nam & CHRISTVS ait: Vbi sunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Matth. xviij. Iam absolutio priuata, quid est nisi administratio euangelij priuata: quæ seorsim apud unum habetur? Et qua consolationem salutis adferri omnibus iussit Christus: quacunque occasione hæc dari posset? Modo uerbi auditores dent non obscuram significationem, qua intelligi possit, quod annunciationis euangelij sint cupidi, & sitientes.

Sicut igitur Petrus, ut est Act. ij. una prædicatione circiter tria millia ad Christum conuertit: & ea reuere absoluit, postquam baptizari illos præcepit & pœnitentiam agere. Ita cum idem fit apud unum reprehendi non potest: Imo qui non laudari deberet, ut pium ecclesiæ factū? Nec aliud agitur in priuata absolutione, quam in publica euangelij administratione. Quinetiam priuata absolutio singulis exhibita est in prędicatione Petri: etiamsi uno ore omnibus in commune tunc locutus est, & nulli seorsim. Tantum enim profuit sermo singulis, quantum unusquisq; eorum attulit fidem ad illum. Incredulis autem non potuit prodesse: quemadmodum nec remitti talibus ulla re sua peccata.

Ergo recte adhibetur illis priuata absolutio, qui priuatim, confessione secreta, se peccatores esse agnoscunt, & absolutionem sibi dari orāt. Quæ pollicetur remissionē peccati & uitam ęternam, his qui in CHRISTVM IESVM credunt. In summa, talis res est euangelij tractatio & sacramentorum, ut nulli ullam utilitatem possit afferre nisi qui intelligit & credit, aliquo modo priuatim rem suam agi & sibi dispensari quę faciant ad æternam uitam. Nemo potest pro me baptizari, nemo pro me dominica cœna uesci: ita nec credere pro me Euangelio. Hinc continet scriptura, iustum non aliena, sed sua fide uiuere. Sic omnia Euangelij priuata fide ad usum nostrum adplicare debemus: aut Euangelij fructum nullum unquam percipiemus.

Sed offendit tamen quosdam, quasi huius priuatæ absolutionis as-

sertione, confirmemus eorum opinionem, qui existimant, quod publica euangelij prędicatione nullis sua peccata remittantur: sed tantū per priuatam absolutionem & sacramenta, Quod esset uerbo DEI & efficaciæ spiritus sancti derogare. Fructificat enim Euangelium in omnibus ad æternam uitam, qui illius prędicationi credunt: quacunque occasione & quocunque tempore. Nec labefactari eorum fides debet, qui audita aliqua publica prædicatione sunt contenti, & priuata absolutione non utuntur: quia ad confessionem secretorum priuatam non ueniunt. Quos nemo damnare propterea iure potest. Docemus tamen ecclesiam de bono priuatæ absolutionis & confessionis: & illo permittimus omnes libere uti, sicut baptismo & dominica cœna.

Hoc uero peculiariter statuimus de priuatę absolutionis bono, quod fidem, quæ est excitata in publica quadam Euangelij prædicatione, fortius confirmet. Quidam enim sic sunt infirmi, ut nisi seorsim doceãtur, & confirmentur, eorū labefactatæ conscientię, nunquam possint satis pacificari. Quod non imbecillibus solum accidit: uerumetiam illis qui sibi uidentur fortes esse in fide. Nemo enim tam est firmus, ut non opus habeat ulterius confirmari: quia semper crescere in fide, & augeri pios oportet. Et ea causa certe, ad ministerium uerbi, adiecit DEVS fidei sacramenta: ceu confirmationis notas, quæ conscientias nostras intensius tranquillarent. Sic quomodo non esset utilissima & efficacissima priuata absolutio? Vel propter uerbum CHRISTI: Qui uos audit, me audit. Et: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Etsi enim illæ sententię publicum ministerium uerbi confirment, non confirmant tamen minus prędicationem Euangelij priuatam.

Igitur priuata absolutione sic uti debemus, ut fidei sacramentis: utique in fidei nostrę pleniorem confirmationem. Excitat enim & confirmat in nobis Deus hanc fidem in Christum, tum per Euangelium, tū per sacramenta. Nemo autem sacramenti usu dicitur gloriæ uerbi & fidei derogare: sed iterum excitare illam, promouere & plenius confirmare. Non aliter qui priuata absolutione utuntur, maius pręsidium fidei suæ acquirunt: sine iniuria fidei prius conceptæ. Sed imperiti quidam existimant hoc ad simulatam pietatem & fidei labefactationem facere: ita enim sumus cæci quando peccatis nostris Deus irascitur. At nouerunt expertæ conscientiæ quantam uim habeat ad consolandum animos territos, quę est gloria Dei, absolutio priuata: & ea nisi a bonis & pijs hominibus serio nunquam potest peti. Tantum abest ut sit noxia ecclesiæ Iesu Christi. Munit enim gratiæ fidem, cuius sitim antea in nobis prædicatio Euangelij publica excitauit & accendit.

Nulla

NVLLA PECCATA REMITTI POSSE, HIS qui in opera suarum carnalium iusticiarum fiduciam ponunt.

CAP. XII.

NOn est cur prolixe exponam hunc locum, quod uidelicet iusticiarijs istis nulla peccata remitti possint, qui in opera suarum carnaliũ iusticiarum fiduciam ponunt: sic docti ab hypocritis & pharisæis. Nam hucusque frequenter a me tractatus est. Quam diu igitur in hoc opinionis & impietatis errore hærent homines, ne sperent saluationem. Nam etiam tales blasphemi sunt in gratiæ spiritum: quando pertinaciter retinent hunc errorem. Quomodo igitur remissionem peccati coram Deo habere possent?

Igitur sæpe idem repetimus, & summa diligentia inculcamus. Quia res æternę salutis nostræ omnis pendet ab una in Iesum Christum fide: quam increduli infinitis modis obscurant, ac quantum in ipsis est euertunt ac perdunt. Quid uero putas isti coram Deo mereantur, qui hoc tẽpore non cessant gloriæ Euangelij contradicere? Et quid fieri existimas, si a suis adulatoribus absoluantur. Isti quia iactant se pro operibus bonis pugnare, quæ nos meritoria salutis esse negamus, ipsi uero contendunt huius glorię meritoria esse, palam efficiunt, se ignaros esse tum legis, tum gratię, promissionum Euangelij & Christi: & in summa, totius Christianismi.

Tales igitur frustra est absolui: nec remittuntur eis peccata, ut etiam sexcenties una die per adulatores Papistas absoluerentur: & totis plaustris indulgentiarum & bullarum pontificiarum, uere nugarum & mẽdatiorum, onusti essent. Nam quæ possent peccata condonari his, qui grauissimum incredulitatis peccatum, ne peccatum quidem esse agnoscunt: quin etiam pro summa iusticia defendunt, & prędicationi ipsius Euangelij in omnibus aduersantur? Non obscura uox est Pauli: Ignorantes iusticiam DEI, & propriam quęrẽtes statuere, iusticię Dei non sunt subiecti. Roman. x.

Talibus ergo cum Deus nulla condonet peccata: nec homines condonare possunt, seu absoluere eos a peccato. Quod si quis illos absoluit tamen fallit: nisi retraxerit ab errore & impietate, & pertraxerit ad fidem in Christum. Quia sunt filij perditionis, quam diu in hoc incredulitatis peccato hærent: excęcati a diabolo. Quare impij iusticiarij infœliciter quęrunt iusticiam: quam accipere nunquam potuerunt. De cuius ratione uide disputantem Paulum, ad Roman. ix. Et ut candidiores niue esse fingerentur: tamen fœdissime cõmaculati sunt, incredulitate, pręsumptione, pharisaicis opinionibus, & cultibus. Quales hoc tempore pręcipui sunt monachi.

QVID SIT ALLIGARE ET SOLVERE: remittere ac retinere peccata: certo discrimine.

CAP.XIII. PRomiscue fere utimur uerbis alligandi, soluendi, remittendi, & retinendi: ex euangelio de ecclesiastica potestate sumptis. Cum sit eorum nonnullum discrimen: & officia ecclesiasticę potestatis diuersa illis tradātur. Nam Matthęi xviij. utitur CHRISTVS uerbis alligandi & soluendi: & eo loco, de excommunicandi potestate agit. Cæterum Ioannis xx. posuit uerba remittendi & retinendi: ubi ministerium prædicandi euangelij instituit, & remittendi omnibus peccata, per promissionis gratiæ fidem. Quanquam autem abusus uerborum nihil obstat tractationi rerum: tamen discrimen duplicis potestatis diligenter discere oportebit. Potest quidem & soluere dici quisquis remittit peccata: cum nulli peccata sua remittantur, qui a uinculo Satanę, in quo est, propter peccatum, non soluetur. Sic & ligare dici possunt ecclesiæ doctores, quando retinent incredulorum & impœnitentium peccata: cum alijs retineri nō possint, nisi qui ipsi in uinculis diaboli manent. Sed alia est tamen soluēdi & ligandi, & alia rursus remittendi & retinendi potestas: ut intelligas aliud quiddā esse retinere quam alligare: aliud item remittere quam soluere. Remittitur enim omni, qui in CHRISTVM IESVM credit, suum peccatum: soluitur autem qui uinculo excommunicationis fuit alligatus. Ita rursus retinētur incredulis sua peccata: & flagitiosi in ecclesia soli uinculo ecclesiasticæ censuræ alligantur, & extra communionem illam ejciuntur, in qua sola est remissio peccati, & ęterna salus.

De hac duplicis potestatis ratione utile est aliquid dicere & nosse: quare hic inserā de ea nonnihil. Ministri igitur non oīa ligata soluunt: sed a se ligata tantum in his terris. Nec omnia retenta remittunt: oportet enim ut aliqua iudicio DEI permittant. Sed remittunt, quæ relinquunt homines: nempe, peccata: cum palam fit, ex fide illorum, seu confessione & pœnitentia remissa esse coram DEO. Ita quidem necessario præcedit ligatio solutionem: non item retentio remissionem. Sed aliter se respiciunt hæc duo: quia fieri potest ut quibusdam sua peccata remittantur, ut nulla neque præcedat neq; sequatur retentio: ac rursus, ut peccata quorundam retineantur, sine ulla aliorum remissione, seu pręcedente, seu sequente. Nam credentibus euangelio remittuntur sua peccata: quę incredulis retinentur. Atq; ex hac collatione manifestum est, quod remittere & retinere peccata, pertinet principaliter ad euangelij annunciationem: ac respicit hominum fidem & incredulitatem. Ligare autem & soluere, est correptionis modus & consolationis: ideo respectum habet ad actiones & opera nostra. Etenim flagitiosi ligantur: qui rursum tamen quando resipiscunt & pœnitentiam agunt recipiuntur in gremium ecclesiæ, & a uinculo diaboli soluuntur, & consolatione euangelij tranquillantur.

Igitur re-

Igitur remittere peccatum non est aliud, quam prædicare remissum: his qui euangelio de remissione peccati per CHRISTVM credunt: & sacramento fidei in hoc, tanquam confirmationis nota utuntur. Nam qui non credunt euangelio, ijs nec debentur fidei sacramenta. Quorum peccata retineri dicuntur, quatenus docetur, quod nulla talibus peccata remitti coram DEO possint. Et exempla horũ habes Matth. xi. & Act. xiij. Rursus alligare, est lapsos & eos impœnitentes ab ecclesiæ communione excludere: ut qui ipsi se excludunt, & salutifera monita & correptiones ecclesiæ non ferunt, sed aspernantur. Quales ad pœnitentiam conuersi, cum ab ecclesia iterum recipiuntur, dicuntur solui: scilicet a uinculo quo ab ecclesia alligati fuerunt, ut essent in potestate diaboli, donec rursum conuerterentur. Remittere peccatum. Retinere peccata. Alligare. Soluere.

Proinde ubi agitur de potestate excõmunicandi diligenter præmittitur alligandi uerbum: ut intelligas, prius esse, ut dixi, ligare quam soluere. Solui enim non potest, nisi qui antea ligatus fuit: nempe, homo CHRISTVM professus, sed nunc peccatis mortalibus indulgens, & contemnens ecclesiæ dehortationes. Contra ubi agitur de ministerio prædicandi euangelij & remissionis peccati per Christum, præmittitur remittendi uerbum: quia prius est docere homines de remissione peccati, quam incredulorum peccata retineri possint. Sæpe enim dictum est, remitti peccata solis qui in CHRISTVM IESVM credũt. Hinc necessario sequitur, incredulorum peccata irremissibiliter retineri.

In hunc modum qui prædicant Euangelium, semper aut remittunt aut retinent peccata: remittunt enim, cum habent qui euangelij promissionem recipiunt per fidem: retinent autem, cum in eos incidunt qui euangelio fidem nullam habent. Et illo officio seu ministerio non dicuntur tamen soluere aut ligare. Alligari enim solent facinorosi per modum correptionis: solui autem resipiscentes & per pœnitentiam iterum reuersi: quibus tunc mitigatur correptio, uel potius in consolationem mutatur. Sed remittere & retinere peccata certa doctrinæ ratio est: nempe, de remissiõe peccati & uita æterna per CHRISTVM: quã quisquis per incredulitatem aspernetur, non possit saluari. Ioannis iij. Mar. ulti. Soluere autem & ligare, sunt iudiciariæ potestatis officia in ecclesia.

Ex his clare intelligitur, aliam esse docentium potestatem, & ministrantium sacramenta: quæ exercetur fere per unius administrationem in ecclesia particulari: aut plurium, sed sibi succedentium, per uices docendi et ministrandi, nũquam autem per totam congregationem. Tum quia hoc non potest fieri: tum etiam quod non sunt omnes apti ad docendum & ministrandum. Hinc suos ministros habet ecclesia, quibus docendi munus, & ministrandi sacramenta, committit. Rursum, aliam esse excõmunicandi potestatem: est enim iudicij in facinorosos ecclesiæ filios, &

exercetur emendationis causa, in eum qui deliquit, & perseuerans est in proposito operis mali. Hanc nemo unus usurpare potest: nec debet Episcopis solis concedi. Sed illi ad suum iudicium, etiam ecclesiæ iudicium conuocare debent: & cum tota ecclesia sententiam dicere, aut certe cum meliore istius parte, ordinata ad hoc iudicium. Hoc ita fieri debere satis liquet ex mandato CHRISTI: Matthæi xviij. & ex Pauli exemplo: prima Cor. v.

Licet igitur, quod nullis sua peccata retineantur, quin simul ligentur: eo quod se euangelio Christi indignos probant. Et, quod nullis sua peccata remittantur, qui simul ab illis soluentur: eo quod in fidei gratiā emendati, qua illis confertur remissio peccati & æterna salus, reuertuntur. Tamen neq; fidei hostes, ut perfidos Iudæos, seu Idololatras gentes alligamus: licet utriq; blasphemi sint in DEVM & Iesum Christum. Non enim sunt de ecclesia ut corripi possent: hoc est, alligari. Sed illorum peccata retinemus, quia non licuit eos preterire, quin de eterna saluatione admonerentur. Quam cum aspernantur, docemus saluari non posse: hoc est scilicet, retinere eorū peccata, seu pronūciare perditos et dānatos esse. Ad hunc modum, neque soluimus, nisi eos qui prius fuerūt totius alicuius cōgregationis iudicio & consensu ligati: quod accidere non potest, nisi illis prius Christum qui receperant, sed per peccatum & impœnitentiam iterum amiserunt.

In summa, sicut retinere peccata, non est proprie eijcere ex communione peccatorem: ita remittere non est recipere eiectum. Sed alligare, est eijcere: & soluere, est recipere. Remittere autem, est docere, remissa esse peccata: & retinere est docere, cur remitti peccata non possint. Eatenus ergo remittere & soluere, proprie non sunt unum: sicut nec retinere & alligare idem esse possunt. Nec inutile est hoc discrimen exacte tenere: quod facilius etiam & exactius disci potest ex euangelio apud Matthæum & Ioannem, quam ex hac mea collatione. Ego tamen postquam incidi in potestatis ecclesiastic; mentionē mei officij esseratus sum, & de hoc discrimine obiter nonnihil disserere.

Postremum: non oportet penitus relinquere intactum: potestatem remittendi peccata, & alia officia ecclesiæ, esse communia omnium baptizatorum: sed quæ nemo illorum ministrat, nisi uocatus ab ecclesia. Debet enim minister ecclesiæ sui uocationem expectare. Aliud est & diuersum, si quid horum fieri præcipiat necessitas: tunc enim urget uocatio omnium communis, & proximus quisq; poterit non solum, uerumetiam debet fratrem suum euangelica consolatione consolari, & a peccatis absoluere, sacramenta illi porrigere, & alia officia apostolica pro illius salute facere. Ita sæpe accidit, ut mulierculæ baptizent infantes in casu necessitatis: qui certe rebaptizari non debent. Sunt enim lauacro salutis loti, sed ex-

æternę mortis, sint commutatę in alias purgatorij, seu huius uitæ temporales? Nam Christum habemus, quatenus in illum credimus, qui factus est nobis a DEO perfectissima sapiētia, iusticia, sanctificatio & redemptio. Etenim quicquid est, nobis est: ꝓ nobis incarnatus, passus est, glorificatus. Vulneratus est enim propter peccata nostra: & attritus est propter scelera nostra. Agnus ille DEI, qui abstulit peccata mundi: & mortem extinxit. Ioannis i. v. &c.

Fides redemptionis.

Quod igitur dicunt Theologi, Deum cum sit misericors, remittere culpam: sed cum sit etiam iustus iudex, mutare necessario pœnam æternam in aliquas temporales: satis arguunt se ignaros esse beneficij Christi, aut contemnere illud. Si enim uoluisset DEVS remissionem pœnæ æternę, in aliam temporalem commutare, nunquam dici de Christo posset, nos perfectissime per ipsius mortem Deo reconciliatos esse: nec iam esset perfectus seruator noster, perfecta hostia, in nostri redemptionem æternam. Sed oporteret simul statuere, redemptionis gloriam partim deberi ipsi quoq; purgatorio, partim a lijs calamitatibus nostris corporalibus, quas hic patimur: quin etiam partem, nostris satisfactionibus, & partem deo isti terrestri, qui residet Romæ & indulgentias uenales habet. Et quot obsecro & quam mirabiles nunc redemptores efficerentur? Deniq;, Christus uix in minima parte glorię hæreret.

Falsa est igitur & impia multis modis illa satisfactionis doctrina, quę est Scholasticorum: uere enim pro peccatis nostris satisfecit Christus, & iram Dei uere abstulit nobis. Estque absolutio operis perfecti et consumati, in illa satisfactione pro nobis Christi: sicut testatur illud Heb. ix. CHRISTVS per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Item capit. x. Vna enim absolutione consumauit in sempiternum sanctificatos. Igitur in fide redemptionis, certos nos esse oportet, nobis perfectissime placatū & reconciliatum esse Deum patrem, beneficio traditionis Christi in mortem: sicut testatur illud Pauli: Iustificati per fidem, pacem habemus erga DEVM, per Dominum nostrum Iesum Christum. Hanc uero fidem abolent & extinguunt, quantum in ipsis est Scholastici doctores & hoc tempore aduersarij nostri & Papistæ.

Erigunt autem desperationis doctrinam, in doctrinæ fidei locum. Quia territam conscientiam, occasione doctrinæ de satisfactionibus, necesse est ita cogitare: Deum neq; uere placatum esse nobis, neque uere remittere peccata, si illi pro pœnis peccati sit satisfaciendum. Quod etiam intelliget impossibile factu esse: propter immensitatem debiti pœnarū. Quid enim quod Sophistæ cauillantur: amicitia non exigit ęquiualens, sed quod possibile est: Ita enim Thomas perpetuo nugatur, ex somnio cerebri sui, non bene purgati. Nos igitur ita statuamus, tūc uere pla-

catum esse nobis Deum, & peccata nostra uere esse nobis remissa, quando nullum prorsus peccatum uult nobis imputare, & nulla punire in nobis, credentibus in Iesum Christum. Nec sine huius certa noticia & fide, potest ulla uera, firma & Christiana pax in cordibus nostris erga Deum existere: neque Deus uere diligi. Sed odiunt illum homines, sicut tyrannum. Oderunt enim quem metuunt. Gratia Theologis, pro sua bona informatione.

Vt Deus perdat istas cerebrosas cogitationes Sophistarum, quibus efficiunt ut Christiani peius sentiant de Deo quam Ethnici. Deus iubet, ut Euangelio credamus, de perfectissima redemptione nostri per Christum: atque sic pacem in cordibus nostris, & æquissimam mentis tranquillitatem, habeamus. Hanc cognitionis gratiæ & Iesu Christi fidem euertunt doctores satisfactionum: & miseros fructu fidei, hoc est, pace conscientiarum, fraudant. Denique & æterna salute: ut quos a fide deijciunt in dubitationem & desperationem.

Quomodo est precium pro peccato & morte, pro culpa & poenis, Iesus Christus DOMINVS & seruator noster: si nos ullo modo per nostras menstruatas iusticias, per ridicula & stulta satisfactionum nostrarum opera, possumus Deum placare? si nobis ullo modo satisfaciendũ esset, oportet peccati poenas æterna morte persoluere. Lex enim damnat peccatores æterna morte. Gal. iij. Nam quod comminiscuntur Sophistę poenas æternas mutari in temporales: id nos ostendimus fictum esse ac falsum & impie dici: non modo sine omni testimonio scripturæ, uerum etiam contra scripturas. Et quod addunt operibus satisfactionum nostrarũ redimi tẽporales poenas: hoc est gloriationẽ operum nostroꝝ reducere, uel inuito miserentis omnium nostrũ Deo, & filio Dei redimentis nos a peccato & ira. Poenæ peccati sunt ac manent omnes calamitates & ipsa mors quatenus impijs accidunt & incredulis Ioan. iij.

Finis operũ bonorum.

Cæterum ex iam dictis, de nostri redemptione & fide redemptionis, facile iudicare est, de fine operum bonorum: quo uidelicet loco mereantur haberi. Statuendum est enim, in operibus nostris nullam satisfactionẽ esse, seu pro culpa seu pro poenis. Loquor aũt de uere bonis illis debitis atque necessarijs, a DEO præceptis: non de fatuis istis, atq; indebitis, commentis Sophistarum. Quod si operibus a Deo præceptis nihil meremur, seu remissionis peccati, seu culpæ: quanto minus fatuis istis & indebitis, de quibus est in satisfactionum doctrina apud Scholasticos, aliquid tantorum beneficiorum gratiæ mereri possumus? De quibus est illud CHRISTI: sine causa autem colunt me docentes doctrinas, mandata hominum.

Sed licet nullis operibus nostris remissionem culpæ aut poenæ mereamur: tamen illa opera quorum obedientia est nobis precepta a Deo,

semper

semper debent fidem redemptionis nostræ sequi. In hoc certe, ut gloriã gratiæ D E I, hac nostra qualicunque obedientia ornemus: cum ita erudiat nos gratia, ut implendę uoluntati Dei in omnibus actionibus uitæ nostræ studeamus. Cauere etiam debemus, ne misericordiæ in nos gratuitæ DEI, & beneficijs Domini nostri Iesu Christi, uideamus ingrati esse: siue dedita opera illa contemnere uelle, ita ut faciũt qui frigent in studijs bene operandi.

Liquet uero ex his opera nostra pertinere ad fidei nostræ exercitationem: & facere ad confessionem gloriæ Dei & IESV CHRISTI Domini nostri. Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mũdaret sibi populũ peculiarem, sectatorẽ bonorũ operũ Tit. ij. Hoc nomine sunt illis, qui credunt Euangelio sacrificia confessionis, laudis et gratiarum actionis: illa nimirũ, quibus carni & desyderijs illius morimur & proximo in quibuslibet calamitatibus ipsius seruimus. Roman. xij. etc. Neque eñ aliter accepta sunt, nisi quatenus in fide nominis Domini & seruatoris nostri Iesu Christi illa pręstamus. i, Petri ij.

Hos bonorum operum fines, nunquam intellexerunt Sophistæ, isti meritorum carnalium iusticiarum & satisfactionum nostrarum magistri. Sed CHRISTVS & Apostoli illos fines prædicant: uelut Matth. v. Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in coelis est. i. Cor. x. Siue ergo manducatis, siue bibetis, siue aliud qd facitis, omni ad gloriã Dei facite. Et Col. iij. Omnia quæ facitis, aut uerbo, aut facto, omnia in nomine Domini IESV CHRISTI facite, gratias agentes Deo & patri per ipsum.

Sed quale est obsecro, fines operum tales excogitari, qui cum gratiæ & redemptionis nostrę fide ex diametro pugnant? Maneat igitur certum & immobile, pro gloria gratiæ Dei, & seruatoris Iesu Christi, & confirmandis conscientijs nostris, quod per unam Iesu Christi mortem, perfectissime redempti simus, a peccato & omnibus poenis illius: & illa redẽptione nos ęternum beari, quatenus in Iesum Christum credimus. Quem nos decet studio bonorum operum glorificare: sicut Paulus docet, Tit. iij. de his, inquit, uolo te affirmare, (loquitur autem de gratia & beneficijs redemptionis nostræ, quę sunt per Christum.) ut qui credunt Deo, solliciti sint bonis operibus præcellere. Nec enim durare fides ipsa potest, ubi nulla sunt exercitia bonorum operum. Fide enim iustificamur, quæ est efficax dilectione. Et Paulus Timotheo scribens. Finis, ait, præcepti charitas ex puro corde, conscientia bona & fide non ficta. Crescit denique & confirmatur fides operibus bonis. ij. Petri i.

Hæc dixi, ut reuellens impias opiniones Sophistarum de operibus, interim & de operibus bonis aliquid docerem. Si enim opera & satisfactiones nostræ aliquid possent, in his rebus, quæ sunt saluationis no-

strae, quo ad remissionem culpę seu poenę: quae CHRISTVS per mortem suam nobis parauit & acquisiuit: certe non parua gloria operibus nostris coram DEO deberetur. Cuius blasphemiae autores, & qui pertinaciter istum errorem impium defendunt, ut finaliter non resipiscant, eos necesse est contemptę gratiae poenas dare: in die iudicij, Domini & seruatoris nostri Iesu Christi.

Sane enim opera nostra sic sunt immunda carne, & imperfecta, ut nisi ex fide remissionis peccati fiant, nunquam possint Deo placere. Hypocrisis latet enim, in tota nostra uita: quare hanc mendacem carnis nostrae gloriam, qua tribuitur actionibus uirtutum nostrarum perfectio operis boni, deus non potest, inultam ferre, aut dimittere. Quid uero si hanc gloriam tribuas operibus, quę deus plane ac prorsus non requirit: Imo de quibus testatur & pronunciat, quod nolit illis coli? Quoniam autem fiducia & gloriatio iusticiarum nostrarum semper est impia: ideo deus efficit pro amplitudine & bonitate misericordiae suae, ne in quo alio gloriemur, praeterquam in nomine Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. i. Cor. i. & sic in sempiternum beati simus. Quare operando uitemus & fugiamus istos fines operum, de quibus Scholastici theologi contionantur, malo spiritu acti.

DE AFFLICTIONIBUS CORPOralibus sanctorum.

CAP. XVI. POstremo, hoc quoque pessime fit a Theologis scholasticis, quod corporales afflictiones etiam numerant inter opera satisfactoria, tanquam sint precium pro peccato & illius poenis. Quanquam alios quoqꝫ fines illarum faciant: sed quatenus satisfactorias praedicant, addunt illas conditiones: in quantum cadant sub uoluntate patienter illas acceptante & sustinere uolente, dūmodo alias sit talis homo in charitate. Exigunt ab homine patientiam in afflictionibus: iubent etiam dilectionis spiritu praeditum esse, quem nihil prorsus docent de uera in IESVM CHRISTVM fide. Cum utrumqꝫ sit impossibile carnali naturae: primū, patiētiam in calamitatibus corporalibus praestare & retinere, sicut satis docet horribilia exempla Israelitarum. Deinde, amari DEVM & legem, ab eo quem nihil erudias de fide misericordiae Dei & propiciatoris Iesu Christi.

Ergo statuere iubent de afflictionibus & calamitatibus corporalibus, quod sint peccati poenę: quae alioqui sua natura terrent omnes homines, & in incredulis gignunt iram aduersus DEVM & murmur & nouissimo desperationem. Cum enim talis doctor accedit, qui pręcipit credere, esse illas peccati poenas, impossibile est eas cum poenitentia, sine murmure & sine desperatione perferre: nisi animus audientis, sit melius eruditus. Sic enim accidit ipsi Iob, ab eius amicis, opprobrantibus illi peccatum: &

tum: & calamitatum ipsius causas peccatum esse dicebant. Sed Iob illis fortiter restitit, permanens in fide: quod sine ira, contra suum peccatum, sic exerceretur illa sua corporali aduersitate. Quare & discere refert alios meliores fines esse, afflictionum & corporalium calamitatum, quã quos Scholastici imaginantur in illo somnio de satisfactionibus pro debitis pœnis. Nam in impijs quidem sunt pœnę peccati: in pijs non item. Quare nec pœnę a talibus debent adpellari, sicut nec credi: sed fidei exercitia. Exercent enim ac probant pios: adeoq; confirmant probatos, quatenus illas in fide nominis Iesu Christi sustinuerunt.

De gloria afflictionum.

Et de illo afflictionum corporalium usu admonuit nos Paulus, Roman. v. Gloriamur in tribulationibus. Scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio uero spem: Spes autem non confundit. Hoc enim de pijs & sanctis hominibus dicit: qui affliguntur, non in pœnam peccati, (sicut nec CHRISTVS hac causa afflictiones sustinuit: per quem sunt recepti in gratiam & filij dei, & remissionem omnium delictorum suorum acceperunt: ut non possint ea causa affligi.) sed in uberiorem materiam atq; occasionem maioris gloriæ eorum. Quibus est scilicet, tribulatio, quoddam exercitium patientiæ: patientia autem declarat uere pios esse & probatos coram deo: cum perseuerent, ferendo tribulationes sine murmure contra deum: quod impossibile est impiæ & carnali naturæ præstare. Deniq; ipsa probatio securius munit illorum spem in DEVM: & efficit, ut indies crescat ac confirmetur.

Talia igitur exempla iudicare oportet, esse in afflictionibus martyrum: uelut Ioannis Baptistæ, Stephani, Petri, Pauli & similium, & in summa omnium piorum. Non enim fuerunt, neq; sunt, peccati pœnæ: sed præcipua quædam testimonia gratiæ dei, conferendi in sanctos maiorem gloriam. Nam etiam diligit deus filios suos eximie glorificare: contra impij mundi spem & opinionem, ut cum iudicat illos perire, in summam gloriam exaltentur. Sicut cernere est in capite omnium sanctorum IESV CHRISTO: & in eo, qui typum Christi ea in re gessit, nẽpe Ioseph, qui contra fratrum spem apud AEgyptios insigniter glorificatus est. Hæc cognita in fide, efficiunt demum ut afflictiones cum patientia perferamus.

Correptio & eruditio in afflictionibus

Sed in quibus hęc afflictionum causa non habet locum, eos tamen agnoscere oportebit, adhuc alios & potiores fines esse, quam ut pro peccati pœnis habeantur. Seruiunt enim & ad correptionem nostri & emendationẽ. Et de his afflictionum causis, dicitur Esaiæ xxviij. Sola uexatio intellectum dabit auditui. Et psal. cxviij. Bonum est mihi, quia humiliasti me: ut discerem iustificationes tuas. Et i. Cor. xi. Cum iudicamur a DOMINO corripimur ne cum hoc mundo condemnemur. Hæc ad

poenitentiam agendam solum inuitamur afflictionibus: uerum etiam ad diuini nominis inuocationem, qua beati sumus. Subscribam autem utriusq; horum exempla: prioris illud, Prouerb. iij. Fili mi, noli neglige re disciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit DOMINVS castigat: flagellat autem omnem filium quẽ suscipit. In hanc sententiam certe erudite & pie dictum est ab Augustino: Quicquid deus permiserit pati: scias esse flagellum corrigentis, non damnantis. Huc facit exemplum Mariæ sororis Mosi, quam Dominus lepra percussit: & emendatæ priorem sanitatem iterum restituit. Posterioris cape hoc exemplum, seu testimonium, quod est psal. xlix. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te & glorificabis me. Sic ergo uel inuitos, per calamitates trahit deus, pigros & inertes, ad sui nominis inuocationem: qua illos saluet. Omnis enim quicunque inuocauerit nomen Domini saluus erit.

Qui hunc usum correptionis ignorant, eos impossibile est cum patientia, uel minimam perferre. Valde igitur necessarium est, hæc ita habere, cũ docere, tum discere: ut fides exerceat in his præsentibus calamitatibus nostris, ne illorum fructum amittamus, & in contrarium malum incidamus. Quid enim faciat in articulo mortis instantis, horribili illo spectro, quod est terroris peccati & mortis, imminente: qui nullas unquam calamitates didicit in fide perferre: existimare et credere, quod bona & propicia uoluntate dei corripiatur & erudiatur: In hoc enim ordine & mortem corporalem piorum oportet numerare: quatenus est exercitium eius uictæ per CHRISTVM. Neque eñ durat amplius in poenam: sed in abolitionem corporis peccati. Cui Paulus ita iubet insultare: Vbi est mors aculeus tuus: ubi inferne uictoria tua:

Ergo ut corripiat quidem nos DEVS corporalibus calamitatibus aliquando, quod fit sæpe, quia in multis est quotidianum: tamen non oportet statuere, quod illis calamitatibus nostris satisfiat pro peccati poenis, multo minus quod sint correptiones iræ dei: sed quod illo modo tanquam a beneuolentissimo patre retrahamur a peccato & emendemur. At refert assuefieri, ut cum loquimur de afflictionibus, & calamitatibus illis corporalibus nostris, ne adpellemus illas castigationes iræ, ultionis ac poenas: sed correptionem, uirgam erudientem nos ac emendantem, beneuolentiæ signum, disciplinam, castigationem & crucem beatorum. Nam hunc in modum habemus deum eruditorem nostri: quemadmodũ in his terris corporales parentes. Atq; huc pertinet eruditissimus ille & sanctissimus locus, de bono huiusmodi correptionum, qui est Hebræ. xij. Si in disciplina perseueratis, tanquam filijs uobis offert se DEVS. Quis enim filius quem nõ corripit pater: Quod si extra disciplinã estis, cuius participes sunt omnes filij, ergo spurij & non filij estis. Deinde

Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: quin multo magis obtemperabimus patri spirituum, & uiuemus. Et illi quidem in tempore paucorũ dierum, secundum uoluntatem suam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile est in recipiendo satisfactionem eius. Omnis autem disciplina in præsenti quidem uidetur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructum fœlicem iusticiæ reddet exercitatis per eam.

Sic igitur utiles sunt castigationes, his qui a Domino corripiuntur. Nam uel promouentur in bono, sicut illi, qui pro nomine CHRISTI patiuntur. Quibus afflictiones sunt gloriosissimæ: & probatis ac perseuerantibus adferunt in æterna uita iusticiæ beatissimam coronam. Iuxta illud, Matthęi v. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Item gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Item prima Pet. iiij. Charissimi ne admiramini in tentatione, quæ ad experimentum uestri fit, quasi noui aliquid uobis contingat: sed tanquã cõmunicantes Christi passionibus gaudete, ut & in reuelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobratur uobis nomen Christi, beati eritis: quoniam gloria & spiritus DEI super uos requiescit, qui apud eos blasphematur, apud uos autem glorificatur. Vel rursus conseruantur in bono: ne Dei sui obliuiscantur ac lasciuire incipiant. Sicut illi qui in prosperitate nimia seipsis subinde fiunt deteriores: ut est in exemplis Israelitarum. De quibus Moses in Cãtico: Deut. xxxij. Incrassatus es dilectus & recalcitrauit: impinguatus, incrassatus, dilatatus est: dereliquit Deum factorem suum, & neglexit DEVM salutis suæ. Hac causa & sanctis hominibus utile est ac necesse aliquando humiliari & premi aduersitatibus: ne deum suum derelinquant, & obliuiscantur seruatoris sui. Deinde ne efferantur apud se magnitudine donorum: sicut Paulus de terroribus suis, quas a diabolo patiebatur, scribit. ij. Cor. xij. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est stimulus carni meę, angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, ut discederet a me: & dixit mihi, sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus in infirmitate perficitur. Vel deniq; reducimur ad bonum castigati, lapsi in quędam uicia & peccata: ut est in exemplo Mariæ sororis Mosi, quod supra citaui.

In hunc modum multipliciter seruiunt nobis quęlibet tribulationes: quæ impijs omnes accidunt in peccati pœnam, quemadmodũ & mors corporalis & denique æterna. Fit etiam, ubi Deus certa quædam delicta, certis cladibus & calamitatibus punit: ut alij ad peccandum efficiantur cunctatiores. Huc enim pertinent, pœnæ illæ sontium. Nam illorũ peccata, non sine ordinatione & uoluntate dei, officio ciuilis magistratus & legibus castigantur: alijs in exemplum. Quales castigationes, non Pœnæ sontiũ.

sunt optandæ: sed modis omnibus fugiendæ. Sicut Petrus ait: Nemo autem uestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut insidiator. Si autem ut Christianus: non erubescat. Glorificet autem Deum in isto nomine. Sunt etiam plurima exempla illorum, quos Deus in ira sua castigauit: sed pertinent ad impios, in quos deus ultionem exercuit, iudicans illos ac damnans: non corripiens aut trahens illos ad se. Sic em̃ multos in populo suo, propter idololatriam, tentationes, murmura, fornicationes & seditiones grauissime afflixit, & horribilibus cladibus extinxit. De quibus lege quæ sunt. i. Cor. x. Et huiusmodi exemplorum plenus est mundus: in quo, uelut in magno theatro, cernere est, grauia peccata, fere sine grauissimis poenis nunquam transire. Nam & Dauidis cædes & adulterium, etsi Deus illi ignosceret, plurimas grauissimas calamitates post se traxit.

Igitur afflictiones, crux, mors temporalis, & quæcunq; tribulationes, longe alium finem & usum habent, quam ratio & naturalis captus uidere aut percipere possit. Igitur sensus nostros captiuare in obsequium uerbi fidei debemus: ne quod est remedij & summæ foelicitatis, nobis in iram & perditionis occasionem nostro uicio conuertamus. Sed et scholastici Theologi non recte iudicant de afflictionibus piorum: quando illas statuunt, esse satisfactiones pro peccati poenis, aut consumationes sanctorum. Sæpe enim dictum est, non esse aliud precium pro peccato, morte & illius omnibus poenis, præterquam mors DOMINI nostri Iesu Christi. Nec alia re beati sumus, perfecti & cõsumati coram DEO, preter quam fide nominis Domini & seruatoris nostri Iesu Christi. Nostræ autem afflictiones ad probationem nostri & fidei confirmationem faciunt: ut habes prima Petri i. Itaq; exultate, cum paulisper nunc affligimini, (sicubi oportet.) uarijs tentationibus, ut probatio uestræ fidei, multo preciosior pereunte auro, quod per ignem probatur, inueniatur, ad laudem & gloriam & honorem, cum reuelabitur IESVS CHRISTVS. Seruiunt etiam ad castigandam carnem, ac præsens peccatũ mortificandum: adeoq; ad abolitionem peccati & mortalitatis in carnali natura, quo præcipue facit mors piorum. Sicut copiose docetur, prima Cor. xv. Secus habent castigationes & correptiones impiorum: qui non credunt Euangelio. Istis enim omnia accidunt in malum: quemadmodum & mors æterna. Et exempla horum proponit scriptura, in Pharaone. Roman. ix. Herode, Act. xij. & horum similibus.

Contingit alicubi tribulationibus & calamitatibus corporalibus aliquos exerceri, tantum ut potentia & bonitas Dei in illis manifestetur. Sicut est in exemplo illius, cui cæco a natiuitate CHRISTVS lumen oculorum suorum restituit. Ioan. ix. & in morte Lazari, Ioannis xi. & sicubi horum plura leguntur. Necesse est igitur, ut pij in calamitatibus

suis semper meliora sperent, quam ut metuant iræ Dei significationes esse: nec dubium est, si fidem retineant ac patientiam, omnes illorum aduersitates ordinari a deo ipsis in bonum, & DEO in gloriam. Ita in genere statuere oportebit, esse ingentia beneficia omnes calamitates piorum, quibus, quia deus reconciliatus est, necesse est ut omnia seruiant ac cooperentur in bonum. Sicut Paulus docet Roman. viij. ubi pręcipue agit, de cruce, tribulationibus & calamitatibus piorum. Necesse est instrumẽta esse glorię eorum: maximeq; ad ueteris creaturę renouationem, quod deniq; per huius immundæ naturę abolitionem fieri oportet. Sic enim mors in sanctis durat remedij uice: mors item accelerata tanto maioris beneficij loco haberi debet, quo nos citius eximit ex hac seruitute, qua peccato in carnę obnoxij sumus. In summa, quicquid aduersitatum accidere potest, his qui in CHRISTVM IESVM crediderunt, id debet pro paterna castigatione, & significatione summæ erga nos beneuolentiæ dei haberi.

Cæterum pro peccatis nostris deus afflixit Christum: quia nulla alia re potuit satisfieri coram deo, pro nostris pcc̄tis pręterquã ipsius morte et sanguinis effusione. Idcirco in Christũ irruerũt ira dei & maledictiões legis. Sed quoniam innocens passus est, nisi quod lege dilectionis uoluit propter nos mortem sustinere, ideo perfectissime redemit nos a peccato & ab omnibus pœnis peccati. Et idcirco excitauit illum DEVS, ut nos erigeret per ipsum, uiuum ac regnantem, in spem immortalitatis & uitæ æternæ. Hebræ. x. Impossibile enim est sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ita impossibile fuit ullis iustitiis legis satisfieri pro peccato: propter imperfectionẽ illarum & immundiciem carnalis naturæ. Christus autem una sui oblatione consumauit in sempiternum sanctificatos. Hebrę. x. Huc pertinet quod est ad Gal. iij. CHRISTVS redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Item illud Roman. iiij. Traditus est propter delicta nostra: & excitatus est propter iustificationem nostri. Item illud Petri, prima Pet. i. Secundum misericordiam suam magnam regenuit nos in spem uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. *In cruce & morte Christi est satisfactio pro culpa & pœnis.*

Ex his omnibus causis, non uocabimus afflictiones nostras, nec satisfactiones ne satispassiones. Obscurat enim hæc superba adpellatio beneficium mortis Christi: ac perdit in nobis fidem. Deniq; facit ut usum afflictionum utilem ac necessarium, non modo nesciamus, sed prorsus amittamus: & ex re bona summa calamitate nos afficiamus. Dixi autem supra, quod si pro peccati pœnis nobis satisfaciendum esset, id alia re fieri a nobis nõ posset, quam nostra ęterna morte. Quod uero Sophistę dicunt, commutari pœnas mortis æternas, in alias temporales: ut uel operibus nostris pro illis satisfaciamus, aut certe calamitatibus corporali-

bus, aut deniq; purgatorij poenis: hoc totū mera libidine fingunt, & sine omnibus scripturis dicunt. Et eo ipso ex DEO mitissimo & clementissimo patre, his qui in Iesum Christum credunt, faciunt sæuum, crudelem & uix placabilem iudicem: & qui poenis nostris delectetur, quod omniū minime est in Deo. Suos em̄ ut dilectissimos filios exercet corporalibus tribulationibus: atq; ita erudit ut incipiat ac crescat in nobis nouitas spiritus, fides & uera pietas in DEVM: & deus ipse perfectissime in nobis regnet & glorificetur, atque adeo ut filij dei permaneamus. Nã eo ualere afflictiones, antea copiose satis expositum est. Quare his nominibus utamur, si quando de calamitatibus piorum loquimur, quibus scriptura sacra utitur: dum nobis fructum afflictionum prædicat, atque cõmendat. Vocat enim uerba, castigationes, correptiones, disciplinam, iudicium, uirgam. &c. Non poenas, multo minus satisfactiones. Cuius hoc loco pauca quædam exempla subijciam: ut in quibus & usum afflictionum melius discemus.

Psal. cxvij. Castigans castigauit me Dn̄s: & morti non tradidit me. Correptionibus igit̃, ut filios suos, erudit nos deus, neq; em̄edat: non ut tanq̃ poenis pro peccato satisfiat. Castigamur em̄, ut hic in melius mutemur, ne cū impio mūdo condēnemur. psal. xxxi. Multa flagella peccatoris: sperantē autem in Dn̄o misericordia circūdabit. Est em̄ testimonium in hoc loco, de contrario usu afflictionum in malos. Rursus psal. lxxxviij. qui est de regno Christi, & de illis qui in Christum Iesum credunt. Visitabo in uirga iniquitates eorum: & in uerberibus peccata eorum. Misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Esaiæ xxxviij. ex sermonibus Ezechiæ regis Iuda: corripies me & uiuificabis me: & ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Hiere. xxxi. Castigasti me Domine, & eruditus sum. Non dicit: illa castigatione mei satisfeci pro peccati debitis poenis. Quia afflictionum uerum usum norat. Idem cap. xlvi. Te uero non consumam: (sic enim loquitur DEVS ad gentem Iudæorum: quam affligendo uidebatur delere ac perdere uelle.) sed castigabo in iudicio. Nec quasi innocenti parcam tibi. i. Petri iiij. Tempus est, ut incipiat iudicium a domo dei. Si autem primū a nobis: quis erit finis eorum, qui non credunt Dei Euangelio? Isti loci omnes testantur longe alium usum esse afflictionum quã imaginantur Theologi rationis, cum de satisfactionibus carnalibus nostris loquuntur.

Tribulationes nostra poenitentia mitigantur. Hoc uerum est, corporales castigationes nostra poenitẽtia nonnihil mitigari. Quatenus enim resipiscimus castigati, & nos emendamus: eatenus facit deus suę correptionis modum, ac rursus benigne nobiscum agit. Quia correptionis finem attigit. Loquor autē non pharisaicis operibus hy-

bus hypocritarum: sed de uera pœnitentia: & uera conuersione nostri ad DEVM. Et huc facit illud Zachariæ, cap. i. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos. Est enim sententia: resipiscite et agite pœnitentiã, mutate prius uitę institutũ prauum in melius: et ego autem faciam plagarum & calamitatum finem. Sed & benefaciam uobis: & tuebor in omnibus. Sicut hæc eadem sententia est apud eundem prophetã, capite x. dicente deo: Et conuertam eos, quia miserebor eorum. Et erunt sicut fuerunt, quando non proieceram eos, Ego Dominus deus eorum: & exaudiam eos. Vide reliqua eiusdem loci. Similia habes Esaię. i. & lviij. & alijs multis propheticis scriptis. Nec aliud uult, hæc Pauli sententia: Si nos iudicaremus ipsi, non iudicaremur a DOMINO. Sic ergo aliquã mitigationem impetrare possumus, nostra pœnitentia, corporalium aduersitatũ: quamq̃ si permaneamus in impœnitentia, etiam æternæ mortis pœnas incurramus.

Cum igitur pœnitentiæ nostrę, finis & cessatio calamitatum promittitur, ita interpretari debebimus scripturas, ne contra gratiam & beneficium CHRISTI sentire reperiamur: Item ne fidem abolere, & operibus seu passionibus nostris tribuere, quod non est nisi redemptoris Iesu Christi. Iuxta illud: Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me: & peccatorum tuorum non recordabor. Quanquam necessaria est operis nostri, seu conuersionis nostrę pœnitentia, quę grata est quidem & accepta coram DEO, per gratiæ fidem & propiciatorẽ Christum. Nec ad alios referri debet illud Ezechiel. xviij. Si impius egerit pœnitentiam omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor. Aut si quid usquam est, quod pœnitentiam nostram prædicat ac laudat. Requirit autem deus ueram nostri conuersionem: qua non dubiũ est, aliquam præsentium calamitatum mitigationem a nobis impetrari. Præterea quoq; plurima beneficia corporalia in his terris: fœlicitatem horum temporum, pacem, bonam ualitudinem, & his similia. Quin & spiritualia bona, augmentum & robur fidei, pacem conscientiarum. Ac denique alia ingentia pręmia in cœlis. Tametsi beneficium saluationis gratuitum est: & propter solum CHRISTVM, & solis, qui in eum credunt, contingat.

DE PARTIBVS SATISFACTIONIS, *Eleemosyna, Oratione, & Ieiunio.*

QVæ hactenus dixi in locum de satisfactionibus, in genere ualent contra eius pharisaicam doctrinam: nunc de partibus illius seorsim scribam, quas scholastici Theologi tres principales esse cõminiscũtur: uidelicet, Eleemosynã, Orationem & Ieiuniũ. Sed ad illas, tanquã capita, plures alias reducunt: ut sunt omnia officia dilectionis, quælibet exercitia in spiritualibus ut uocãt, et corporales castigationes. Nã opera CAP. XVII

misericordiæ omnia subijciunt eleemosynæ. Opera autem spiritualia, sicut est docere aut discere uerbum DEI, ire peregrinatum, audire & redimere missam: orationi coniungunt. Quicquid autem facit ad carnis cohercendę officium, qualis esse possit abstinentia a crapula & ebrietate, temperantia cibi & potus, uigilię, labores, & fuga rerum quarumlibet non licitarum, ponunt sub ieiunio.

De his partibus nonnihil dicendum est hoc loco: hac potissimum caussa, ut adpareat non esse, quod audiunt. Primum uidelicet, opera indebita. Sunt enim debita, quia præcepta Dei: quibus nemo unquam potuit aut potest satisfacere. Nec dari potest aliquod tempus, in quo non teneamur, ad illorum debitum persoluendum: ut nihil uanius sit, quam fingere, ubi possis eleemosynam præstare, non præceptam a DEO. Similiter precationes facere, quas non antea deus requirat: aut ieiunare pie, cuius operis non sit debitor Christianus. Deinde etiam hac ratione, de his partibus agendum erit, ut cognoscantur, non eo modo satisfactiones esse, quo esse finguntur a Scholasticis. Tolerabiliter autem satisfactiones dici possent, præstita a pijs & ex fide, in uera pœnitentia, cuius omnes sumus debitores, in omni uita nostra. Non quod his satisfiat pro culpa aut pœnis, etiam pie præstitis: sed quod prius non satisfit Deo, id est, uoluntati Dei, qua requiritur a nobis, ut illorum pio exercitio in uera pœnitentia excellamus. Nam & Paulus iubet, ita doceri & institui Ecclesias: ut qui credunt Deo, solliciti sint, bonis operibus præcellere.

His a me præstitis, ruent omnia illa commenta quæ sunt apud Scholasticos de satisfactionum doctrina. Negant igitur Scholastici, quælibet opera bona esse satisfactoria pro peccati pœnis: & dicunt, oportere satisfactorem afferre, quædam opera indebita, scilicet certam eleemosynam, certas precationes & ieiunia. Qualia esse dicunt, quæ pœnitentiam agentibus, ab Episcopis iniunguntur præstanda: seu a priuatis sacerdotibus, in confessione. Sic enim euacuant mandata Dei: quasi unquam possit nobis esse ocium ab illis, aut tempus ullum dari quo non sit necessarium Christiano in illis esse. Sed isti hypocritæ, qui omnia diuina in obominabilem hypocrisim corrumpunt, nunquam intellexerunt, quid sit continuum esse, ut requiritur a Christianis, in omnibus operibus bonis.

Commentum Sophisticum de operibus indebitis.

Sed subscribā hic docendi causa aliquid ex nugis Sophistarum transsumptum: ut planius intelligatur, quatenus uelint credi, esse satisfactoria pro peccati pœnis, Eleemosynā, Ieiunium & Orationē. Ponam autē in exemplum opus eleemosynę: quod alioqui ualde tenuiter prędicatur ab istis, etiam cū dicitur opus pręceptū esse. Dicunt igiť alias teneri nos de pręcepto ad eleemosynam, alias non teneri. Si em̄ homo habeat aliquid, quod nō sit necessarium sustentationi suæ naturę, nec illorum qui-

bus tene

bus tenetur prouidere: uelut uxoris liberorum, seruorũ, ancillarum, parentum, cognatorũ, &c. Et adsit tanta tenuitas, quod immineant signa probabilia extremæ necessitatis, in paupere: (O barbaricam crudelitatem, Theologorum & Magistrorum nostrorum plusquã Schiticam: hæccine est illa charitas, per quam docetis quod homo uitam æternã de condigno mereatur?) tunc teneri nos de præcepto. Sed extra hanc necessitatem neminem teneri de præcepto ad eleemosynam. Sic ergo distinguitur apud Sophistas, elusores & illusores atque irrisores scripturarum sanctarum, præcepta eleemosyna non præcepta: & dicitur postea ab ijsipsis: Quod dare eleemosynam, intentione subleuandi proximi necessitatem, sit opus misericordiæ. Sed dare intentione recompensandi pro debito diuinæ offensæ, id esse opus iusticiæ: & quod talis eleemosyna sit satisfactoria proprie: & pertineat ad meritum remissionis pœnæ: sed priore modo pertineat ad MERITVM VITAE. Has pharisaicas, grauissimas, uanas & stultas blasphemias cum doceãt Scholastici, non desunt tamen qui requirunt a nobis, ut omnia eorum inuenta & impias nugas, pro diuinis oraculis exosculemur & adoremus.

In operibus ergo, a DEO præceptis, habentur apud Sophistas eo modo ut dixi, pro indebitis, Eleemosyna, Oratio, & Ieiunium: de quibus nos CHRISTVS docuit, cum alias, tum apud Matthæum capite vi. Nec dissimiliter fabulantur, de oratione & ieiunio, præceptis & nõ pręceptis quam hic ostendi: exemplo proposito, de eleemosyna. Dixi uero antea, qua necessitate, & quibus de caussis, oporteat illorum friuolis cauillationibus, & inanibus commentibus, nonnihil respondere. Reclamat enim ipsa quoque præceptorum operum natura isti stultæ opinioni, qua pro operibus satisfactorijs habentur. Quid enim opus habemus, aut quorsum, largiri eleemosynam, precari aut ieiunare, cum nulla necessitate nostri, aut communi aliorum, aut nullo præcepto DEI nos urgente, facimus illa opera. Nonne illa opera in uentum emittuntur & abeunt: & sunt inutilia ac uana? Oportet igitur omnia illa opera eleemosynæ, precationum & ieiuniorum, & quæ sub illis continentur, semper pro præceptis DEI agnoscere: hoc est, omnia illa, quæ uocantur dilectionis & misericordię opera. Nec minus audire uerbum Dei, ac discere sollicite: denique quicquid cadit sub rationem coercendę carnem.

De Missa alia quęstio est. Ac licet habeat diuinam institutionem, & in recto sui usu nunquam possit, pro opere indebito, siue non necessario haberi: (Est enim sacramentum corporis CHRISTI & sanguinis eius: in consolationem illis datum & fidei sui confirmationem, quos lex, quos peccatum & mors terruit.) Tamen ab

De Missa.

impuris Sophistis & impijs Papistis sic tractatur, ut solent opera, quæ uocant indebita, & non necessaria tractari. Fingitur enim sacrificium esse, pro peccatis uiuorum & mortuorum: & dicitur adplicata ualere ad remissionem culpæ & poenæ. Quanquam si quis non redimat missam, (Nam uenalis habetur apud Papistas, pro certa pecunia.) is possit saluus fieri a peccato & morte: concedentibus Sophistis. Perinde, ut qui opera satisfactoria omittunt possint saluari: sed non sine grauissimis castigationibus in purgatorio. Vides lector operationem erroris, quantum inualuerit per audacter impiam & impudentem auariciam. Nam ista adplicatilis missa nulli conceditur gratis: quanquam Christus dicat, gratis accepistis, gratis date. Nec tãtum ualet charitas, per quam alioqui fingunt Sophistæ, se omnia præstare posse, impetratam merito congrui, ut miseris communicetur ista adplicatilis missa, quibus deest pecunia, qua pro suis peccatis redimatur. Quanquam isti, Sophistas dico, elabuntur suis distinctionibus: ne hac in re debito charitatis teneantur. Quia non est extrema illa necessitas cum ipsi possint, debitis poenis in purgatorio persolutis, saluari: qui ex hac uita sine plenissimis satisfactionibus decesserunt.

Sed concedunt operis misericordiæ esse, si aliquis uir diues & opulẽtus, aliqua summa pecuniæ, redimat pro talibus indulgentias & missas. Tunc enim, conspecta uidelicet pecunia, extrahunt liberalissime Pontifices & Episcopi, multas myriades animarum ex purgatorio. Hoc enim nunc summorum Pontificum & Episcoporum negocium est, & labor: (Et quis credat illos in officio frigere? fortassis crassi Lutherani: nõ intelligẽtes istius officij & prudentię Episcoporum.) quemadmodum priuatorum sacerdotum est, missam hanc adplicatilem uenalem habere. Sed relictis in consideratione aliorum impietatibus & imposturis, missa nulli utilis esse potest, nisi qui propria fide motus, uenit ad participationem corporis & sanguinis CHRISTI, sibi gratulaturus & Deum glorificaturus, memoria traditi Christi in mortem: pro redimẽdis omnibus modis a peccato & æterna morte.

DE ELEEMOSYNA.

Nugæ sunt ergo & nihili commenta audacium Sophistarum, sicut prius exposui, quando dicitur: quod DEVS æternam mortis poenam beneficio Christi commutet in aliam temporalem: hoc est, purgatoriã, & corporales calamitates. Et quod pro his debitis oporteat nos quibusdam certis operibus nostris satisfacere: aut satis puniri. Hæc enim somnia non solum sparguntur in Ecclesia sine testimonijs scripturæ: uerum etiam contra scripturas & contra gloriam IESV CHRISTI: quem omnis scriptura testatur satisfecisse pro omnium peccatis & poenis. Et q̃t quot in eum credunt, eos saluari a peccato & morte. Non enim datum est homi-

est hominibus aliud nomen sub coelo: in quo oporteat nos saluos fieri Act. iiij. Et illi omnes prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiant per nomen eius, omnes qui credunt in eum.

Cæterum Canones poenitentiales, sunt res abolita: quorum occasione Sophistæ errauerunt, aliosque errare fecerunt. Nec exercitati sunt istis canonibus, nisi pigri & inertes, & frigide poenitentiam agentes, delicatuli peccatores: aut qui grauissime lapsi essent, ne deessent terroris exempla in ecclesia. Horum leges potuerunt remittere Pontifices & tollere: non ex clauium potestate, sed libertate plane humanæ. Quod erat indulgere: nunc autem finguntur Pontificum indulgentiæ esse autoritas quædam & potestas clauium concessa a DEO, cum nihil sint minus. Vt enim ab hominibus sunt nati canones, sine mandato DEI: Ita ipsæ quoque indulgentiæ, secutæ sunt inuentionẽ canonum. Adeoque meræ imposturæ sunt quando Pontifex dicitur, facere per suas indulgentias remissionem culpæ & poenæ. Quia non potest aliter remittere peccata & saluare, nisi per Euangelij prædicationem & administrationem sacramentorum: declarando & adprobando, remissa esse peccata & poenas peccati omnibus qui in Iesum Christum credunt.

Quisquis igitur uolet pie Eleemosynam præstare: is ne cogitet se aliquid facere posse, cuius non sit debitor coram DEO: multo minus, quod satisfacere possit pro culpa, seu poena. Hac enim intentione præstare eleemosynam, esset grauissimæ blasphemiæ opus, in misericordiam Dei: & summæ iniuriæ facinus, in seruatorem Christum. Sed ita cogitet, & hac intentione præstet eleemosynam: facturus uidelicet, hãc beneficentiam cum proximo & paupere, ex fide in gloriam gratiæ & seruatoris Iesu Christi: adeoque fidei suæ confessionem, exercens se in his operibus, imo sacrificijs, laudis & gratiarum actionis. Et sic de omnibus reliquis misericordiæ operibus dixerim: Imo de omnibus prorsus pietatis operibus. Et talis non habet opus, ut redimat uel indulgentias uel missas: quia est uere iustus & perfecte beatus coram DEO. Cui nihil esse debet, cum operibus mutilibus & perniciosis hypocritarum. *Eleemosyna.*

Sed de debito eleemosynæ copiosius loquemur: ut Sophistarum cõmenta prorsus elidamus. Vt igitur dilectionis erga proximum debitores sumus, omnes homines, quouis tempore: quam declaremus in proximi necessitatibus, nobis adesse. Ita ut docemur: Lucæ x. in quadam parabola, alleuare aliorum miserias & nostras durare: Ad eum prorsus modum & eleemosynæ debitores sumus, omnes homines, quouis tempore, erga quoscunque. Imo quid est eleemosynæ opus facere, quam dilectionem proximo præstare? Est enim gratuitum donum & munus, gratuita beneficentia, pauperi, egeno & aliter calamitoso præstita: & oritur ex præcepto: Dilige proximum tuum, sicut te ipsum. Pars uide- *Eleemosynæ debitores.*

Quantum. licet, officiorum dilectionis. Quantum uero præstare conueniat, eũ qui facit cum proximo suo hanc misericordiam, seu eleemosynam, aut

Cui. Cui debeatur eleemosyna: ex pręcepto dilectionis satis liquet. Dicit em̃, Dilige proximum tuum sicut TEIPSVM. Nec obscure Christus de illo modo nos docet, Matthæi vij. Omnia quæ uultis, ut faciant VOBIS homines: & uos facite illis. Item Ioannes, prima Ioannis iij. Qui habuerit substantiam huius mundi, & uiderit fratrem suum egere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas DEI manet in eo? Et liquet

Vnde. illud quoqȝ ex hoc postremo testimonio, unde sit facienda eleemosyna: nimirum ex propria substantia, non de rapina, furto, meretritio quęstu, aut similibus: quorum oblationes Deus odit.

Cæterum Sophistę, huius præcepti necessitatem, secure reijciunt: & fingunt esse, quando eleemosynam non debitam præstare queant: & illa pro peccati poenis satisfacere. Et quid obsecro mereri putas coram deo, qui autoribus Sophistis præstant eleemosynam, non ex fide redemptionis per CHRISTVM: imo contra illius fidem, quasi satisfacias, pro debitis peccato poenis? Docent enim Sophistæ quod faciens pręceptum opus uitam æternam mereatur: præstans autem opus indebitum, is satisfaciat pro peccati poenis. Quorũ utrunqȝ falsissimum est: & nimiæ blasphemiæ coram DEO. Quod sæpe docui, monstraui & euici.

Eleemosyna non satisfit pro pœnis.

Quod si opus indebitum eleemosynæ recte pro opere satisfactorio haberetur, certe deberetur illi pręclarissimum nomen coram DEO. Sed obsecro, cur Deus tam execratur istam inanem gloriationem iustitiarum nostrarum: ut per gloriam nominis CHRISTI illam penitus reijciat, damnet atque excludat? Quod si operi uere bono ac præcepto, nihil debetur coram Deo ex condignitate: quid audax Sophista tribuis operi indebito & pharisaico meritum remissionis culpæ? Claret ex his quam cæco & foedo errore numerent Scholastici, inter sua commentitia opera bona, quę indebita uocãt, opus eleemosynę. Sic enim sentiũt & docent: quod non possimus redimere, uel compensare, peccati poenas, per id quod alioqui debetur Deo. Fingunt igitur Sophisticis distinctionibus & cauillationibus, eleemosynæ opus nunc esse præcepti: nunc esse operis indebiti. Quod quã uanum sit & impium, abunde satis hoc sane loco expositum est. Cum eleemosyna habeat diuinum pręceptum: cui nemo nostrum unquam satisfaciat: quæ nisi ex fide præstetur, nunquam possit haberi pro opere bono, nedum pro satisfactorio, & redimẽte peccati poenas.

Cæterum istos Sophistas, qui de effectibus eleemosynæ cauillantur, & dicunt iuxta illud Tobiæ, Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras: relegamus ad suum magistrum Lombardum. Is enim lib. iiij. Sententiarum, Distin. xv. ita scribit.

Responsio ad obiectiones.

scribit. Quod ergo DOMINVS ait: Date eleemosynam, & omnia munda erunt uobis: Ita ne intellecturi sumus, ut non credentibus in CHRISTVM munda sint omnia, si eleemosynas dederint. Et mox, ibidem: Christus ait, mundate quæ intus sunt. Immundis enim nihil est mundum: sed polluta sunt eorum mens et conscientia: Vt ait apostolus. Immūdi uero sunt omnes, quos non mundat fides, qua creditur in Christum: De qua scriptum est: Mundās fide corda eorum, hæc ille. Quanquam ne ipse quidem Lombardus recte intellexit, quid sit credere in CHRISTVM: sicut docui parte huius libri superiore. Recte tamē pronunciat, nihil coram Deo bonū opus, seu mundum esse, quod non præstetur ex fide in Christum.

Ergo talibus sententijs operum laudat scriptura obedientiam illam nostram erga mandata DEI: nihil de indebitis loquitur. Deinde inuitat pios, ad fidei exercitationem: & ex fide operantibus pollicetur mercedem. Vt nemo operibus suis, debitum saluationis, acceptum ferre possit, tanquam ex condignitate, meriti & operis operati. Deinde frequenter solet scriptura caussam & effectus eodem uerbo complecti: quod nisi recipias in illo uulgatissimo: Matthæi xxv. Venite benedicti, &c. necesse est ut dicas CHRISTVM frustra mortuum esse. Neque tamen sequitur, quod operibus saluemur, tanquam caussa partiali, sine qua non. Quia spiritu ex fide spem iusticiæ expectamus: & illa fides est efficax per dilectionem, & habet sua præmia coram DEO. Sed Sophistarum cauillationibus alias satis respondi.

DE ORATIONE.

Sed magis mirum uidetur, qua illud insipientia acciderit Theologis, ut orationem quoque numerent inter opinata illa opera satisfactoria. Nam quid habet inuocatio, de quo ulla firma ratione dici possit, esse aliquid in eo quod de nostro ad DEVM adferamus? Dic enim per CHRISTVM, quomodo precationes facienti, remissio pœnæ debeatur, tanquam pro opere satisfactorio? Inuocantes enim rogamus gratiam & auxilium: In satisfactione autem necesse est, ut de nostro aliquid DEO offeramus. Sed quoniam iusticiæ nostræ omnes sunt immundę & imperfectæ, ideo nullum opus nostrum potest esse satisfactorium coram Deo. Significat præterea rem diuinam satisfactionis nomen: ubi disputatur de remissione culpæ & pœnæ. Nec competit nisi in opera filij Dei Iesu Christi.

Porro, est oratio seu inuocatio non minus de præcepto, quam eleemosyna, siue alia opera bona: & pertinet ad secundum legis mandatum. Ideo ridiculum est ex necessario & præcepto opere facere indebitum. Est autem fidei in DEVM summum & præstantissimum opus: in quo necesse habemus semper nos exercere, etiam CHRISTO teste. Sic

Inuocatio cōtinetur sub præcepto.

enim ait: Oportet semper orare & non deficere. Lucæ xviij. Et quomodo ocium posset homini esse ad inutiles & non præceptas precationes? Necesse est enim pharisæos & hypocritas esse, qui existimant se operi præcepto per precationes suas aliquando satis fecisse. Nec loquuntur nisi de pharisaicis cultibus, qui fingunt, quod ultra ueram inuocationem, quæ est diuini præcepti, possimus plures alias precationes facere, & remissionem poenæ illis mereri. Quos constat improbari a deo: Iuxta illud. Inuanum coluntme, docentes doctrinas, & mandata hominum. Matthæi xv.

Contemni igitur istæ pharisaicę inuentiones debent de quibus dicitur: quod sint operis non præcepti, & tamen mereantur homini remissionem poenę. Sunt enim reuera dęmoniorum doctrinę: quibus a germano atque debito cultu dei auertimur atque abstrahimur, & plane ac prorsus dementamur. Qui posset enim satisfieri, pro peccati debitis poenis carnali precatiuncula: cum per seriam inuocationem hoc effici non possit? Nam qui serio orant sibi dari panem quotidianum, indumenta, pacē, & reliqua huic uitę corporali necessaria, quomodo horum petitione possent pro debito poenę satisfacere? Quod si hoc nihili commentum de inuocatione, quatenus dicitur opus satisfactorium pro peccati poenis, nō procedit in hac una petitione: quomodo in alijs petitionibus procedere & locum habere posset?

Inuocatio nō est satisfactoria.

Iam nihil est petitionū in omnibus psalmis, quod sub his precādi formulis, quas tradidit nobis CHRISTVS non cōtineatur. Igitur nec de psalmorum lectione dici potest, quod hac satisfiat pro poenis. Sicut nec de ullo opere cōfessionis, laudis & gratiarum actionis: quorum sunt pulcherrima exempla, & horum ingens copia, in psalmis. Si igitur commentum de opere satisfactorio hac quoque parte fallit: quo iure habetur apud scholasticos inuocatio pro opere satisfactionis? Quamquam ut dictum est, satisfactio est res ficta & inane nomē, illa quam ipsi nobis prędicant: ideo necesse est, ipsa quoque opera, quę dicuntur satisfactoria, nihil minus, quam quod dicuntur, esse.

DE IEIVNIO.

REstat Ieiunium, cui cum prędictis tribuitur, quod homini remissionem poenarum mereatur: sed per mirabilem hypocrisim, & uanitatem. Nam huius opinionis autores sufficere existimant ad ieiunium, si sit in eo delectus ciborum, ad statum aliquod tempus. Nec multum referre existimant, quantum comedas, aut bibas, modo cibum sumas pisculentum: & illum semel in die. Quo quid fingi potuit magis pharisaicum: ac minus attingens rationem ueri ieiunij?

Proinde contra istas pharisaicas opiniones, sciamus ieiuniorum duplicem

duplicem considerationem esse :pertinet enim alia illorum species ad carnis nostræ castigationem: alia testamur nos uere dolere, de præteritis delictis: atque illo simul præparamus nos ad inuocationem & alia opera pietatis. Sed ieiunium ut significat iustam carnis & desyderiorum eius castigationem, comprehendit abdicationem omnium deliciarum carnis, crapulæ, ebrietatis, ueneris, ocij: & in summa, quicquid est immodici luxus, in rebus omnibus. Et semper pro necessario & debito opere haberi debet: quod non opus habet magnis probationibus. Nec potest sine hoc studio, sobrie, modeste, temperanter, iuste & pie uiuendi, altera illa ieiuniorum species, quæ dici potest præparationis, qua ad tempus aliquod certum, in totum ab esca & potu abstinemus, DEO placere. lege Esa. lviij.

Quæ species ieiunij sit præcepti.

Prioris exempla alia non oportet requirere, quam præstari debent in tota uita Christianorum: Posterioris autem habes, Ionæ iij. obtemperãtium prophetæ monitis, & agentium pœnitentiam, uidelicet Niniuitarum, exemplum. Item Act. xiij. & xiiij. in præparatione Apostolorum, ad inuocationem, & pro fœlici profectione, atque successu in Ecclesia. Sed nec illa posterior species potuit operis indebiti esse: etiamsi non esset præcepti, sic ieiunare. Et profuit ad alios fines, quam ad istos pharisaicos, qui finguntur meriti remissionis pœnæ. Ergo utram speciem intuearis, non potest ieiunium pro opere satisfactorio haberi. Atq; hæc satis clare docent, quod usum ieiuniorum, uerum & Christianum illi ignorãt, apud quos habẽt pro indebitis: adeoque satisfactorijs, pro merito remissionis pœnę. Deniq; firmum est, quod in ieiunijs illis, quæ prędicant, nihil sit, neque possit esse, præterquam turpissima hypocrisis: ac ne species quidem ueri ieiunij. Quid habet enim nisi delectum ciborũ: præter impiam & blasphemam opinionem de merito operis operati?

Ieiunando nõ satisfit pro debitis pœnis.

In summa. Certum est & indubitatum, quod satisfacere, tum pro peccato, tum pro morte, & omnibus pœnis peccati, res est non operis seu meritorum nostrorum: sed IESV CHRISTI, filij Dei, Domini & seruatoris nostri. DEVS enim filium suum nobis dedit, precium & satisfactionem pro peccato & morte. Nec beneficium hoc diuinæ gratiæ ullis alijs contingit, quam credentibus in CHRISTVM: neq; aliter, quam per hanc fidẽ: hoc est, si credant in promissionem gratiæ de Christo, quæ hunc testatur gratuita misericordia DEI traditum esse, ut nos a peccato & morte liberaret. Cæterum eleemosyna nostra huius fidei nostræ in Christum quidam effectus est, seu fructus: cui nunquan tribui pie potest, meritum remissionis peccati, & uitæ ęternæ, aut satisfactionis, pro peccati pœnis. Similiter inuocatio huius fidei opus est & fructus: qua nunquam opinari possumus, nos DEO aliquid adferre, sed bona accipere a Deo agnoscere debemus. Deniq; ex eodem fidei fonte

promanat ieiunium: in quo est abstinentia ab omnibus illicitis rebus: quam utiq; Deo semper debemus. Quare hęc omnia pro operibus indebitis & satisfactorijs nemo qui sani iudicij est potest habere: ne Sophistę quidem & aduersarij nostri, si serio iudicare uellent.

Atque hęc hactenus contra impiam satisfactionis doctrinam: quę est apud scholasticos Theologos. Et in uniuersum contra pharisaicam poenitentiam: quę ab ijsdem prędicatur, nomen & gloriam Christi obscurans: & homines nihil pręter uanissimam & pharisaicam operum suorũ hypocrisim docens. In quorum uanitatibus refellendis quid pręstiterim, aliorum erit iudicare: certe Ecclesijs prodesse conatus sum. Sunt autem tam crassi Sophistarum errores, ut ab homine mediocriter erudito, & intelligente scripturę sententiam de iustificatione, facile deprehendi possint & refelli. Plura uero in hoc libro scribere non constitui: cuius ea causa hic finem facio, mox adgressurus tertium, quem institui de fructibus iustificatorum. Quem ut foeliciter absoluam, precor ut efficiat in me CHRISTVS IESVS, Dominus & seruator noster: cuius glorię in toto hoc scripto seruitur, & utilitati Ecclesię propter Christum.

Esa. xl.
Verbum DEI nostri surget in ęternum.

De poenitentia libri secundi
FINIS.



COMMENTARIORVM DE POENITENTIA TERTIVS LIBER.

Matthei 3.

Facite ergo fructus dignos poenitentię.

Tit. 2.

Adparuit enim gratia Dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & mundana desyderia, modeste, iuste & pie uiuamus.

Quę summatim in hoc Tertio Libro doceantur.

Parte prima continetur descriptio pręcepti a Deo boni operis.

Parte secunda agitur de impletione seu pręstatione eiusdem pręcepti operis boni.

His adiecta est doctrina de Sacramentis, baptismo & dominica coena.

PRAEFATIO IN TERTIVM LIbrum qui est de fructibus Iustificatorum.



Paucis mihi ab initio huius tertij libri, qui continet descriptionem de fructibus iustificatorum, docendus erit lector, de consiliorum meorum ratione: ut quid in eius compositione secutus sim protinus intelligat. Deinde, ut de genere scripti admonitus plane uideat, quo loco bonorum operum doctrina debeat haberi: & quomodo coniungi illa, cum gratiæ & fidei prędicatione. Quanquam ēm̄ & in superioribus libris hæc ratio sit clare exposita, tamen non inutile futurum spero, si eandem nunc quoqꝫ coner nōnihil explicare, & gloriam Christi qualibet occasione illustriorē efficere. Nā quia bonorum operum doctrina plurimi impie & fœde abutuntur, multum refert Ecclesiam in fide & moribus recte instituere: & plane explicare, quę pars in Christiana doctrina quomodo cum alia cohæreat & consentiat. Accedit aduersariorum audax impudentia: quæ uidelicet nos cogit, ut plurima in hac religionis quęstione & controuersia, subinde repetamus. Quicquid enim pie, recteqꝫ dictum est, id perpetuis conuitijs insectātur. Quapropter necesse habemus, uel propter imperitos quos fallunt, nostra in istos tanquam responsiones dirigere: & improbum os eorum ipsis obstruere.

Vt ergo quod institui absoluam, plurimi doctrinæ religionis summa capita illa, fidei inquam, & bonorū operum, scelerate lacerant & confundūt: planeqꝫ nihil suo loco dicunt. Nam quod principale est, & omnium exactissima diligentia & cura explicari debuit, in fidei & operum quęstione: uidelicet, ad quid faciat quod credimus in Deum & redemptorem Christum: Item, quo fine sint facienda bona opera: hoc isti opinionibus rationis ita cōtaminant & obruunt, ut quę sunt propria fidei, gratiæ & nostræ redemptionis, quæ facta est per Christum, ea iusticijs nostris, ut est fidei ignorantia in ipsis, impijssime arrogent: & iusticias operum nostras, Iudaice solum & Ethnice, id est, hominum more, seu ciuiliter, prædicent ac doceant. In summa, ut fidei, quæ primas in omnibus tenere debet, (nempe, qua sola a peccato & æterna morte saluamur: & quæ sola efficit nostras iusticias gratas, acceptas & uere bonas coram Deo,) nullum penitus locum relinquant.

Nam quod fingunt, remissionem peccati dari pro meritis operum nostrorum, eo commento & gratiam & Christum negant: fidem abolent, & Christianam iusticiam quātum in ipsis est prorsus euacuant & tollūt. Nam Christiana iusticia illa, quę nos beatos efficit coram Deo, quo ad saluationem nostri a peccato & a morte, est remissi peccati fides: siue, ut

Christiana iusticia.

apertius

apertius & clarius dicam, est donum misericordiæ Dei, quo peccata gratis remittuntur, propter Christum, illis qui credunt in eum. Nec æterna uita aliunde sperari debet, quã per hãc eandem in Christũ fidem: sicut nec iustificatio seu liberatio a peccato aliter ullis potest cõtingere, quã si per Euangelij promissionem credant, peccata sibi gratis remitti, propter Christum. Quanquam fide iusti & beati, necessario præstent aliquã obedientiam erga legem: & fructificent bene operando, & iustę atque honestæ conuersationi apud homines operam dando. Sicut non obscurę est, ex omĩ prophetarę Christi & Apostolorę prędicatiõe & doctrina. Verę ad huius demõstrationẽ, ego in pręsentia utar non multis exẽplis.

Igitur Ioãnes Baptista, ille Christianismi perfectissimus formator, et exemplar docendæ pietatis, agit utrunque, hoc est, prædicat remissionis peccati fidem per Christum. Sic enim illi dat testimonium, ut refertur Ioannis primo. Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Idem hanc ipsam prædicationem coniũgit cum pœnitentiæ doctrina, in qua est prędicatio de obedientiæ nostræ iusticia: de contritione inquam, & de operibus, per gratiam iustificatorum, bonis. Sic tamen coniungit hanc gratię & operum nostrorum doctrinam, ut non tribuat nisi uni Christo Iesu, quod nos iustificet a peccato: & saluos faciat ab æterna morte, quatenus credimus in eum. Sic enim & Ioan. iij. de eiusdem testimonio scribitur: Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius. Qui credit in filium habet uitam æternam: qui autem incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manet super eo.

Rursus tamen operum iusticiam, quam nos præstemus, requirit Ioannes & exigit a nobis: sed tanquam iusticiæ fidei fructum. Quę uidelicet: & doleamus de peccatis admissis: & per uitæ nouitatem probemus, nos uere credidisse in Deum, uere resipuisse. Quare nunquam fieri a nobis, præcepta opera bona, ea opinione & mente debent, ut illis iusticiam nobis, scilicet corã deo, seu peccati remissionẽ, aut uitã ęternam, quęramus. Hoc enim qui faciunt, & talibus opinionibus operantur, illi derogant gratiæ & redemptori Christo. Neqꝫ enim requirit conditionaliter obedientiæ nostræ opera Euangelium, ut illa iusticiam & saluationem nobis mereamur: sed fidem beneficiorum gratiæ & redemptoris Christi, gratuitorum illorum, per quæ iusticia & salus nobis donãtur, quatenus in gratiam & Christum Iesum, unicum illum mediatorem gratiæ, credimus. Ex quo sane abunde liquet, quo necessitas bonorum operum loco mereatur haberi: non alio certe, nisi ut qui in iusticiã gratiæ uocati sunt, illam pro gratitudinis officio habeant: qua non solum fidem exerceant, & bonam conscientiam quo ad Deum seruare studeant: uerumetiam apud homines confiteantur, & sibi adesse illam per operationes totius uitæ testentur. Laudent Deum: & in summa, uoluntati Dei non grauan-

Necessitas bonorũ operũ.

ter in omnibus morem gerant. Pœnitentiam agant: uiuant iusticiæ, & gloriæ Dei. Quod est, ut dixi, per iusticiam bonorum operum cupidissime seruiant Deo: tanq̃ glorificaturi eum, pro Christo, cum gratiarꝫ actione. Vt sic etiam alios trahãt ad iusticiam & pietatẽ Christianã: atq; ad glorificandum Deum, corde, ore, & similibus alijs officijs, in omni uita sua, dignis Deo, & his qui in gratiam sunt recepti. Iuxta illud: sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrum qui in cœlis est.

Hoc fine prędicare bona opera, rectum est & piũ: cum sit peccatores per gratiæ fidẽ inuitare ad uitæ nouitatem, seu ad obedientiam aliquam erga legem. Quamq̃ autem illa operum iusticia non sit perfecta obedientia ad legem, tamẽ placet Deo, quod ex fide in Christũ effluit: deinde, est cultus Dei, non em̃ alio fine principaliore fit, quam glorificãdi Dei studio. Certe ut iusticiam & salutẽ sibi mereant̃, qui in Christũ crediderunt, fieri non potest. Et de talibus solis operibus recte dicitur, quod habeant sua pręmia in cœlis. Esto em̃ nõ sint ipsa per se iusticia, qua & a peccato & a morte saluamur, tamen sunt iusticię effectus & fructus. Idcirco in fide iustificatis coronant̃. Adhunc uero modũ ipsum quoq; Ioannem baptistã prędicasse bona opera hęc eius uerba testant̃: Pœnitentiã agite, adpropinquauit em̃ regnũ cœlorꝫ. Sic enim pœnitentiam prædicare, est inuitare peccatores ex fide gratię ad melius uitę institutũ. Eodem facit illud eiusdẽ: Facite ergo fructus dignos pœnitentię. Sic em̃ loquit̃ illis, qui simulant potius q̃ agunt pœnitentiã: incredulis uidelicet Deo, & simulate ac ficte Christianis. Nihil enim obscure significat, uerã illam in Deũ, & Iesum Christum fidẽ, non esse ociosam, sterilem aut infructuosam. Hæc enim ubi uera contigit homini, edit per sedulam & diligentem multiplicium mandatorum Dei obseruationem, plurimos iusticiæ fructus.

Hęc sunt minime oscitanter obseruanda, ne qui se fallant ac decipiãt, existimantes quod credãt in Deum, cũ sine omnibus pietatis & iusticiæ operibus uiuant: quin etiã flagitiose uiuant, operibus carnis seruientes, certo & infallibili signo ꝙ spiritu Christi careant, uacui & inanes Deo, sicut docetur Rom. viij. debitores sumus, nõ carni. &c. & Gal. v. ubi clare dicitur, quod qui operibus carnis indulgent nequeãt saluari. Necesse est igitur tales sine fide & spiritu Dei egisse. Rursus ibidem docetur, quod qui Christi sunt, carnem suam crucifigant cum affectibus & concupiscentijs: ergo uera fide & spiritu Christi fuerunt & sunt præditi. Itaq; ualde perniciose errant, qui putant in se quoque esse noticiam Dei & fidem in Christum, qui carnaliter uiuunt: cum sit impossibile, ueram fidem in te esse, cui non sit coniuncta bonorum operum iusticia. Hæc est enim efficacia fidei, quod totum hominem renouat: & eius uitæ con

uersationẽ

uersationem in melius mutat, ut alios effectus taceam. Quapropter minime cessant, qui uere crediderunt, iusticiã gratiæ, quæ est fidei in Christum, studio bonorum operum in omni uita sua ornare: sic uidelicet illos erudiente & exercente gratia Dei. Vt Paulus testatur, in epistola ad Titum cap. ij. Adparuit enim, inquiens, gratia Dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem & secularia desideria, modeste, iuste & pie uiuamus: expectantes beatam spem & adparitionem glorię magni Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi. Qui dedit semet ipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate: & mũdaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum.

Et hęc de ratione qua coniungi debent, tã in doctrina q̃ in uita Christiana, tum gratię fides, tũ opera bona. Oportet em̃ ut fidei, quam pręit Contritio, priores demus: & signate atq; expresse doceamus, tam remissionẽ peccati, quam æternã uitam, nulli aliter contingere, quam per fidẽ in Christum. Posteriores aũt obedientię nostrę tribuamus: nempe, qua iusticiam fidei, in omni uita nostra exerceamus, illud operã dantes, ut Deum & redemptorẽ Christum pro gratia glorificemus: similiter illa uitę nostrę conuersatione alios ad glorificandum Deum inuitemus. Iustificatio em̃ nostri coram Deo, non per opera nostra, sed hac ratione & hoc ordine contingit: Lex suo principali officio & usu arguit & accusat nostra uicia & peccata. Euangeliũ uero offert promissionem gratię & salutis per Christũ, & credentes in eam promissionem absoluit a peccato & a morte. Item pronunciat iustos, filios Dei & uitę æternę hęredes. Ideo perterrefacti agnitione Dei irati aduersus peccata & peccatores ex lege, necesse habent se recipere ad promissionẽ gratię & credere: quid? hoc uidelicet, quod per gratuitam misericordiã Dei, propter Christũ accipiãt peccati & delictorũ omnium remissionem: tum iusticiæ imputationem, illius quę est Christi, & ipsam adeo ęternam uitam in Christo. Sed hęc gratię iusticia operatur in credente, ut dictum est, nouam aliam & sanctam uitam. *Ordo & ratio Iustificationis.*

Ergo necessaria est quidem in homine saluando aliqua Cõtritio: qua uidelicet ille ad timorẽ Dei et ueros conscientię pauores, adeoq; ad desperationem meriti iusticię suę, agnitione peccati sui & iudiciorũ Dei, promoueat: ut sitiat euangelium gratiæ, perq; gratiæ iusticiam saluus efficiatur. Iuxta illud: psal. cxlvi. Qui sanat contritos corde, & alligat cõtritiones eorum. Nam quid hoc est aliud, quam affirmare de Deo, quod non contritos non sanat? Quare etiamsi contritio nulli mereatur saluationẽ, tamen necessaria est ad humiliandũ peccatores. Nullos em̃ alioqui consolatur Deus aut sanat, præterquam eos, qui uere humiliati sunt coram illo, & ad cognitionem morbi sui peruenerunt. Nam & qui nihil conterriti sunt aut cõtriti lege, nihil quicq̃ afficiũtur euangelij consolatione; *Contritio.*

neqꝫ sitiunt curationem Dei, ignari sui peccati. Quapropter nec saluari possunt: inepti uidelicet ad iusticiæ gratiæ receptionem.

Fidei & consolationum euangelij necessitas.

Rursus Contritio, sine fide promissionis Euãgelij, de remissione peccati per Christum, etiam absorbet peccatorem æterna salutis desperatione. Magna adeo necessitas est fidei, & consolationum euangelij, in homine uere contrito: nec potest tali consuli, quam per gratiæ de Christo promissionẽ. Ideo quod attinet ad iustificationis doctrinã, uanissimi cõmenti est doctrina scholasticorũ Theologorũ, qua prædicant remissionem peccati hominibus dari pro merito Contritionis. Nam hoc est derogare gratiæ Dei & gloriæ iustificatoris Christi: Item, gloriã Christi in iusticias carnis transferre. Vt ne dicã, quod homo in uera Cõtritione etiam horribiliter peccat: tantũ abest, ut gratiam, aut peccati remissionẽ illa sibi mereatur. In contritione em̃ irascitur Deo, & fremit aduersus iudicia Dei: cupiens licenter uagari, & desideria ac libidines carnis explere potius, q̃ uoluntati Dei morem gerere. Imo intelligens se iudicari & damnari propter peccatum, a quo nullis suis uiribus potest abesse. Sed scholastici theologi, ut alio loco dictũ est, uerã contritionẽ non prædicant: nec intellexerunt, impediti opinionibus pharisaicis, de merito & dignitate iusticiarum rationis coram Deo.

Ad hoc itaqꝫ utilis est homini uera Contritio: ut illi sua mala, peccati uidelicet & damnationis, retegat ac certo declaret: & efficiat hoc pacto uerax desiderium gratię in ipso, quo accenso ille sanetur. Nam prius nõ sanatur, quam suspiret ad gratiam: & peccati remissionem oret. Gratia autẽ gratis ipsi donat̃: quę nec posset recte uocari gratia, nisi gratuita esset. Quare Contritis sine omnibus meritis iusticiarũ suarũ contingit. Cur aũt necessaria sit Contritio, paulo ante dictũ est. Quoniã uero gratia per solã euangelij promissionẽ ad nos adfert̃, ideo fides a nobis ad illã adferri debet, qua uidelicet recipiatur. Neqꝫ em̃ aliter q̃ per fidem recipi potest: nec est gratiæ fides, nisi qua agnoscit homo, gratiam gratis sibi propter solum Christum dari.

Porro sine promissionis gratię fide, qua Contriti sanamur, in qꝫ spem remissionis peccati & uitę æternæ erigimur, accipientes in cordibus nostris pacem, nullę iusticię nostræ placere Deo, uel acceptæ esse coram illo possent: & nemo prorsus posset in studio melioris uitæ retineri. Nã primum, cũ omnis obedientia nostra sit imperfecta, nõ possumus Deo placere, nisi per fidem gratiæ operemur: Deinde, cũ homines ignari iusticiæ gratiæ, suas immundas iusticias intuent̃, cogunt̃ desperare. Pharisaice aũt iusti suo more superbiũt, & arrogãter de se & factis suis sentiunt, donec reuelato cõscientijs peccato iudicijs dei obruant̃. Nec potest esse uerax iusticię studiũ in alijs, q̃ qui euãgelio credũt: & spiritu Christi gubernantur. Ergo cũ credimus euangelio, & fide statuimus Deũ nobis propitiũ esse, propter Christũ, tunc incipimus ipsum glorificare, uolun

tati, monitis, & præceptis eius obedire. Quapropter æque uanũ est & friuolũ, quod ultra pharisaicæ cõtritionis conficta merita scholastici theologi multa prędicãt de dilectione, deq; operibus dilectionis, cũ promissionũ gratię, aut fidei promissionũ, nullã usq; faciãt mẽtionẽ: Imo neq; possint euangelij gratię meminisse. Quia remissionẽ peccati existimant pendere ex cõditione meritorũ & dignitatis nostrę: & nesciũt gratuitã esse. Hæc caussa est istis, quod ubi dicendum erat de honore Christi, ibi suo more de dignitate iusticiarum rationis contionentur.

Itaq; sciamus Christiani, neminẽ posse uere amare Deum, aut legem & proximũ propter Deũ, nisi primũ intelligat, quomodo peruenerit ad reconciliationẽ, adeptus peccati remissionẽ. Quapropter danda est opera, ut cognito peccato ex lege, ad euangeliũ gratiæ cõfugiamus: & discamus ex illo, Deũ gratis nostrũ misereri, & gratis remittere nostra peccata nobis propter Christum, quatenus credimus in eum. Nã tunc demũ spiritum diligendi Deum super oĩa, tum legẽ et proximum, propter Deũ, accipiemus. Nec intelligunt sophistæ se nõ prædicare dilectionẽ Dei, sed sui priuatum amorẽ, eo quod docent hominẽ sibi per iusticias legis mereri: cum gratiam, & peccati remissionem, tum æternam uitam.

Proinde contritã & territã lege conscientiã sanat Deus: & sanat quidẽ per euangelij promissionem, & consolationẽ illã, de remissione peccati gratuita per Christum: quã nos fide recipere oportet: q̃d cum fit, efficit simul a gratia, ut dilectio Dei in nobis inchoet: & inchoata crescat subinde & confirmetur. Similiter legis & proximi dilectio: quã sequitur uitæ nouitas, illa qua uoluntati Dei seruire, obsequi & gratificari studemus. Intelligentes nihil opus esse, ut nobis seruiamus: quibus uidelicet Christus seruiuit, & sua morte promeruit æternam saluationem.

In hunc modum, cum nobis sermo est, de fide iustificãte nos & saluãte, nõ de ociosa aliqua & uana mentis qualitate fabulamur: quo modo de habitu fidei nugãtur scholastici theologi in cõmento de fide formata. Sed loquimur de uera illa & saluifica noticia Dei patris & Iesu Christi, qua sola a peccato & morte liberamur, & conscientiæ pace accepta gloriæ & uoluntati dei seruimus. Quia impossibile est ueram fidẽ, non efficacẽ esse dilectione, non inchoare alios mores, aut nõ operari nouã uitã, filijs Dei dignã. Scholastici autẽ eandẽ fidẽ tribuunt, pijs pariter & impijs: nec discernunt pios ab impijs, nisi per solã dilectionẽ. Quod satis probat, eos non fidei in Christũ, sed dilectioni & iusticijs nostris, tribuere iustificationẽ: adpellatione autẽ fidei tm̃ illudere imperitis. Si eñ non iustificat fides nisi propter dilectionẽ, ergo dilectio magis iustificat. Isti aũt contẽdunt, nihil posse fidẽ, nisi merito dilectionis: quare nõ agnoscunt q; remissio peccati gratis contingat, ei q credit in Christum. Id q̃d præterea testantur nugatia commenta ipsorum, de utroq; merito, con-

grui uidelicet & cōdigni, sed quæ est audacia & temeritas, docere quod per opera dilectionis nostra iustificemur: cum sacræ literæ testentur, quod per fidem gratiæ & redemptoris Christi iustificemur: Vt Rom. iij. Iustificati gratis, per gratiā ipsius: per redemptionē quæ est in Christo Iesu. Isti ergo somniatores, quos dixi, nominant quidem fidem, quando dicunt, nos iustificari fide formata: sed reuera sentiūt ac docent, quod per opera dilectionis nostra iustificemur. Vt hac de re in superiore libro secundo huius cōmentarij copiosius scripsi: Non enī repertū est hoc commentū, de fide formata, ut discernat fidē ueram a ficta: sed ut gloriā Christi aboleat, ac transferat illam in iusticias rationis.

Quid multis: Scholastici & rem & phrasim scripturæ amiserūt, eo scilicet promouerunt illo dogmate de merito fidei formatæ. Quia iustificari, iusti & iusticiæ adpellationes, somniant ciuiliter esse accipienda: & significare nostras qualitates, motus, habitus, ac uirtutes nostras. Quæ spiritualiter & theologice accipi debent, de aliena beneficentia, alienis habitibus ac uirtutibus: nempe, de dono gratiæ & meritis iustificatoris Christi. Hæc enim per promissionis gratiæ, & nostræ fidei in illam efficiuntur nostra merita & nostræ uirtutes. Nam Iustificari, est reputari seu pronūciari iustum: id quod usitatius nunc dicitur, absolui a peccato. Hoc uero absolui fit per gratuitam condonationem omnium delictorum nostrorū nomine Christi, in quem credimus. Et hæc de iustificatione require copiose explicata Rom. iij. & iiij. Item ad Gal. ij. & iij.

Iustificari.

Longe igitur alia res est iustificatio, quam prædicant sophistæ. Neque enim pēdet ex dignitate nostrarum uirtutum: sed tota fit, per gratuitam remissionē peccati, & acceptationē nostri apud Deū, propter Christū. Vt iustum intelligas, non alium dici, aut esse coram Deo, nisi cui nullū peccatum imputatur: utique non alienum, sed suum & priuatum. Nam ipsi Domino & seruatori Christo Iesu, aliter imputata sunt aliena, hoc est, nostra uicia atque peccata. Quia Dominus uoluit eum esse precium pro peccato: & satisfacere sua morte pro omniū delictis. ij Cor. v. Eum, qui non nouerat peccatū: pro nobis peccatū fecit, ut nos efficeremur iusticia Dei in ipso.

Iustum.

Iam huic iusticiæ fidei, coniūcta est quidē donatio spiritus sancti: cuius uirtute efficitur, ut in nouitate uitæ ambulemus. Sed nemo propter istā nouitatem est iustus aut beatus corā Deo, cum adhuc sit imperfecta omnis obedientiæ nostræ iusticia. Beati tamen, qui ex fide recta operati sunt: aut indigna passi pro nomine Christi. Sicut docet Matth. v. Cū aūt de iusticia saluante agitur, non intelligamus iustū dici, præterquam eum cui sunt remissa peccata, propter Christū: nec ob aliud, quam per fidem, remissi peccati, nomine Christi. Qui factus est nobis a Deo sapiētia, & iusticia & sanctificatio & redemptio, ut qui gloriatur in Domino glorietur.

In

In summa, quoties de iusticia saluante dicendum est, oportet nude de beneficijs gratiæ agere: & nullo modo ad actiones uirtutum nostrarũ respicere, nisi de illis ut effectibus iusticię saluantis loquaris. Fide em̃ misericordię & propitiatoris Christi sumus iusti: non propter nostras uirtutes. Quanq̃ uerũ est, obedientiam operis nostri necessariam esse, & inchoationẽ quandam iusticiæ legis: sed illa habet aliũ finem, quã ut peccati remissionẽ ea quęramus. Dixi autem supra de illius fine. Nec est inutilis, ociosa aut uana logomachia in hoc iusticiæ fidei & operum nostrorũ discrimine: sed necessaria doctrina, qua sua laus Deo, gratiæ & redẽptori Christo asseritur. Item homini diuinũ nomẽ, operatio & effectus dei derogantur: ut qui nõ potest sibi mereri donum remissionis peccati & uitæ æternę. Hæc em̃ sunt a solo Christo: qui uenit saluum facere populũ suum a peccatis eorum.

Itaq; prodest ac necessarium est hoc discrimen iusticiæ fidei & operum nostrorum exacte tenere: quod in illo recte docemur, quorsum nos in operando oporteat spectare, ne nomen & gloriam Dei, ipsi nobis sacrilegi tribuamus. Nos enim peccatores sumus: & haud quaquam possumus per iusticias nostras beati, aut iusti, aut salui, coram Deo esse. Quapropter retinenda & urgenda est hæc doctrinæ ueritas: quia confessionem gratiæ Deo & liberatori Christo debemus. Debemus præterea reprobare impias opiniones de merito & dignitate iusticiarũ nostrarum, quia mergunt hominem in interitum æternæ condemnationis. Sunt em̃ a uicio incredulitatis: qua beneficia gratiæ negantur. Ideo Paulus huius impietatem, cum alias, tum in epistola ad Rom. & Gal. grauissime oppugnat. Sed & Christus cõtra hanc impietatem incredulitatis, quam dico, nomen glorię suę sibi asserit: imo uitã ęternam nobis. Nam obscurata & oppressa Christi gloria, necesse est, ut in peccato, morte & condemnatione permaneamus. Huc facit illud Ioan. x. Ego sum ostium, per me si quis introierit saluabit̃. Itẽ, xiiij. Ego sum uia: ueritas: & uita: nemo uenit ad patrem, nisi per me. Huiusmodi autẽ possunt colligi innumera testimonia, quibus de iusticia gratiæ docemur: ne ipsi per iusticias nostras frustra atq; impie saluationem nobis quæramus, sed per fidem gratiæ iusticias nostras præstemus.

Hæc dixi in loco, quo me accingo ad bonorum operum prædicationem: ad iusticiam obedientiæ nostræ erga legem. Docendi sunt enim pietatis Christianæ studiosi, qua animorum puritate ac fide debeant ad præcepti operis boni impletionẽ accedere: seq; pręparare ad cultum non impiũ & pharisaicum legis. Debẽt em̃ in operando, gratuito obsequio deo seruire & obsequi eius uolũtati: ita ut gratis uocati sunt & recepti in gratiã propter Christũ. Nã alioqui nunq̃ poterunt uoluntati Dei pure seruire. Qui enim peccati remissionem & uitã per merita & satisfactiões

operum suorum quęrunt, isti pręterquam quod iusticiam gratiae peruersissima impietate negant, etiam nephanda & abominabili idolatria sibi seruiunt: necꝫ quicquam minus agunt, quam quod seruiant Deo, cum tamē aliud nihil agere uideri uelint, quam se pure colere Deum, eiꝗ seruire: sed falluntur in semetipsis, & alios fallunt, quos secum trahunt in eundem opinionis errorem & impietatem. Sed haec & huiusmodi plura, de iusticia fidei et operū, suis quaeꝗ locis copiosius pertractabimus.

Iam deniꝗ uolēs exhibere bonorum operum doctrinam, illam hoc ordine quo in Decalogo praecepta est tradam: quin ipsum Decalogum discentibus proponam, ex quo & a Christo & ab Apostolis, atꝗ adeo ab omnibus prophetis colligitur illa operum, quę sunt necessaria in poenitentia iustorum, doctrina. Fons est enim Decalogus, & quasi methodus quidam, continens iusticiae nostri operis & nostrę obedientiae, quā Deo debemus, exactam descriptionem. Seruire enim Decalogum non tantum ad accusationem peccati, in carnalibus: uerum etiam ad doctrinam, quam exprimant renati, & in omni uita sua inuiolatam seruent, per se notum est. Quanquam uerum est, iusto non positam esse legem: sicut Paulus testatur. i Timoth. i. Item Hieremias. Cap. xxxi. Non docebit uir proximum suum. Tamen lege utitur ille, ut doctrina uoluntatis Dei: etiamsi ut exactore & oppressore conscientiarum illa torqueri nec debeat nec possit.

Methodus iusticiae operum nostrorum.

Proinde in doctrina poenitentiae, non prophetę solum, uerum etiam Christus & Apostoli, sępe redeunt nobiscum ad legem: ac docent ex illo uerbo, quid agere deceat & operari, quid fugere & uitare, eos qui per promissionis gratię fidem, uere sunt conuersi ad Deum. Ac docet quidem Deus omnes gratię filios, quorum omnes iusticię sunt motus spiritus sancti: sed retinet tamen ministerium uerbi sui in ecclesia, quo regit piorum animos, & mouet corda ipsorum, & efficit ut propositam in lege uoluntatem faciant. Quapropter utilis est & necessaria Decalogi cognitio, quia in illo docemur quę opera placeant Deo & quę requirat a nobis, ne decepti ad opera non praecepta, ad inania illa & ociosa mandatorum hominum, conuertamur.

Has ergo rationes & hęc exempla, in hoc tertio libro, qui erit de fructibus iustificatorum, ut dixi, sequar: & Decalogi enarrationem quandā scribam. Qua perspicuum fiat, ipsum quoꝗ Christum & Apostolos, in prędicatione bonorum operum, nihil quam interpretes legis agere: deinde, & obedientiae erga Decalogum nos adhuc debitores permanere. Etiamsi ille neꝗ accusare neꝗ damnare possit, eos qui uere in Christū Iesum credunt. Eatenus enim, non sumus sub lege: sed sub gratia. Faciā autem tres libri partes: & in prima, adiuuāte me gratia Dei, & spiritu Iesu Christi, scribam de pręcepto opere bono. In secunda autem, de boni

operis

operis impletione & quomodo inchoata obedientia placeat Deo, in illis qui Euangelio crediderunt. In tertio denicp adijciam adpendicem de sacramentis. Nam & sacramentorum usus pertinet ad fidei iustificatorum exercitationem, confirmationē & confessionem: quo & doctrina legis seruit. Tametsi nō legis, sed Euangelij adpendices sint sacramēta: quod quorsum dicam, suo loco aperiam. Quia uero etiam disputari solet, in bonorum operum pręcepta doctrina, quatenus sit lex abrogata, & quatenus maneat, ab hac quæstione sumam initiū, huius de operibus libri, quem institui. Quem utinam Christus Iesus suo spiritu in me, pro gloria nominis sui, & utilitate totius ecclesiæ, absoluat. AMEN.

ELENCHVS CAPITVM

primæ partis.

DE MOSAICAE LEGIS ABROGATIONE.

VArie disputari solet, de Mosaicę legis abrogatiōe: de qua mihi q̊cp ab huius libri initio nōnihil dicendū est, priusq̄ de pręcepto opere bono, ex lege plenius disserere pergam. Necesse est em̄ Christiano plane nosse, quę pars diuinarꝫ legū in Christiana doctrina debeat retineri: & quomodo ac quatenus sit necessaria in spirituali cultu, quē erga Deū pręstare iustificati debemus, uiuēdo modeste, sobrie, iuste & pie. Non em̄ sic abrogata est lex, quasi eius usus apud Christianos nullus possit esse: aut quasi legū doctrina sit per se inutilis & ociosa. Longe em̄ sanius de legibus & sentire et ꝓnūciare debemus: ac scire, plurimū utiles esse leges. In primis aūt, Decalogū habere multiplicē usum, quo Christiani penitus non queant carere. CAP. I.

Cum igitur de certitudine & firmitate dogmatum Christianorum, pronunciandum sit nobis, non nisi ex scriptis Euāgelistarum & Apostolorum, satis constat, tam ex prædicatione Christi, quam Apostolorum, quod in doctrina euangelica Christiana Decalogi mandata seruantur: neq; posse hęc omitti, quæ uidelicet pertinent ad pœnitentiæ doctrinam, qua de nouitate uitæ nostræ docemur. Accedit deinde & illa ratio seruandi ac retinendi Decalogi: quia continet doctrinam timoris, dilectionis, fiducię & spei in Deum: Item, dilectionis & pacis erga proximum. Deniq;, quia Decalogi præcepta, sunt scripta in natura: idcirco non possunt omitti aut aboleri.

Cærimonię autē & forenses Mosi leges sine periculo omitti possunt. Nec enim sunt amplius necessariæ obseruatu, post Christum glorificatum, ut Decalogi mandata: sed sunt liberę, uidelicet, res mediæ & licitę, his qui in Christum crediderunt. Ideo sine conscientiæ periculo possumus illis uti: quin etiam cum laude iusticię, & amplissimo merito in illa, si quis proximi infirmioris respectu illas seruarit, Ita ut factum legimus ab Apostolis, initio ecclesiæ nascentis. Et quanquam huiusmodi exempla nunc nulla sint in ecclesia: tamen similia sunt in obseruatione mandatorum hominum, rerum per se mediarum. Vt in esu carnium & abstinētia illarum: aut similium. Nam qui Mosaicas cærimonias somniant esse mortiferas & res uiciosas post Christum glorificatum, illi turpiter & fœde errant. Mortiferę sunt enim & perniciosæ tunc demum, quando finguntur esse necessariæ ad iustificationem: & creduntur meritum gratiæ & remissionis peccati habere. Neq; solum cærimonię: sed ipsæ quoq; Decalogi sacratissimæ præceptiones. In summa, quęcunq; operū leges: a quibuscunq; traditæ sunt, aut tradi possunt. Sicut testatur illud Pauli: Gal. v. Nihil uobis cum Christo est, qui in lege iustificamini: a gratia excidistis.

Quid in legibus mortiferum.

Retineri tamen in doctrina, et obseruari in omni uita Christianorum Decalogi mandata debent: quia, ut docui, continent iusticiæ spiritus doctrinam, pertinentq; ad pœnitentiæ prædicationem. At cęrimoniarum & forensium legum, de Mosaicis loquor, alia ratio est. Quia illæ legis partes seruierunt ad constituendam & conseruandam Israelitarum politian: Item, ad conseruandam in illo populo promissionum de Christo fidem. Ideo nihil opus fuit, durare eas legis partes, ultra tempus exhibiti & reuelati in orbe Christi. Sicut nec pertinuerunt unquam ad alias Gentes: quæ nunc regnante Christo multo minus grauari illis possunt. Sed Decalogi mandata talia sunt, ut eius præcepta opera necessario semper ab omnibus præstentur: sicut etiam illorū omnes semper debitores fuerunt. Hinc enim & in oīm naturam sunt scripta a Deo: ideo omnes obligant. Nec est onus, obedientiæ operum Decalogi debitorem esse:

sed

sed exactio debiti iustificationis per decalogum, conditio illa impossibi- lis accipiendę uitæ per præceptam Decalogi iusticiam, & ira legis ac maledictio quæ consequitur imperfectam obedientiæ nostræ iusticiam, essent importabilia onera: quæ uidelicet sunt abrogata per gratiam, non tamen nisi in illis qui per euangelium in Christum Iesum credunt. Itaq; doctrina timoris & dilectionis manet ac retinetur: qua etiam cum summa uoluptate seruiunt Deo illi qui per euangelium in gratiam & Christum Iesum crediderunt. Quid propriè abrogatum in lege.

Est præterea alius usus Decalogi, qui facit necessaria eius mandata, in prędicatione & doctrina Christiana. Opus est enim iustificandis doctrina, quę faciat ad certam ostensionem & accusationem peccati eorum: Itẽ ad demonstrationem irę & iudiciorum Dei aduersus peccatores. Cum alioqui humiliari non possent, neq; credere euangelio, aut saluari. Seruire autem Decalogum ad hanc necessariam humiliationem nostri, multæ Pauli sententię testantur: ueluti illa, Rom. iij. Per legem agnitio peccati. Item illa Rom. vij. Peccatum non cognoui, nisi per legem. Concupiscentiam enim nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces. Et reliqua eius loci, in quo perfectissime docet, per legem non arceri, non prohiberi proprie peccatum, seu aboleri perfecte: sed ostendi solum & accusari, simulq; illa declarari, hominem esse reum uicio domestici et agnati morbi æternę irę & condemnationis. Punit enim Deus uiolationem Decalogi ęterna morte: in his qui nõ credũt euangelio, & nõ agunt pœnitẽtiã.

Est & legis quidam politicus usus, qui etiamsi ad iusticiam spiritus per se nihil faciat, tamen est necessarius in hac uita: uel propter conseruationem pacis & tranquillitatis, horũ temporũ & huius corporalis uitæ.

In summa, oportet Decalogi triplicem usum cõcipere: & de illo toto religiose sentire & pronunciare. In carnalibus enim seruit omnium primo ad disciplinam bonorum morum: seu ad politicam iusticiam apud homines. Iuxta illud Pauli, 1 Timoth. 1. lex est iniustis posita. Item Ro. xiij. Principes nõ sunt terrori bene agentibus, sed male. Nam Ministri legum sunt principes & Magistratus: in hoc ordinati a Deo, ut morum externorum honestas illa in legibus præcepta, aliquo modo seruetur ac propagetur. Quamquam enim illa nemo iustificetur coram Deo, tamẽ hoc commoditatis habet, quod ambulantes in ea sunt minus mali: & quod illo modo eruditi in lege, & assuefacti ad eius disciplinam, melius erudiri de Christo possunt, quam qui barbarice, bestialiter & sine cognitione legum uiuunt. Gal. iij. Lex pędagogus noster fuit in Christũ: ut ex fide iustificemur.

Illa autem ratio, qua lex seruit ad ostensionem nostri peccati & iræ Dei, est theologica & spiritualis: & longe potior priore. Nec enim sine ea quisquam conteri in corde, aut humiliari coram Deo posset: adeoq;

nec credere promissionibus euangelij, & per consequens nec saluus fieri. Denique in tertio usu seruit lex iustificatis, ut doctrina uoluntatis Dei & bonorum operum: quę Deus requirit, ut qui iustificati sunt fidem exerceant & confirment, adeoque crescant in illa, Deū glorificantes. Non em̄ potest retineri fides, ab his qui carnaliter uiuunt. Primus usus est ciuilis: posteriores duo sunt theologici & spirituales. Habet autē quilibet suam cōmoditatem, tam necessariam & urgentē, ut uel politicum usum preter mittentes pernitiosissime consulant sibi. Nulli em̄ qui flagitiose uiuunt: & sine poenitentia manent, possunt saluari.

Quod uero ad cęrimonias & forenses Mosi leges attinet, illę ut dictū est finem suum habuerunt, tempore quo exhibitus est & reuelatus in orbe Christus. Expectari em̄ ac nasci debuit, iuxta promissiones Dei, in iudaico populo Christus: æternus Rex & pontifex, omnium qui in ipsum credunt. Qui postquā uenit, & glorificatus est regno æterno in cœlis, sacerdotio perfunctus in terris, & nunc aduocatum nostrum agit in cœlis, non fuit opus, ultra hanc gloriam Christi, conseruatione externę istius politię, quę tradita est a Mose: aut cultuū externorum, quales in cærimonijs fuerunt, umbratilibus figuris rerum & corporis Christi. Viuēte ergo & regnante Christo Iesu, luce oīm, uia, ueritate & æterna uita, cęrimoniæ legis penitus desierunt: ut de cærimoniarum abrogatione in epistola ad Hebr. elegantissime disseritur. Nec aliter iudicari de corporali Israelis regno debet: quod uidelicet durare non debuit, ultra manifestationē ęterni ac spiritualis regni, & glorię Christi. Non em̄ sine periculo duraret illa corporalis politia, a Mose instituta. Quia credi posset, nōdum exhibitum esse Christum illa adhuc integre durante. Quapropter profuit aboleri & euerti illam politiam: & oportuit significationē certam dari, illa euersione status regni Israelitici, Christum iamdudum exhibitū esse. Lege, Gen. xlix. Nunc igitur regnans Christus dominatur & imperat spirituali potētia & diuina omibus populis: quos etiam spiritu sancto gubernat, regit, fouet, defendit ac tuetur aduersus oīm creaturarum iniurias & aduersantia mala.

De libertate in usu mediorum.

Iam igitur Christiani libere utimur politicis cōstitutionibus oīm gentium. Nihil em̄ faciunt per se ad iusticiam spiritus: nec impediunt eam. Sicut nec quędam ecclesiasticę pontificū ordinationes, de certis ritibus ac cęrimonijs. Ideo tolerari possunt, quin etiam sunt utiles: si tamen liberę relinquantur, & pro rebus medijs in ecclesia habeantur. Hoc est, si permittamur illis uti, sine opinione necessitatis, uel iusticiæ, aut cultus: sic ut nec peccatum dicantur habere omissę, nec meritum iusticię obseruatę. Sed pro corporalibus exercitijs habeantur: utilibus, si rudioribus seruiant, nondū perfecte institutis fide in Christū. Maxime, si seruiant ordini in ecclesia ac sint honori uerbo Dei. Quamq̄ hos ritus hypocritę habeāt pro summo

mo iusticię cultu: quorum pharisaicam uanitatem, quia detrahit gratię & honori Christi, necesse habemus omnibus uotis detestari. Nihil enim ferendum est, quod Christi gloriam obscurat: & alios trahit in perditionis errorem. Fide autem in Christū pure obseruata, etiam quascūq; Mosaicarum constitutionum leges possemus retinere & obseruare: quemadmodum aliarum Gentium ordinationibus & constitutionibus, tam politicis, quam cęrimonialibus, utimur sine fidei iactura & sine conscientiarum periculo. Nisi utamur illis, nō ut medijs rebus: sed tanq̄ necessarijs & immutabilibus. Tunc eñ leges sunt uiciosę: nēpe, cum dicuntur meritum iusticiæ habere obseruatæ, aut peccatum aggrauans conscientiam transgressę. Gratis eñ, sola per Christum fide iustificamur: nec potest conscientias grauare, q̄ transgressio mandatorꝝ Dei. Vt Decalogi trāsio. Nec eñ aliæ mandatorꝝ Dei leges, præterq̄ decalogi, & quæ sub illis continent̄ inclusę, durant: Ideo nec obligare cōscientias aliæ possunt.

Furem suspendunt Magistratus, nulla necessaria lege: si de legibus aggrauantibus conscientias loquaris. Posset igit̄ pœna illa in aliam mitiorem cōmutari: nempe, pro Magistratus arbitrio & uolūtate, sine peccato. Ita receptas cærimonias potestatē habet ecclesia mutare uel omittere, pro ut commodum est. Nec peccat, si quando mutat, uel omittit: si tamen iudicio faciat, ac citra scandalum, uel ordinis turbationem in ecclesia. Peccaret autem, si hominum cōstitutiones pro inuiolabilibus legibus haberet: multo magis, si retinendas pronunciaret, quæ aliquid incōmoditatis haberent. Sicut constitutio illa de pharisaico cælibatu sacerdotum, quā hoc tempore Papistę mordicus retinent, ac iubent retinere, cū sit crudelis, tyrannica, inaudita, plusq̄ barbarica & per se impia, non potest sine peccato obseruari: ideo debet aboleri. Et cunctantibus eam episcopis abolere, quilibet boni contēnere eam debent, & libertatē coniugiorum, quā Deus ordinauit, reuocare & illa uti. Sic de quibuslibet alijs constitutionibus pronunciandū est, quę sine peccato seruari nō possunt, siue, quæ humana temeritate dicunt̄ meritorij & necessarij cultus esse, & immutabiles. Sicut professio monachatus, satisfactiones pro peccato ab hominibus pręceptę: Et huiusmodi infinita portenta malorꝝ, quę libido quorundam hypocritarum in ecclesiam inuexit.

Nā isti pharisaici fines operum & cultuum, qui dicunt̄ per se honori esse Deo, & ex opere operato mereri peccati remissionē, & ualere ad impetrationē æternę uitæ, corrūpunt uerꝝ usum cærimoniarꝝ & omnium legum: & sunt pernitiosi, quia detrachūt gratiæ & honori Christi, & fidē extinguūt. Quo etiā nomine sunt dęmoniorꝝ doctrinę: ut cū opinio necessitatis & iusticię illis accedit. In summa, alunt insignē cōteptū dei, gratiæ, bñficiorū Christi, cōtumeliosi in uerā pietatē & Christianismū. Quapropter nō sunt ferēdi, in q̄buscunq; legibus doceant̄. Nō eñ ne de

calogi quidē precepta opera, prestita a nobis, sic sunt meritoria: multo mi nus hominum constitutiones.

Peccatum est, si cū scandalo & offensione infirmorꝫ, aut cū perturbatione ordinis & pacis in ecclesia, utiles ac pię cęrimoniæ uiolenť: sed impias cęrimonias, & impias cōstitutiones etiā uirtus est contēnere & abijcere. Hęc nō fuerunt pretereūda hoc loco, uidelicet in doctrina de operibus per se necessarijs: Itē de libertate & usu in medijs, ne pro necessarijs habeanť, quorꝫ usus est licitus: ut ne dicā, ne ingenerēt homini stultā opinionē sanctitatis, quę per se sunt pctā, opera & facta uiciosa. Nō eīm pro necessarijs & inuiolabilibus legibus haberi in ecclesia debent, nisi pcepta & cōstitutiones Dei, ac nominatim Decalogi pcepta: ut quę nō possunt omitti sine peccato. Quamq̄ aūt uiolata dānent hominē, tn̄ seruata ac prestita, non possunt haberi pro perfectione iusticię, eo q legibus Decalogi nemo potest satisfacere. Iusticia essent, si exactionibus Decalogi omni ex parte a nobis satisfieret: Sed nūc seorsim de usu mandatorꝫ Decalogi dicā: & de libertate, quę est nobis a Christo in illius mandatis.

Vsus & necessitas praeceptorum Decalogi.

Oportet igitur Decalogi mandata longe ab omnibus alijs legibus discernere: ut quorꝫ usus & necessarius est, & noxia transgressio, a quibuscūqꝫ & quandocunqꝫ fiat. Nā quia ad pœnitentiā iustorꝫ pertinēt, ideo uiolata arguunt contemptū Dei inesse transgressoribus: quemadmodū signa sunt & testimonia ueri timoris & fidei in Deū in illis a quibus obseruanť. Sunt ergo multę graues caussę, cur omitti non possint, nec mutari. Primū, quia pars sunt iusticię spiritus: uidelicet, fructus spiritus, seu effectus iusticiæ, in illis qui per euangeliū in Christū Iesum credunt. Id circo & ualidissima exercitia fidei prębent talibus: & fidē ipsam augēt atqꝫ cōfirmant. Sicut labefactať fides & euertiť in illis qui carnaliter cōtra Decalogi pcepta uiuunt. Sunt etiā inscripta, in corda credentiū, p spiritum sanctum, Decalogi pręcepta. Iuxta illud Hiere. prophetę cap. xxxi. Dabo legē meam in uiscera eorꝫ. Sed & cōsentiunt cū lege naturę, quæ est immutabilis & perpetua uoluntas Dei. Hæc igitur omnia arguunt, Decalogi mandata omitti non posse

Deniqꝫ prohibet summa carnis uicia Decalogus: quę qui admittūt, non possunt fieri hæredes regni Dei & Christi. Sicut docetur, Gal. v. i. Cor. vi. Eph. v. &c. Et Ro. viij. dicitur: debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, uiuetis. Item i. Timothe. i. Finis præcepti est charitas, (hæc uero totum Decalogum complectitur.) ex corde puro, conscientia bona & fide non ficta. Si ergo mortificandæ carnis debitores sumus & seruandæ dilectionis, planum est ac firmum, quod qui uiolant & transgrediuntur temerario Decalogi mandata, illi nec puro corde in Deum, nec conscientia bona uiuunt: quales

impossibile

impossibile est, uera in Deum fide præditos esse. Longe uero impossibilius saluari posse: nisi ad Deum, fide non ficta, & debita pœnitentiã conuertantur.

Est igitur alia Decalogi abrogati ratio, quam aut cerimoniarum, aut forensium legum Mosaicarum: ut quæ sunt Israelitis solummodo traditę, usque ad tempus reuelationis & glorificationis Iesu Christi, sicut paulo ante docui. Nulla enim nunc necessitas est illarum legum: quin etiã bonum est & utile penitus abolitas esse. Quẽadmodum prodest Iudæorũ politiam prorsus destructam esse: ne si duraret, ambiguũ faceret Christianis, num Christus exhibitus esset. Quia nisi exhibitus esset, impossibile fuisset regnum Iudeorum in totum solui & aboleri: sicut iam factum esse uidemus supra mille & quingentos annos. Docui tamen supra, qua libertate integrum sit & licitum Christianis, aliquid ex Mosaicis constitutionibus, cerimoniarum & forensium legũ, sibi usurpare. Nec enim uiciosum est in illis, nisi opinio necessitatis, & iustificationis quærendę ex legibus. Ac docet in Act. cap. xv. Lucas, autoritate Apostolorum, quasdam Mosaicas cærimonias, nimirum scandali uitandi caussa, per liberam dilectionem, seruandas in ecclesia, institutum fuisse: quas omnes obseruationes, ætas postea & tempora in fide confirmatorum, aboleuit. Sed ut laude pietatis non caruit, aliquas cærimonias cũ infirmis seruare, & non protinus abolere omnes: ita necesse fuit, profitendę puritatis fidei caussa apud aduersarios euangelij, eos qui crediderunt pertinacibus hypocritis in nullo cedere. Vtraque ratio obseruari a nobis debet, in obseruatiõibus mediorum: ne quos ex infirmis alienemus a fide, aut ne fides iniuria hypocritarum pereat & succumbat.

Decalogus uero sic tantum abrogatus est, ne ius habeat exigendi debitum iustificationis, per præceptam perfecti operis iusticiam seu obedientiam. Nam cum hanc eius exactionem nobis præstare sit impossibile, illa conditione quam proponit facit nobis impossibilem saluationem: ac cõijcit nos sub æternę iræ maledictionem. Hæc ergo onera, & aduersantia cum summo periculo mala, sunt in Decalogi mandatis abrogata. Est ergo conscientiæ libertas in hac Decalogi abrogatione: in qua ipse usus mandatorum & obedientia manet: dissimilis libertati, in cærimonijs & forensibus Mosi legibus: quarum opera sine conscientiæ periculo omitti possunt, Decalogi uero nunquam. Et hęc Decalogi abrogati ratio, sic traditur a Paulo: Rom. vi. Non estis sub lege, sed sub gratia. Hoc est enim perinde, quasi dicas: non estis sub ira condemnante, quia reconciliati & recepti in gratiam. Item, Roma. x. Finis legis Christus est, ad iusticiam omni credẽti. Et Gal. iij. Christus redemit nos de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.

Abrogati Decalogi ratio.

Hæc abrogatio legis, id est, irę mandatorum Decalogi & maledictio

num eius, facit ut etiãsi exactionibus Decalogi satisfacere nequeamus, tamen condemnari non possimus, propter Christum, in quo per fidem gratię sumus & ipse in nobis, inclusus in corda nostra. Totus enim, quãtus est, noster est, quatenus credimus in eum: ut ab ipso met Decalogo iudicari nequeamus, & iam facti simus irreprehensibiles & inaccusabiles coram Deo, modo in fide permaneamus. Rom. viij. Nulla nunc dãnatio est, his, qui sunt in Christo Iesu, &c. Col. ij. Et uos cum mortui essetis in delictis & præputio carnis uestræ, conuiuificauit cum illo donans uobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat chirographũ, decretis constans, quod erat contrarium nobis: & sustulit illud e medio affigens cruci.

Hæc ergo, nisi de mandatis Decalogi, intelligi non possunt: nec significant, q̃ iram & maledictionem in peccatores abolitas esse. Nec promiscue tamen omnibus libertatem gratiæ promittunt: sed illis qui in Christum Iesum credunt, & nouitati uitæ student. Gal. v. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Damnat em̃ & accusat lex, eos qui carnaliter & flagitiose uiuunt: sicut præmemorato loco clare & copiose docetur. Multo magis obnoxij sunt iræ & rei maledictionum æternarum, qui non credunt in Christum: seu palam impij & repugnantes fidei, ut Iudęi & Mahometistæ: seu qui fingunt se credere in Christum, & salutionem tamen ex operibus legis quęrunt, aut sensu peccati sui desperãt. Siue qui aliter sine pœnitentia & conuersione ad Deum uiuunt: ut multi hypocritę & uani homines, titulo tenus Christiani.

Non ergo abrogatus est Decalogus, quod ad obedientiam & usum. Nam usus & obedientia manent. Sed quo ad iram & maledictionem: quæ mala tamen adobruunt ac perdunt omnes eos qui non credunt in Christum Iesum. Est etiam ita abrogatus Decalogus, ne qui iustificationem, seu remissionem peccati & salutem, per illius præcepta opera sibi necessario quærant. Proposita est enim, in euangelio, noua iustificandi ratio ac uia: uidelicet, promissio gratiæ, de remissione peccati & uita æterna per Christum. Sicut docemur, Rom. iij. Nunc autem sine lege, iusticia Dei manifestata est, testificata a lege & prophetis: iusticia autem Dei, per fidem Iesu Christi, in omnes & super omnes qui credunt in eum. &c. Sic ergo aboletur conditio illa impossibilis, proposita alioqui in lege: ut, qui fecerit hęc uiuet in eis. Vtitur em̃ in Euangelio Deus alia noua, id est, gratiæ, conditione: quæ sic loquitur, ut est Mar. ult. Prędicate euangelium omni creaturæ: Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit: qui uero non crediderit, cõdemnabitur. Item Ioan. iij. Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat uitam æternam. Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum: sed ut saluetur

mundus

mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est. Quia non credidit in nomine unigeniti filij Dei.

In summa, Decalogus manet ac retinetur apud Christianos, ut doctrina uoluntatis Dei: utque regula bonorum operum, qua iustificati utantur, in dijudicandis operibus, quae placeant Deo: ne mirentur ac sequantur alia, quae Deus non requirit. Sed ut exactio, ut tortor & onus conscientiarum est abrogatus. Solis tamen, qui in Christum Iesum credunt, donata est haec gratiae libertas: & facta Decalogi abrogatio, id est, irae & maledictionū Decalogi. Incredulos enim suo iure perpetuo iudicat & damnat.

SEQVITVR ENARRATIO DECALOGI, IN QVA PRIMVM *de autoritate & partibus legis: item de cognitione Dei, & uero eius cultu.*

TRaditurus itaque Decalogū Moses, id est, eam legis partē, quę cōtinet doctrinam poenitentiae & iusticię spiritus, (nempe, ueri timoris, fiducię, dilectionis & spei in Deum: Item auersionis a peccato, quod natura est tale, & dilectionis proximo pręstandę.) cuius omnes sumus debitores, initio quaedam pręmittit, ad muniendam doctrinae legis autoritatem: & locutus est, inquiens, Dominus cunctos sermones hos, &c. **CAP. II.** Non enim ignorari uerbi Dei autoritas debet: qua uidelicet conscientiae nostrę obligantur, obnoxię Deo. Proinde autoritas Decalogi est diuina: nec alia posset conscientias nostras obligare. Et pręceptū Dei ita oportet definere, ut statuamus dānabile pctm̄ esse, ei nō obedire. Peccatū est em̄ Deo rebellē esse, & nō obedire monitis eius, qcquid ille pceperit: & trāsgressiores condēnat ęterna morte. Loqtur aūt nō minus hoc tēpore nobis Deus p Decalogi pcepta, ministerio Christi & Apostolorum, quod ex euāgelij historia & scriptis Apostolorum satis liquet: quā olim locutus est Iudaico populo, ministerio Mosi & prophetarum **Autoritas Decalogi.**

Pręcipit aūt agnitionē sui, ut breuiter dicā, in Decalogo: & requirit obedientiā erga suā uoluntatē. Porro loquenti Mosi, cuius ministerio primū lex est promulgata, autoritatē cōciliauit, pdigijs & signis miraculosis. Nec em̄ potuisset alioq lex, ut missa a deo, recipi ab hoibus: nec agnosci, nisi in certis opinionibus uolūtas Dei. Quę etiā caussa effecit, ut in uniuersa sacra scriptura nihil traditū sit nō cōmendatū nobis & cōprobatum hac ratione. Oportuit em̄ homines certissime cōfirmari, de uoluntate Dei. Quapptet nec euāgelij pdicatio facta est initio, sine pdigijs & operatiōibus miraculosis: attestātibus, uerbū ipsum a Deo missum esse, tum requirere Deum, ut in uniuerso orbe euangelio ab omnibus crederetur. Denique ut promissionis gratiae fide sese conuerterent omnes Gētes, & poenitentiam agerent.

In rebus enim, quæ attinent agnitionem Dei & uerum eius cultum, item quę cõſcientias noſtras accuſant, peccatũ reprehendunt, ſiue ab illo nos abſoluunt coram Deo, denicꝫ iuſticiam in quam Deus reſpiciat, definiunt, & uiam ęternę uitę monſtrant, non debet necꝫ poteſt ualere, pręterq̃ iudicium, autoritas, ſententia & uoluntas, unius, ueri, æterni, omnipotentis & infallibilis Dei & domini omnium rerum: minimecꝫ decipientis nos quibus loquitur, ſed ueraciſſime & fideliſſime conſulentis nobis, & pacta erga nos ſua ac promiſſiones ſeruantis. Quid enim iudiciũ & ſententia hominis, his in rebus poſſet? Nihil ſane q̃ errores & impietates ſeminare: & abducere fideles a uia iuſticiæ, ueritatis & æternę uitę. Adeo em̃ ignarus eſt homo ſpiritualium & diuinarum rerum, ut illas etiam pro ſtulticia habeat & uanitate. Ac docent nos exempla ſuperioris ſeculi, quò hypocriſeos & perditionis per hoĩm doctrinas abducamur. Quare omnibus modis cauendũ eſt, ne qs in eccleſia Dei, de rebus quas dixi, autoritate humana & ſine uerbo Dei loqui & cõſtituere pręſumat.

Nam & Chriſtus ipſe uideri noluit, de rebus fidei & æternę ſalutis, alia quam diuina autoritate & uerbum Dei loqui. Ideo ſuum uerbum, dicebat eſſe patris uerbum: a quo miſſus erat in hunc mundum. Sic em̃ legimus Ioan. vij. inter alia eius dicta: mea doctrina non eſt mea, ſed eius qui me miſit. Idem præterea allegat non infrequenter, ſigna illa & miracula, quę ſolitus fuit edere, in teſtimonium ueritatis doctrinę: ne qui ambigerent, ſe alia diſcere & accipere in doctrina ab ipſo, quam quæ erant a Deo. Vt Ioan. v. Ipſa opera, quę ego facio, teſtimonium perhibent de me, quod pater miſerit me. Et cap. x. Si mihi non uultis credere, operibus credite. Quæ igitur audacia eſt & temeritas, loquentium ſine uerbo Dei in eccleſia, de rebus conſcienciarum, de iuſticia coram Deo & æterna uita? Imo pugnãtia loquentium, & opprimentia gloriam uerbi Dei? Hoc enim pontifices & doctores horum infœlicium temporum fecerũt ac faciunt ſæpe.

Sed pergam in his quę cœpi. Chriſtus autoritatẽ uerorũ Apoſtolorum quos miſit, & qui aliud non erant prędicaturi quã mandata Dei, & euangeliũ, uerbum uitę; nobis commendans ait: Qui uos audit, me audit. Et qui uos ſpernit, me ſpernit: qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Luc. x. Nam alioqui certe, ne quis hanc ſententiam corrumpat, & uiolenter trahat ad laudẽ traditionum humanarum, quiſquis aliena a uerbo Dei audit atcꝫ diſcit in eccleſia, is Chriſtũ minime audit: ſed ſpiritus impoſtores & miniſtros Diaboli. Nec ſpernit Chriſtũ ac Deũ patrẽ, quiſquis impias hoĩm doctrinas, q̃bus gratiæ & glorię euãgelij derogatur, repudiat, contemnit & abijcit: ſed neceſſario honore & cultu glorificat. Fruſtra igit̃ hoc Chriſti dicto, Qui uos audit, me audit. &c. quidam Pontificij ſibi blandiuntur, & ſuis impijs doctrinis, ac ſtul-

tis legibus, patrocinium quærunt. Nam & mandatū Christi præterea habemus, quod iubet ut caueamus nobis a pseudoprophetis, & perniti osis eorum doctrinis. Quales necesse est esse, qui nobis hominū doctri nas prædicāt, pro uerbo Dei. Nam puritas & simplicitas uerbi Dei illo pernitioso additamento corrumpitur.

Paulus quoq;, qui autoritatem Apostolatus sui accepit immediate a Christo, ad Rom.xv. scribit: Non ausim loqui quicq̃ eorū, quę non effe cit per me Christus. Et Petrus pręcipit, ut in ea ratione docēdi, quę præ scripta est a Deo, permaneamus. i Pet.iiij. Si quis loquitur, loquatur ut sermones Dei. Ac uetat scriptura, ne homines præsumant sua commen ta, uerbo Dei adponere: ut Deu.xij. Quod pręcipio uobis, hoc seruate, ut facias. Nec addas quicq̃, nec minuas. Item Prouer.xxx. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est. Nec addas quicq̃ uerbis illius: & arguaris, inue niarisq; mendax. Hæc omnia scripta sunt, ut studium puritatis uerbi Dei nobis cōmendent: atq; ut uelimus cauere nobis ab hominum doctrinis, uidelicet, ociosis, uanis, inutilibus, impijs & pernitiosis.

Quid multis? Diligentia & cura cognoscendi dogmata, & retinendi uerbum dei pure, tam est necessaria, ut posthabita & neglecta illa non obscura significatione testet͂, etiā Dei præceptum in negligētibus & de sertoribus regnare: nedū non sit pernitiosum, & dānabile homini & ec clesijs illam postponere & negligere. Quod utinam serio cogitarent & expenderēt principes & magistratus: & q̄bus cōscientiarū regendarū cu ra, cū salutis doctrina, demādata est, episcopi & doctores. Nā certe libe rarēt ecclesias ab hoīm doctrinis: & pernitiosas eorū leges abolerēt, quæ nunc fere primas in ecclesia tenēt. Tum ferueret etiam minus odiorum, rixarum & contentionum passim in ecclesia: digladiantibus alijs pro stul tis & fatuis legibus, alijsq; pro gloria uerbi dei illis resistētibus, quibus non licet tacere. Neq; enim facile dici potest, quam sint pernitiosę homi num doctrinę in ecclesia: de illis mihi sermo est, quibus par cum uerbo dei autoritas tribuitur: & quæ finguntur necessariæ esse, ac seruatæ Deo honori, & cultum illi exhibere, homini autem gratiam & salutem mere ri. Sicut hoc tempore postulant, de doctrinis hoīm, id est, de hypocrisi & uanitate, credi. Quare cum in solo dei uerbo posita sit iusticia & sa lus & uita nostra, caueri debēt & abijci hominum doctrinę: illę q̄bus grā tia & gloria uerbi dei obscurat͂ & opprimitur. Nec prius sarciri pax in ec clesia, aut coire partium concordia potest.

Verum hæc de legis & uerbi dei autoritate, in genere dicta, iā suffici ant. Dicam nunc de partibus legis: quæ sunt duæ principales. Nam & Christi testimonio, dilectione Dei & proximi, tota comprehenditur, & cōsummatur. Itaque tria prima, omnium consensu, et recto iudicio, re feruntur ad dilectionem, Deo proprie debitam: reliqua septē ad dilectio *De partibus Decalogi.*

nē proximi. Quam tamen illi, respectu Dei & uoluntatis eius potius debemus, q̄ proximi. Ex quo liquet, cur & ingratis, importunis, iniquis, & inimicis atq; aduersarijs nostris, dilectionem debeamus.

Continet itaq; pars prior pręcepta de cultu quem Deo proprie debemus: pars uero secunda praecipit de dilectionis obsequijs erga homines Sed quia horum obediētia referri debet ad uoluntatē Dei, pręcipientis eā, ideo & ipsa in cultu, quo Deus a nobis honoratur, haberi debet. Iam in parte prima, pręcipitur initio de iusticia cordis: deinde de iusticia oris, & postremū, de iusticia operis & factorum, siue potius, de iusticia quietis & cessationis ab opere corporali: sed ut alij sanctiori rei, studio uerbi Dei uidelicet, & obedientiae illius, dediti uacemus. Porro in altera parte, initio praecipit̄ de honore, obediētia & obsequio, ad homines: quae uidelicet parētibus debemus, atq; illis oībus, q in uicem parētum succedunt. Mox in genere praecipit̄ quattuor sequentibus, de offensa in proximum cauēda: quae est in tribus, s. in opere, ore & corde. Opere autē dupliciter lędit̄ proximus, aut em̄ in corpore, p homicidium: aut in rebus priuatis, ut cum adulterio illi polluitur cōiunx, uel facultatibus spoliat̄, furto & rapina. Ore autē offendit̄ proximus, mendacijs, calumnijs, proditione, & similibus. Deniq; & ipso corde, per concupiscentiam, inuidentiam & similes morbos.

Haec partitio perspicue & utiliter docet. Et affert p̄terea alias cōmoditates: qa reuerentiā legum prioris tabulae auget. Sic em̄ existimādū est, in doctrina legis, reuerētiae & honori erga Deū, dari primas & digniores partes: ut ipsa quoq; mādata prioris tabulae discamus in tantū excellere & p̄stare dignitate & necessitate praecepta posterioris, quantū Deus ipse excellit ac superat incōparabiliter res omnes oīm creaturarum. Quapropter & grauius peccant qui in praecepta prioris tabulae delinquunt, quam qui in ea quae sunt posterioris. Tametsi mortaliter peccent, qui uel minimum praeceptum Decalogi uiolant: etiam sola concupiscentia, & nulla externa trāsgressione. Sed quot sunt obsecro quos ea peccati conscientia tenet, si per incredulitatem, dubitationem, diffidentiam & desperationem, in praecepta prioris tabulae delinquant: aut per aliam primorumr pęceptorum transgressionem? Sane multi hypocritae, ne quidem pro peccatis agnoscunt illa uicia, quae dixi: & quibus peccatur in primā tabulam quod in explicatione praeceptorum magis discemus. Nam uicia cordis praesertim extenuant: quae sunt grauissima coram Deo, & caussa omnium transgressionum, quae hominem condemnant. Sed ista caecitas & ignorantia diuinorum est istorum propria, qui in suas carnales iusticias confidunt: & transferunt in eas summam pietatis, denique meritum gratiae salutis. Ideo hac poena percutiuntur a Deo, ne uerum uideant

deant, intelligant, cõuertant̃ & salui fiant. Quapropter de hac crassa impietate homines diligenter doceri debent: ne per ignorantiam peccati, quod grauissimũ est in oĩm natura, in pharisaicum tumorẽ & arrogantiam, propter externa quædam & paucula opera posterioris tabulę, sese erigant: & pœna cęcitatis, & priuati timoris Dei, in semetipsis, percutiant: ac contumeliosi in Deum permaneant, ut iudicentur.

Proinde, ab agnitione sui ordit̃ in lege Dominus: ac docet se requirere aliquem sui cultum. Item, punire inobedientes & rebelles: & benefacere obedientibus, a quibus per timorem & dilectionẽ glorificat̃. Nam in Decalogi promulgatione, usus est hac pręcipua comminatione & ꝓmissione: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes: uisitãs iniquitatem patrũ in filijs, in tertiam & quartam generationẽ, eorũ qui oderunt me: & faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiũt pręcepta mea. Hęc eñ testant̃, esse Deum: & requirere, ut aliquo suo uerbo, ac signis & testimonijs suæ bonitatis a nobis adprehendat̃: deniq; & cultum aliquem sui requirere, certum & Deo dignum, quo uult honorari. Vult enim credi, timeri, diligi & tota fiducia cordis adorari: quod uidelicet sit, qui puniat improbos, & bonis bñfaciat, adiutor & auxiliator pręsentissimus in oportunitatibus & tribulatione. Sed sic coli a nemine posset, nisi antea perfectissime agnitus. Quapropter ad obedientiam legis accedere, etiã stultum est, nisi prior agnitio dei ad illam adferatur, uel potius ex illa accipiatur: aut alijs uerbis, ac testimonijs Dei, tum suæ erga nos gratiæ & bonitatis. *De cognitiõe dei, & adoratione seu cultu, qui illam sequitur.*

Itaq; primũ est in lege, quod Dominus pręcipit de agnitione sui: ꝙ sine ea non possit florere in nobis cultus deo dignus. Cum autem secundum iudicium rationis, non possit cognosci, uel adprehendi Deus, ipse nobis loquens, pro agnitione sui, solus audiri debet. Agnoscitur enim sola uerbi sui fide: & signis ac testimonijs, unius, ueri, æterni & omnipotentis Dei, a se propositis. Nec alia re est efficax ad iustificandum nos: siue ad operandum ac ꝑficiendum in nobis suam uoluntatem. Verbum itaq;, quo se Israelitis manifestauit, ac signum suę potentiæ & bonitatis, efficax in credentibus, hoc propositum pro tempore fuit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, de domo seruitutis. Et sequit̃: nõ habebis Deos alienos corã me. &c. q. d. non aliũ Deũ agnosces aut coles, pręterꝗ me qui tibi hoc uerbũ ꝓpono, & testimoniũ diuinitatis, oĩpotentię & curę tui exhibui, hoc ipsum opus & bñficium, ꝗ te e durissima seruitute liberaui: uidelicet de captiuitate in terra Aegypti.

Sic ergo agnoscere Deum, & adprehendere illũ, potuerũt credentes Israelitę: & se ipsis fieri meliores, Deo cultũ & reuerẽtiã debitã pręstare. Ideo & prophetæ illis testimonijs dei, potentiæ & bonitatis eius, in prædicatiõe frequẽter usi sunt: ut ps. lxxvij. Itẽ ps. cxxxv. &c. quia, ut dictũ est

nisi cognitus, quod est, & qualis est, coli non posset. Hebr. xi. Credere oportet accedentem ad Deum, quod sit, & inquirentibus se remunerator sit. Proinde & a nobis adprehendi debet certo uerbo: quo & noticiam sui nobis manifestat, & testimonia suae bonitatis erga nos praecipua edit. Verbum itaq; , quod omnibus gentibus de cognoscendo Deo propositum est, est salutis euãgelium, quo omnibus annunciatur remissio peccati & aeterna uita per Christum. Et exhibitum est, in eodem, testimonium diuinae potentiae & bonitatis in destruendo regno peccati & mortis, pro omnium salute, ipse unigenitus Dei filius, Christus Iesus. Hunc ergo Deum, qui est euangelij autor, & pater Domini nostri Iesu Christi, agnoscere debemus: & in omni uita nostra, per poenitentiam, & conuersionem nostri a peccato, ad praeceptam in lege operum iusticiam, colere. Nam idem Deus, & legis, & promissionum gratiae, de quibus docemur in euangelio, est autor: nec est alius, praeter illum.

Cultus spiritualis Deo debitus.

Nunc uide, quid in cultu, unius ueri Dei oporteat numerare & habere: nimirum uerum Dei timorem, qui faciat, ne contemnere illius mãdata uelle uideamur, sed sollicite custodire & seruare. Deinde, ueram promissionum gratiae fidem: quae sola efficit, ut Deum perfecto corde diligamus. Item, in qualibet calamitate patientiam seruemus: & auxiliũ a Deo expectemus. Nam etiamsi lex timorem doceat & fidem, tamen nihil ad perfectionem perducit: sed fides promissionum gratiae euangelij de Christo, cuius ratio alio loco erit explicanda. Reuertor nunc ad partitionem legis, in qua & cuiusdam alterius discriminis admoneri debemus: utilis ac faciendi in cultu Dei. Nam ipsa tempora adferunt nonnunquã casus, in quibus leges pugnare uidentur: ut fere nescias, quid agas.

Legum pugnantia quomodo explicentur.

Sed facilis est hęc controuersia pugnantium legum, & explicatur hac regula: Lex inferior cedat superiori, & secunda tabula primę. Nam in his angustijs ipsi quoq; Apostoli sese explicant hoc modo. Sic enim statuũt, ut est Act. v. Oportet Deo magis obedire, quã hominibus. Et Christus tradit hãc regulam. Luc. xiiij. suo exemplo, prophetarum omnium & Apostolorum factis comprobatam.

Verba Christi, quę dico, apud Euangelistam Lucã, sunt: Si quis uenit ad me, & non odit patrem suum, & matrem & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Nam in his Christi uerbis & illa Pauli fundantur: Gal. i. Modo enim homines studeo demereri, an Deum? An quaero hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem Christi seruus non essem. Itaq; plurimus usus est huius regulae. Nam & principum ac Magistratus ciuilis autoritas illa defenditur: qua uidelicet, sontes puniunt & occidunt & facultatibus spoliant, & bello latrocinia arcent. Hoc enim, quia faciunt ordinatione, iussu & uoluntate Dei, cuius est illa Magistratus ultio & uindicta,

dicta, non possunt accusari transgressionis legum, quæ dicunt: non occides, non furtum facies, &c. Sed oportet fateri ac dicere, quod cultum debitum Deo præstent. Nam & peccarent grauissime, nisi sontes punirēt: & illa officia sua, quæ dixi, facerent, ministri Dei, in hoc ipsum seruientes: omnibus in bonum, & pro totius reipublicæ tranquillitate.

Sed Euangelij præcipua ratio in omnibus habenda est, ne contra hoc delinquamus in gratiam ullius hominis: siue ullius commoditatis, uel incommoditatis respectu, ut maxime totius reipublicę bono corporali, aut damno, fieret. Nam & illa sunt Christi: Qui non accipit crucem suā & sequitur me, non est me dignus. Sed uenio ad inferiora. Nam & illa comparatio ex hac regula nascitur, qua uidelicet discernimus inter diuinas & hominum leges. Si quæ enim hominum constitutio pugnet cum Dei legibus, ea continuo repudiari debet & abijci. Ac prodest hanc regulam tenere hoc tempore, quo contra libertatem, qua diuinitus donati sumus, multis pharisaicis constitutionibus grauamur in ecclesia: ueluti legibus de statis ieiunijs, delectu ciborum, prohibitis coniugijs, certis precationibus, tam pharisaicis quam stultis & pernitiosis. Huc pertinet impijssima & iniquissima constitutio illa, de communione alterius speciei pro Laicis: de Missa priuata, sacrificuli sacerdotis, in qua fieri oblatio fingitur, pro peccatis uiuorum & mortuorum. Quem ergo timor Dei habet, & quisquis uult cultum pręstare Deo, is reiectis & conculcatis uarijssimis constitutionibus istis, ad uerbi dei obseruationem sese conferat.

Non igitur negligenter discenda est illa comparatio: quia utilis est & necessaria in multis casibus. Nam & Monachos liberat a suis ridiculis & stultis uotis, regula quam hic explicamus. Quid enim est in illis, quod non aduersetur uerbo & mandatis Dei? Primum, quia derogāt glorię Christi: deinde, quia obscurant mandata dei, de uera, utili & necessaria obedientia, castitate & paupertate. In summa, obedientiæ erga Deū, in quibuslibet casibus, prior ac potior ratio haberi debet: quam perueniatur ad obedientiam erga homines. Et fidei caussa pędominari in omnibus negotijs debet dilectioni: etiam pręceptę a Deo. Imo nec dilectionis mandatum tunc esse poterit, si quod factum aut faciendum fidei rebus aduersetur ac pugnet. Cæterum dilectioni erga proximum & necessitatibus eius, quęlibet cęrimoniarum constitutiones cedere debent. Extant enim & in euangelij historia plurima exempla, quæ nos hanc dilectionis seruandę rationem docent. Vt Matth. v. viij. xij. Luc. xiiij. xv. Ioan. v. ix, &c. Nam si cærimonię diuinarum legum debuerunt utilitati & necessitati hominis cedere: quanto magis hominum cęrimonię in his casibus necessitatis proximi, cedere debebunt. Nam & propter Christū omnes creaturæ seruire ac subiacere nobis debent. Matth. xij. Dominus est filius hominis, etiam sabbathi. i Cor. iij. Omnia uestra sunt, &c.

Hęc igitur omnia nosse oportet & obseruare ac sequi, in doctrina & obedientia ueri & germani cultus Dei: qui uidelicet existit in obseruatione mandatorum Dei, & haud quaq̃ in ritibus ab hominibus excogitatis. Et ut quędam praecipiant homines, prima fronte non statim pugnantia cũ mandatis Dei, tamen illa opera seruare & facere opinione iusticiae & meriti remissionis peccati, aut satisfactionis pro morte, est cultus dæmoniorũ: tam abest ut placeat Deo. Isti eñ sunt hypocritarum cultus, obscurantiũ gratiam & fidem: & suis mandatis eam laudem tribuentiũ, quę ne mandatis quidem Dei tribui recte potest. Habent aũt & mãdata Dei suum ordinẽ & rationem: ut dictũ est. Sunt aũt plusq̃ audacter impij & iniqui, qui sua uana pręcepta mandatis Dei ęquant: ac postulant parem honorẽ illis haberi. Item, affirmant æque meritoria esse, ut mandata dei. Isti sunt fures & Latrones, & non possunt non noxij esse, per suas istas impias doctrinas in ecclesia. Ac nimis inconsiderãtes sunt, qui istis hominũ doctrinis audent suã salutẽ cõmittere: papistę, Monachi, & Monachę, & id genus pessime seductorũ & illaqueatorũ pstigijs Diaboli.

SEQVITVR ENARRATIO PRIMI PRAECEPTI.

NON HABEBIS DEOS *alienos coram me.*

CAP. III. IN hunc modum præmissis quibusdam de legis abrogatione, & autoritate quæ manet semper: Item, de partibus legis, de agnitione Dei & uero illius cultu: proximum est, ut ad singulorum mandatorum Decalogi enarrationem accedam. Proinde mandata Decalogi tradita sunt, propter transgressiones, sicut Paulus inquit, Gal. iij. utiq̃, tam cognoscendas, (demonstratas uidelicet & accusatas atq̃ dãnatas lege, non futuras solum, sed iam pręsentes, quibus omnes rei sunt.) quam cohercẽdas. Vtrumq̃ enim Paulus docet: ut Rom. iij. per legẽ agnitio peccati. Gal. iij. Lex pædagogus noster fuit in Christum. i Timoth. i: Lex est iniustis posita. Significat enim iniustos & iniquos homines aliquo modo coherceri legibus: nimirum ab externa transgressione. Nam uicia cordis, lex scripta, & in tabulis lapideis exarata, non potest tollere ex natura. Sed ubi docet per legem cognosci peccata, tam de transgressionibus uiciosis cordis loquitur: Sicut manifestissimum est, testimonio cap. vij. Epistolę ad Rom. quam de externis transgressionibus operum malorũ. Imo de internis transgressionibus oĩm maxime loquitur: ut quas demõstrari & accusari præcipue opus fuit. Quia nisi per accusationem diuinæ legis, nunq̃ cognosci potuissent: quod periculosum homini fuisset. Tũ quia inani iusticiæ persuasione sese fefellisset: tũ etiã, q̃a usum promissionũ gratiæ nunq̃ uidere aut intelligere potuisset. Iã hac ratione existimãdum est, tradita fuisse potissimũ negatiua mãdata, in Decalogo: quæ tñ omnia e regione suam quandam affirmatiuam in se includunt. Sicut mox planius adperiam, & copiose satis explicabo.

ERgo continet Decalogus fere negatiua operis mali præcepta: quia magis positus est ut peccatum præsens ostendat, quam ut futurum prohibeat. Omnes enim habent peccatum, & egent gloria Dei: sed non omnes agnoscunt se habere peccatum, aut gloria perfectę iusticię coram Deo egere ac uacui esse. Ideo opus fuit tali lege hominibus, quę omnes accuset, arguat, iudicet ac damnet: quod facit omniū maxime per accusationem ignorantię dei, quę est in homine. Itē, per accusationē diffidētię, desperationis, incredulitatis & dubitationis de Deo & eius erga nos uoluntate. Deniq; per accusationem uiciosorum motuū in natura: ut auaricię, ambitionis, irę, inuidentię, libidinis & similium concupiscentię carnis. Rursus, imbecillis est lex ad arcendum & prohibendū futura peccata: ac ne quidem potest satis externa uicia prohibere, prædominante uidelicet in homine peccato, in quo est natura: & quod dicitur, & est, congenitū illi, ac quidam perpetuus morbus in eo. Theologi uocant peccatū originis: Nec aliud est q̄ internū illud, de quo paulo ante dixi, quod eius rei accusemur legibus. Iam etiam uincit hominem Diabolus frequēter, ut per præceps in multa grauia uicia ruat: nec possit peccato semper resistere. Est enim seruus peccati, ac uenundatus eius legibus, & obnoxius Diabolo, priusq̄ a Christo, Dei filio, & unico oīm seruatore liberet.

Cum ergo Deus lege sua puritatē cordis a nobis requirat, ut dictum est supra: quia uult timeri, & per fiduciam cordis, spei & dilectionis honorari: manifestum est, quod his contrarios motus uiciosos in natura damnet ac reprehendat, ut est diffidentia, dubitatio & incredulitas: Item contemptus dei, carere timore, fiducia, spe & dilectione eius perfecta. Quapropter in legis negatiua considerandum est, non modo quę opera mala externorum uiciorum reprehendantur, uerum etiam internorū motuum & uiciorum cordis. Atq; adeo considerandum est, quæ opera bona externa, cum qua cordis puritate requirat pręstari: nimirum, cum summa illa, perfecti timoris, fiducię, spei, dilectionis & patientiæ in quibuslibet calamitatibus, ne unq̄ contra Deum murmuremus, ullo uel minimo cordis motu. Et hæc ratio ualet cōtra hypocritas, qui in legis negatiua nullā affirmatiuam uident: & legem de solis externis operibus & factis crasse & pharisaice exponunt.

Sunt igitur hæc cordis uicia, quę lex reprehendit ac damnat prorsus ingenita hominis naturę: ut nemo unquam, ullo tempore, abesse ab illis possit. Nisi quatenus liberauerit nos Deus, per filium unigenitū Christum: sicut Ioan. viij. dicitur: si uos filius liberauerit, uere liberi estis. E cōtra de hominis uiciata natura scribit. Gen. vi. cuncta intētio & cogitatio cordis, prona est tantum ad mala omni tempore. Item cap. viij. ibidem: intentio humani cordis mala est, ab adolescentia sua. Et propter hæc na-

turę uicia, omnes iusticiæ nostrę sunt damnabiles & reprehensibiles coram Deo: nec de operibus suis potest quisq; gloriari, tanq̃ de perfectè bonis corã Deo. Hinc etiã cõcluditur, quod lex nõ sit iustificationis doctrina: Sicut Paulus docet ad Gal. ij. Rom. iij. ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati.

Proinde negatiua in diuinis legibus pręcipue coarguit nos esse abominabiles peccatores coram Deo: & retegit nobis uicia cordis, & exprobrat imperfectam obedientiam, quatenus contuleris eã cũ internis motibus cordis. Sicut necesse est fieri: quia de illis pręcipit lex. Vt Deu. vi. dilige Deum toto corde. Et. x. Dominum Deũ tuũ timebis. Et Leuit. xix. Dilige proximũ tuum, sicut te ipsum. Item exo. xx. non concupisces. Postea & externas pręuaricationes accusat & reprehendit lex: ut externam Idolatriã, blasphemias, cędes, adulteria, et his similia peccata. i Timoth. i. Gal. v. Quin etiam Lex auget pct̃m̃ in carnalibus: ut quibus dolet coherceri, constringi, accusari & iudicari lege. Mallent enim cupiditatibus suis, quantumuis impijs, noxijs & prauis, effrenes indulgere. Accusati itaq; & iudicati lege, iuxta illud, maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quę scripta sunt in lege, irascũtur legi & Deo. Et hac sentẽtia lex dicit̃ uirtus pct̃i apud Paulũ: i Cor. xv. Et Rom. v. Lex subintrauit ut abundaret delictum. Plura de his lege Rom. vij.

Hæc qui intelligunt probe, facile cõsentiunt doctrinę Euãgelij, Christi & Apostolorũ: quę uidelicet tradit, ut dixi, quod nemo per legis opera corã Deo possit iustificari. Itẽ, pro iustificatiõe, opus esse hoĩ, gratuita pct̃i & delictorũ oĩm condonatiõe. Nec mirũ est, nõ consentire huic p̃dicationi, qui hãc legis rationẽ & usum nesciũt: nec uidẽt pct̃i magnitudinẽ, quę est in oĩm natura: & opinant̃, quod legi suis uiribus, sua industria & uirtute, possint satisfacere. Ita ut semp reperire est multos, his pharisaicis opinionibus excęcatos: perditos ac deploratos homines. Hæc igit̃ mala peccati, insuperabilia nobis, intus gerimus: cõgenita uidelicet nobis, nõ ab extra aduenientia. Ab uno em̃ in omẽs, carnali generatione sunt propagata: uidelicet, ab Adam, sicut Paulus docet, Rom. v.

Itaq; nõ magna laus est homĩs, accepisse uidelicet illũ prohibitiua mãdata, taliũ & tantorum uiciorũ. Nam si natura bonus esset, huiusmodi legibus nihil opus haberet: quin etiã sua sponte bene operaret̃, ac fugeret ea promptissima uoluntate, quę lex fugienda præcipit: & cõtraria opera bona, cũ summa uoluptate perficeret. Quę omia & Adã cũ tota posteritate pręstare ac perficere potuisset, si recta monenti Deo obtemperare maluisset: q̃ impia suadenti Diabolo obsequi & parere. Quanquã amplissimum gratię beneficium est, de talibus ac tantis peccatis accusari a Deo: quæ si ignorauisset homo, nunquam potuisset saluari, cuius rationes iã antea a me sunt dictæ. Nam opinione carnalis iusticię sese fefellisset: &

luce,

luce, iusticia, uia, ueritate & æterna uita priuasset. Quare ingentis beneficij loco haberi a spirituali mente debet, accusari de tantis uicijs coram Deo: ne nobis placeamus, ultra q̃ oportet. Sed rursus tamen, ne displiceamus nobis ultra modum: quia Deus per peccati nostri accusationẽ, uult nos trahere in suę gratiæ fidem.

Iam illud uidendum est, quomodo quęlibet negatiua includat in se, suam quandam operis boni affirmatiuã. Nam & Moses, & prophetę & Christus & Apostoli, negatiuas illas, seu prohibitiuas operis mali, frequẽter affirmatiue exponunt. Vt negatiua illa, non habebis Deos alienos coram me, habet has affirmatiuas: Ego sum Dominus Deus tuus. Exo. xx. Diliges Dñm Deum tuum toto corde tuo, tota anima tua & tota fortitudine tua. Deu. vi. Et Ibidem cap. x. Dominum Deũ tuum timebis, & ei soli seruies. Nam quod mox ibidẽ sequit̃, ipsi adhęrebis, iurabisq́ꝫ per nomẽ eius: Est affirmatiua quędam secũdi pręcepti. Veluti illa Ioel. ij. Omnis quicũq́ꝫ inuocauerit nomen dñi, saluus erit. Ceterę negatiuę posterioris tabulæ, habent hanc generalissimã affirmatiuam: diliges proximum tuũ sicut te ipsum. Leui. xix. Item, omnia quę uultis, ut uobis faciãt hoĩes, & uos facite illis. Matth. vij. Sed huiusmodi plura testimonia colligere, foret ociosum: ut quę nusq̃ non sunt obuia, in literis prophetarũ & Apostolorũ. Sunt em̃ legis spirituales sermones & tractationes. Liquet autem ex his affirmatiuis, quę cordis iusticia in lege pręcipiatur: quã solus Christus suo spiritu in nobis efficit & absoluit.

Affirmatiua inclusa in negatiuam.

Igitur per negatiua mandata, ut dictũ est, peccati & uiciorũ corruptæ naturę oĩm primo accusamur. Sic em̃ lex chirographum est contrarium nobis: quia significat, nos esse repletos omni spurcitia pctĩ & iniquitate. Nam pręter diffidentiã, dubitationẽ & incredulitatẽ de deo, multis uiciosis morbis peccati alijs abundamus: ut inuidentia, odijs, ira, auaricia, æmulationibus, & his similibus alijs, prorsus diabolicis, quos nemo tegere aut excusare potest. Cum omẽs experiant̃ illos sibi adesse, & regnare in se: nisi quatenus bñficio cœlestis gratiæ & spiritus Christi ab eis liberati sunt & defendunt̃. Quapropter & filios irę Lex esse nos testat̃: qui nisi per gratuitã peccati nostri condonationẽ nequeamus corã Deo saluari. Neq́ꝫ ex lego aliud melius reportare possumus, priusq̃ a Christo iustificamur, quam huiusmodi pctĩ, ignorãtię Dei, & uiciosorum motuum in natura, certam & firmam cognitionem.

Hæc sunt ex Pauli theologia eruta de cognitione peccati per legẽ: itẽ de impossibilitate legis ad iustificandũ & saluandũ peccatores. Lex enim oĩm maxime docet nos de interno peccato, ignorantiæ & contemptus Dei: & de alijs uiciosis motibus cordis. Quos & reprehendit atq́ꝫ damnat lex: tum contrarios, pios, castos, & sanctos requirit. Est em̃ spiritualis doctrina: cui satisfieri a carne, i. uirtute humana, haud quaq̃ potest. Et

hoc est, quod Paulus inquit: Ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram Deo. Nimirum, quia solis externis factis nõ satisfit legi. Nemo aũt ignorat quanta difficultate obediamus legi: Item, quanti impuri motus adsint nobis, rebelles legi & Deo. Necq̧ eñ ipsi quocq̧ sancti, qui a spiritu dei gubernant̃, perfectam obedientiam erga legẽ prẽstãt. Nam si legi obedire carnalis natura posset, & prẽstare quicquid lex requirit, esset perfecte sana & libera a pctõ: & proprijs factis iusta, sancta & salua coram Deo. Nec opus haberet gratia, ac redẽptore Christo. Verũ ea res longe aliter se habet. Nos eñ pctõres sumus: & sine iusticia gratiẽ, qua nobis cõtingit gratuita remissio oĩm delictorũ nostrorum, propter Christum, quatenus credimus in eũ, non possumus saluari. In summa. lex arguit, accusat, & conuincit nos esse damnabiles pctõres: ut fiduciam istã impiam & arrogantẽ meriti carnalis iusticiẽ nobis eximat ac penitus excludat. Tum etiam, ut ad gratiæ implorationem, pro remissione peccati, & auxilio spiritus, nos quasi impellat.

DE PLVRALITATE DEORVM ALIENORVM, DEQVE DVPLICI *Idolatria. Item quid sit, Deum habere: tum deinceps de uaria primi præcepti transgreßione:*

CAP. IIII.

POstq̃ de negatiua legis, quẽ frequenter obuia est, generalia quẽdam dixi: proximũ est, ut quẽ propria sunt primi prẽcepti, seorsim persequar & excutiam. Cum ergo in lege prẽcipiat Dñs, Non habebis Deos alienos corã me, pro illius clara & perfecta intelligentia dicendum mihi erit, primo: de pluralitate Deorum alienorũ. Et mox, de duplici Idolatria: interna cordis, & externa operis & factorum. Itẽ, Quid sit Deũ habere: & postremo de uaria & multiplici transgressione primi p̃cepti, per aliquot exẽpla. Nam modi sunt innumerabiles ac infiniti: nec satis cognosci ab humano corde eorum profunditas & impietas potest,

Dij alieni multi. Nõ ergo frustra est, quod Deus numero multitudinis uiciũ Idololatriẽ prohibet: siue potius reprehendit, accusat ac damnat, iam præsens in nobis. Nam prius docui, iuxta illud Pauli, lex propter transgressiones posita est, nõ tam arceri pctm̃ lege, quam redargui uehemẽtissime & accusari in nobis. Quamq̃ enim apud aliquos aliquo modo externa transgressio prohibeat: tñ hoc necq̧ perpetuum est, frequenter eñ homines uincunt tentatione, ut in grauia uicia ruant. Necq̧ fit apud omnes: plurimi.n. prorsus contemnunt Deũ. Et ignari uiciorũ cordis, in arrogantẽ impietatem incidunt, qui externa legis opera seruant: quod est nouum pctm̃, & nouum Idolatriẽ genus in homine. Denicq̧ hoc non est uere arceri aut prohiberi pctm̃ coram Deo, externa uicia solũ prohibere. Quãdiu eñ interna transgressio manet, reus est homo prẽuaricatẽ legis. Certum est aũt, internis uicijs cordis omnes abundare: maxime contra primũ prẽceptum. Vt aũt, uicium Idolatriẽ est grauissimum in hominis corde: ita lex, dicẽdo, nõ habebis Deos alienos, abscondite significat, uariũ ig-

norantiæ

norātię dei malū̄ nobis adesse, uariū̄ erroris & cęcitatis in pctō, adeoq; de fectionis a uero unius dei cultu. In summa, nō unius generis morbo uici orum nos laborare: quo Deū̄ summa cōtumelia afficimus in corde, & omni honore suo, qui illi reddi a nobis debuit, fraudamus. Prorsus om nes homines. Sicut Paulus probat, multis testimonijs scripturę: Ro. iij. Non est iustus quisquā, nō est intelligens, nō est reqrens Deū. Oēs de clinauerūt, simul inutiles facti sunt: nō est q faciat bonum, ne unus qui dē. Sepulchrū patens est guttur eorū: linguis suis dolose agūt. uenenum aspidū sub labijs eorū. Quorū os maledictiōe, & amaritudine plenū est. Veloces pedes eorū: ad effundendū sanguinē. Cōtritio & infoelicitas in uijs eorū: & uiā pacis nō cognouerūt. Nō est timor dei corā oculis eorū.

Hęc igitur uicia, nomīe Deorū alienorum cogitemus primo oīm repre hendi. Quia eni nos alienāt a uero Dei cultu, et aliū timorē, aliā fiduciā, dilectionē & spē in nobis erigunt, q̄ ad Deum adferri debuerunt, sunt proprijssime species quędā Idolatriæ, qbus addicti & seruientes pręcipi tamur in infinita uicia, pctā & transgressiones externas. Quia ut primū pceptum fons est obedientię oīm reliquorum: quod seruato eo, & reli qua omnia seruata sunt ac facta. Ita transgressio primi, caussa est uiolatio nis oīm reliquorū. Hæret itaq; grauissima & multiplex impietas, in car nali natura, & hominis corde: ut neq; timeat, neq; diligat Deum uere, planeq; diffidat illi atq; contēnat Deū. Et, sicut ppheta loquit, dicat in corde suo: non est Deus. Nā hinc certe est, q rebus pręsentibus magis confidunt hoīes, ueluti opibus, potentię, honori, & similibus, q̄ Deo, ignari uidelicet Dei, potentię & bonitatis eius. Nec credentes illis, quæ de Deo prædicantur: sed pro fabulosis habentes in cordibus suis. Qua re nec timent Deum. Sicut probant in actionibus totius uitæ suę: Neq; possunt amare Deum: aut grati pro beneficijs illi esse. In prosperis autē insolenter agunt: & in aduersis desperant. Sed quis omīa illa enumeret, quibus Idolatræ Deum sua gloria, ut dictum est, fraudamus?

Adpellatione tn̄ Deorum intellige simul dici dæmonia ista, q̄ gentes p Dijs habuerunt: & Deorū nomīe coluerunt, cū graui scandalo Iudæ orum, quę finitimę illis fuerūt. Itē, eos hoīes, quos plerūq; nec sapiētes nec bonos, sed insigniter stultos ac malos, dixerunt Deos esse: & horri bili impietate pro Dijs adorauerunt, fere adulātes homībus: sed alijs tn̄ scandalū adorationis pbentes. Et ab his exēplis, de cæteris speciebus Ido latriæ facile iudicari potest. Est enim Idolatria, cordis fiduciam, timorē, dilectionē & spem, alij q̄ uni, uero, æterno, omnipotēti Deo habere, id quod nunquam non faciunt homines, priusquam per cognitionem dei ueram ac solidam fuerint liberati. Ac miserandum est, fidere hominem rebus, quę illum nec meliorem aut fœliciorem reddere possunt habitæ: nec deteriorē amissæ, aut nunquam habitæ. Quod intelligi uelim a me

dici, de rebus omnibus, quę nō sunt Deus ipse. Solus em̄ Deus habitus, beatum efficere hominem potest: quia solus est lux, sapientia, ueritas, summa fœlicitas & æterna salus.

Duplex Idolatria. Porro, ex iā dictis colligere est, coargui in scripturis, duplicē Idolatriam: aliam internam & uiciorum cordis, & aliam externam, operis & factorū. Quare & lex de utraq; exponi debet: & oīm maxime, de interna illa, quæ est impij cordis, impiarū & peruersissimarū opinionum de Deo. Cum præterea sit fons, unde scaturit omis externa Idolatria: contemptus Dei, & transgressio mandatorū eius. Nec em̄ prius admittitī externa Idolatria, q̄ corde a Deo deficiamus: aut per incredulitatem, uel dubitationē & desperationem. Et externę Idolatrię facinora, sunt signa & quidā effectus abominabilis idolatrię regnantis in corde. Itaq; cor, quæ pars est homīs nobilissima, fœdis & impijs affectibus obnoxiū ac seruiens, cum excusso timore Dei, & reiecta fiducia, spe, & dilectione in Deū, seruit dęmonibus: Item timorē, dilectionem, fiduciā & spem, alio transferens, q̄ in Deū. Sicut Paulus de auaricia scribit, uocans eā cultū Idolorū: quod homines auari, tota cordis fiducia, & in altissimo contēptu Dei, et hominū, opibus cōquirendis student. Quod contra salutis rationē fieri, idem plurimis locis testatur. Et Christus affirmat, tales Deo non posse seruire: quapter nec fore saluos. Matth. vi. Nemo potest duobus dn̄is seruire. Itē, Nō potestis Deo seruire & mām onę. Et cap. xix. Diues difficile intrabit in regnū cœlorū. &c. Non em̄ facile imperant suis cupiditatibus & curis: nec sunt fideles dispensatores facultatū suarū in pauperes. Lege quę sunt Luc. xvi. Et Luc. xiiij. dicit: cauete uobis ab auaricia. Et cap. xxi Attendite, ne grauent corda uestra curis huius uitę. Nā pręter q̄ quod abstrahunt a deo, in quo est summa impietatis, nihil sobriū, sanū aut moderabile suadent. Vide i. Timo. vi.

Turpe est igit̄ & impiū ac noxiū homini, curis auariciæ addictū esse: qa est uiciū Idolatriæ in illis. Ideo nemo q talis est, potest saluari: nisi ab his impijs curis, p fidē in deū liberetur, ac mutet ut deum suum colat, timore, fiducia, dilectiōe & spe, qbus ille honorat̄ & reqrit honorari. Iā ab hoc exēplo de alijs speciebus Idolatrię iudiciū sumi debet. Quisq; em̄ quomodocūq; contra primū pceptum peccat, non potest saluari: nisi ad agnitionē pcti sui pueniat, dolens ac uere cōtritus aspirauerit ad gratiā: & deinceps a quauis idolatria, tam quæ in corde admittit̄, q̄ in operibus prauis, abstinet. Sed plura exēpla, tā internę q̄ externę Idolatrię infra conabimur referre. Externa enim Idolatria est, quandocunq; homines & quocūq; casu, relicto deo, qui p solā cordis fiduciā tenet̄, ad prę sidiū creaturarū sese conferūt: & illis aliter, q̄ deus iubet utunt̄, hoc est, abutuntur. Et hęc semper coniunctam internā Idolatriā, & impietatē cordis, habet: quanquā non quisquis intus peccat per idolatriam, mox etiam externam admittit.

admittit. Nam homines iusti, & timentes dei, uicijs cordis repugnāt: & cauent sibi ab externa transgressione mandatorum Dei.

Iam facile est explicare, quod tertiū fuit in proposito ordine dicendorum: Quid uidelicet sit Deum habere. Siquidem Deū habet, quod quisque timet, cui fidit, quod diligit, & in quod sperat: in summa, cui honorē cordis habet, uero timore, dilectione, fiducia, ac spe, & cuius possessione existimat se beatum esse. Et hęc est adoratio cordis, ac uerus Dei cultus: cuius nos debitores esse erga uerū Deum Christus docet, Ioan. iiij. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eū, in spiritu & ueritate oportet adorare. Et huc pertinēt pręcepta illa omīa, de timore habēdo erga Deū: de fide, spe & dilectione, ubicunque extant in scripturis, quorū & supra mentionē aliquot feci. Et hoc modo Deū habere, ac colere, efficit hominem & in hac corporali uita beatum. Quia quisque sic habet Deum, nō potest ulla aduersitate terreri, aut abijci in desperationē: neque cōtra in prosperis carnaliter securus esse, & sine timore Dei agere. Sed existimat se in solo Deo beatū esse: ideo in quibuslibet casibus adiuuat a Deo. Nec admittit talis aliquid contra officium hominis Christiani. Graues adeo caussæ sunt, cur ille cultus & hęc agnitio Dei pręcipiantur.

Quid sit deum habere.

Bene igitur illis, ac beati, qui existimant, intelligunt ac credūt, se omnia illa possidere in Deo, quę faciunt ad huius & futurę uitæ fœlicitatē. Sic enim uarijs scripturę testimonijs docemur: & præsertim in psalmis. Vt psal. xxiij. Non rex saluaf in multitudine exercitus: Gigas non eripiet in multitudine uirtutis. Fallax equus ad salutē: & in multitudine roboris sui nō liberabit. Ecce oculus Dn̄i erga timētes eū: & in eis, qui sperāt in misericordia eius. Huc itē facit illud Hier. viiij. Hęc dicit Dn̄s. Nō gloriet sapiēs in sapiētia sua, & nō glorief fortis in fortitudine sua, & nō glorief diues in diuitijs suis: sed in hoc glorietur q gloriaf, scire ac nosse me. Quia ego sum Dn̄s, q factio misericordiā & iudiciū et iusticiā in terra. Hęc em̄ placent mihi ait Dn̄s. Rursus Hier. xvij. maledictus homo, qui cōfidit in hoīe. &c. Itē psal. iij. Dn̄i est salus: & sup populū tuum benedicti tua. Sed testimoniorū huius spiritualis doctrinæ est innumera multitudo: & nullis qui sacra legunt nō cognitissima. Quia hęc est principalis intentio scripturę, ut nos de illo cultu dei doceat: quem cum præstamus Deo, efficimur beati.

Sed ut Deū habere est pfecta q̄dam hoīs beatitudo: Ita qsquis deo caret, ter miser est & summe infœlix. Sicut sunt q nō timēt deum: nec diligunt eum. Aut qui prædicatę omnipotentię, bonitati & misericordiæ dei diffidunt: ac dubitant, num in necessitatibus adiuuentur a Deo. Isti enim tales, non possunt a Deo adiuuari. Contemnunt etiam atque odiunt Deū: in afflictionibus impatientes & murmurantes aduersus Deum. Ideo necesse est, ut in rebus omnibus infœliciter & calamitosissime

agant: ut maxime in corporalibus florere uideantur. Sed quia Deum habent aduersantem sibi, etiam foelicitates eorum cooperantur eis malum. Voluptates carnis, pecuniam, opes, honores, potentiam, & his similia carnalia pro summis foelicitatibus consectantur: ac spem in illis ponunt. Tam prudenter, digne ac solide, atq; ille qui animę suę dixit: Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, lętare, &c. Luc. xij. Et hęc est uaria, multiplex & infinita eorum Idolatria. Quis enim motus impij cordis, hominis increduli & contemnentis Deum, numerare omnes posset? Sed nunc per aliquot exēpla, uicia & transgressiones primi pręcepti, conabor aliquo modo declarare.

DE VICIIS ET TRANSGRESSIONE PRIMI PRAECEPTI: *& de contraria pietate in Deum.*

CAP. V.

MVlta sunt uicia in transgressione primi pręcepti, quę omnia pugnant cum honore Dei: signa in homine aboliti timoris & fidei in Deum. Nam qui peccāt in primū pręceptum, eos necesse est uero in Deum timore, fide, dilectione et spe uacuos esse: quacūq; transgressiōe hoc

I. faciant. Sunt aūt primi in hoc genere adeo, isti, qui Deū esse negant: aut Deo nos curę esse, respicere inuocantes, uel exaudire. Quamq̄ aūt hæc impietas teneat aliquo modo omnes homines: tñ illi qui uerbū Dei fide discunt liberant̄ ab ea. Ideo em̄ fide sese erigunt, & repugnāt illi dubitationi, quę in impijs manet. In talibus ergo placet Deo inchoata obedientia: & si quid uicij adhuc remansit in eis, quod inuiti habent, & cui repugnant, non imputatur ipsis.

II. Aliud genus est hypocritar℞ et pharisaice iustor℞: quos scilicet fiducia carnalis & proprię iusticię tenet. Isti em̄ derogāt gratię & bn̄ficijs redēptoris Christi: sicut est depicta imago impietatis supbę & arrogātis in exēplo cuiusdā pharisęi, Luc. xviij. Magna aūt cęcitas est in isto genere hominū. Nā quia se mereri existimāt iusticiā & uitam, p sua opa & facta: ideo necesse est, ut sint sui ignari: tū iudicior℞ Dei contra peccatum, & peccatores. Ideo sine uero timore Dei, & sine uera cōtritione perpetuo agūt: ac negant se pct̄m habere, mētientes, & mēdacij Deū redarguētes. i. Ioan. i. Siquidē Deus testat̄ nos esse pctōres: & indigere gratuita pcti remissiōe, pro nostri iustificatiōe & salute. Sed ut pcti, ita bn̄ficior℞ gratię sunt ignari: & Christi gloriā transferunt in suas immundas iusticias carnis. Quare impossibile est saluari a pctō & morte posse, eos q̄ in tātis pct̄is & blasphemijs gratiæ ac bn̄ficiorum Christi agūt. In hoc genere impietatis & Idolatrię est hoc tēpore totus papatus: omēs Monachi & Monachæ. Deniq; & tota scholasticor℞ theologor℞ doctrina, de poenitentia, & iustificatione.

III. Proxima est desperatio, de gratia & remissiōe peccati: in illis, quibus pct̄m quod habent, in conscientijs ipsor℞ tandem reuelatum est. Sicut legimus horribile exēplum de Iuda q̄ prodidit Christum: longe seuerissi

num in iudicijs Dei, contra peccatores, a quibus contẽnitur. Huiusmodi uero desperationem etiam docent, qui iusticias rationis prędicant meritorias ęternę salutis. Nam hoc cum sit falsum, & contra iusticiam gratię confictũ, necesse est ut ueritas iudiciorũ aliquando in contrariũ reueletũ. Quod cum sit, illi quos ignoratio gratię tenet, propter peruersam & corruptam institutionẽ, coguntur desperare. Sed sunt plurimi alij, qui etiãsi recte doceantur de gratia, tamen quia sine pœnitentia uiuunt, absorbentur tandẽ desperatione. Est autem horribilis blasphemia desperatio: quia est eorum, qui dicunt, maior est iniquitas mea, quã ut ueniam meream. Cum tamẽ Deus omnibus ignoscat, & breuiter omnia peccata remittat, propter Christum, quatenus credunt in eum. Isti ergo iusticiam gratiæ negant: quapropter ipsis quoq; negari debet. Negant.n. Deum esse misericordem: Christũ, propitiatorẽ. Et tam gratię quã Christo derogant. v

Iam dictis adde istos idolatras, qui Deum credũt doctrinis mandatorum hominum: plerisq; tam uanis & impijs, ut nequeant esse, nisi dęmoniorum doctrinæ: de quibus Paulus scribit, i. Timoth. iiij. Sed quanq̃ per se non essent mala, quędam doctrinarum hominum opera: tamen cũ accedit opinio necessitatis, iusticię & cultus, fiunt idolatrica. Vt cum dicuntur peccatum mortale admittere, qui mandata hominum nõ seruant: aut gratiam mereri & iustificari, qui seruant. Tunc enim sunt uani & impij atq; idolatrici cultus: de quibus Christus pronunciat, frustra colunt me, docentes doctrinas mandata hominum. Huc pertinet doctrina scholasticorum theologorum, de satisfactiunculis humanitus præceptis: ut de certis precatiunculis, eleemosynis & ieiunijs. Item, de indulgẽtijs, purgatorio, & similibus expiationibus, in gratię cõtumeliam confictis. De Missa priuata, quæ dicitur ex opere operato ualere, ad impetrandam remissionem peccati, tam uiuorum q̃ mortuorum. Huc accense & uniuersum Monachatũ. Nã eius omĩs fiducia, ut prędictore, est uana & impia. iiii

Porro, ut fiducia operũ carnalis iusticiæ, tam a Deo q̃ ab hominibus præcepta, est impia: Ita omnis priuatę sapientię, diuitiarum & potentię fiducia. Ita regi impium est, fiduciam in pręsidijs armatorum & equitum habere: scripturæ testimonia sunt ubiq; obuia, & paulo ante quædã quę huc faciunt posui. In homine auaro, impium est, amorem & fiduciam pecunię habere. Et omnis hominũ sapientia, est stulticia corã Deo: nisi de qua Deus p̃cipit. Ideo stultũ est & impiũ ulli fidere: aut amare aliquã aliter q̃ donũ Dei, quo uelis uti ad gloriã Dei & proximi utilitatẽ, ac minimum abuti. v.

Homines plus timere q̃ Deũ, siue aliter q̃ Deus p̃cipit, est q̃q; species idolatrię. Sicut sunt q deficiũt a ueritate doctrinę uerbi dei, metu tyrãnorũ & p̃secutionũ. Quod ne qs faciat, Christus dehortãs, ait: Nolite timere eos q occidunt corpus, animã autẽ nõ possunt occidere. Sed potius timete eũ qui potest & animã & corpus perdere in gehennam. Matth. x. vi.

VII. Quibus non multum dissimiliter peccant, qui propter accepta scandala deficiunt: quę praesertim a moribus aliorum sumunt. Nam & Christus uult nos haerere in doctrina uerbi, etiamsi professores impie uiuant. Matth. xxiij. Et commune pręceptum omnes accepimus, ut nobis a pseudoprophetis caueamus: ne nos scandala doctrinae lędant. Sunt autem deteriores qui tantum propter opes, & priuata commoda, aut in hominum gratiam, deficiunt a uerbo: ac negligunt atq; cõtemnunt uerbum, & huiusmodi spinis suffocantur.

VIII. Est & arrogantia ac securitas in corporali prosperitate damnata corã Deo: & propter impiam fiduciam, quaedam species idolatrię. Qualem Christus describit, in eo qui dixit animę suae, Anima, habes multa bona, posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, lętare. &c. Tales enim plus fidunt opibus quam deo: ac sine timore Dei uiuunt. Imo nec credunt res humanas a Deo curari. Ideo non minus contumelia afficiunt Deum, atq; qui carnalis iustitiae fiducia superbiunt, & inaniter gloriantur.

IX. Est aliud diuersum genus a iam dictis: uidelicet eorum, qui in aduersitate & calamitatibus corporalibus abijciunt animum & desperant. Cũ deberent auxilium expectare a Deo: praeterea patientiam praestare in his afflictionibus, & fidem exercere. Nempe, quod bono nostro, a Deo affligimur. Sicut docemur Hebr. xij. Respicientes in ducem fidei & consummatorẽ Iesum. &c. Et Rom. v. inquit Paulus: gloriamur in afflictionibus. &c.

X. Sunt deniq; Idolatrę qui claudicant in duas partes: ac Deo se, una opera, & Idolis suis, (nempe rebus, quibus per fiduciam cordis, diuinum honorem habent.) se posse seruire, stultissima uanitate pręsumunt: ut supra de auaris dixi: quales tamen haberi uolunt ac credi, eximij cultores Dei esse. Sed istorum insaniam coarguens Christus, ait: Nemo potest duobus dominis seruire.

XI. Proinde a talibus non multum absunt, qui a Diuis expectant in calamitatibus adiuuari, et a Deo suo. Nec admoneri se patiuntur, quod per diuorum cultum, suo honore Deum fraudent. Quale exemplum refert scriptura, de cultoribus Baal: cum nemo peregrinum Deum colere possit, qui non recedat a Domino. Qui praeterea, ut solus est Deus in coelo & in terra, & solus nos adiuuare potest, & adiuuat tẽpore opportuno: ita solus uult hac opinionis & fiduciae adoratione coli a nobis. Nec in aliud totum cor uni sibi a nobis deposcit, ut Deu. vi. diliges Dominum Deum tuum toto corde, &c.

Diuorum impius cultus. Itaq; Diuorum cultus ideo impius est, quia tribuit hominibus honorem, qui proprie soli Deo debetur. Tribuit enim omnipotentiam illis: & exauditionem. Itẽ quod motus & cogitationes cordiũ nostrorũ inspiciant,

dant: quod est diuinitatem istis tribuere. Facit item ex hominibus media tores intercessionis, in coelis coram Deo: sine omni uerbo Dei. Et quoniam sacrae literę docent aduocatum intercessionis esse Christum ad dexteram patris in coelis: Item, omnia quorum usu opus habemus, donari inuocantibus propter Christum: quid istis somnijs mediatorum intercessionis hominum aliud efficit, nisi quod suus honor Christo detrahitur, & fides extinguitur?

Magicorum deniq;, & qui foedus cum Diabolo habent, crassa impietas, pugnat cum primo praecepto: & in genere eorum omnium, qui per cordis fiduciam a Deo recedunt, & in res alias illam ponunt. Vt qui fidunt certis signis, characteribus, statuis, sine & contra ordinationē Dei institutis. Alligant enim diuinam potentiam quidam ad lignea idola: quibus finguntuim quandam iuuandi calamitosos inesse, & praestare auxilium suis cultoribus.

Sed iam dudum satis est exemplorum transgressionis primi pręcepti: ex quibus intelligi potest, qualibus modis uioletur, etiamsi nemo unus omnes numerare possit. Ac potest ex ijsdem facillime colligi e regione, qui sint illi omnes modi, qui faciant ad primi praecepti impletionem. Nā praeter fugam iam memoratorum uiciorum, opera praecepta & requisita in illo bona, sunt: Deum uere timere, ut dictum est, & fiduciam bonitatis eius habere, propter seruatorē Christum. Neq; enim ob aliud nos respicit siue exaudit. Item, amare Deum: nempe, tam clementem, beneficum & propitium patrem. Agnoscere quod confessionem, gratitudinē & obedientiam ipsi debeamus: qui se totū ac gratis nobis offert ac donat Vt libeat nobis obsequi eius mandatis, cuius beneficijs tanquam filij dilecti fruimur: qui salutem nostram redemit, per unigeniti filij sui mortē. Nam omnis illa obedientia erga mandata Dei, cū fit eo fine, ut Deum honoremus, est opus primi praecepti: ita ut omnis transgressio, & omne peccatum, est quidam Dei contemptus, & uiolatio primi praecepti.

Modi impletionis primi praecepti.

DE POENIS VIOLATI DECALOGI: ET CONTRARIIS *praemijs, eorum à quibus mandata Decalogi, sine impijs opinionibus, seruantur.*

CAP. VI.

SEd haec hactenus pro intelligentia primi praecepti: cuius obedientiā utinam inspiret nobis Deus, ac faciat praestare. Nunc etiam de poenis uiolatae legis pauca quędam subijciamus. Ac primo satis constat plurimis testimonijs doctrinae Christi & Apostolorum, quod contemptū & transgressionem mandatorum Decalogi Deus aeterna morte punit. Require itaq; huius seueritatis & irae Dei praecipue testimonia Mat. v. xix. xxv. Gal. v. i Cor. vi. Eph. v. Luc. xvi. &c.

Nam Matth. v. Christus inquit: nisi abūdauerit iusticia uestra, plusquam scribarum & pharisęorum, non intrabitis in regnum coelorū. Nec

obscurum est Christum eo loco de obedientia erga Decalogũ loqui: quã ultra externorum operum obseruationem, pręstemus cum aliqua cordis puritate. Et ad Gal. v. dicitur: Manifesta sunt opera carnis, quę sunt adulterium, fornicatio, immundicia, lasciuia, Idolorum seruitus, ueneficia, inimicitię, contentio, ęmulationes, iræ, rixę, dissensiones, sectę, inuidię, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prædico uobis, sicut et prędixi, ꝙ qui talia agũt, regnũ Dei nõ consequent. &c.

Sed quanq̃ transgressio mereatur poenam æternę mortis: obseruatio tamen non promeretur æternam uitam. Primum, quia remissionem peccati & æternã uitam Deus propter aliud donat: uidelicet, propter Christum, quatenus credimus in eum. Deinde, quia obedientia operis nostri est adhuc imperfecta, nec satisfacit legi: placet tamen Deo illa inchoata obedientia, quia per fidem beneficiorum Christi operamur. Et sine impijs opinionibus resistimus peccato: non. n. ut remissionem peccati & uitam æternam nobis mereamur, sed ut gloriam gratię Dei ornemus. Ita placemus deo, cum proficere in bonis operibus studemus, hoc solo fine quod cupimus Deo obedire: & gloriæ Christi seruire.

Etsi autem operibus legis nemo remissionem peccati, aut iusticiã aut æternam uitam mereatur: tamen alia ingentia pręmia illis operibus consequimur: uidelicet, corporalia & spiritualia in his terris, & quędam ęterna in coelis. Effugiunt præterea multas corporales poenas, aut certe mitigationem corporalium poenarum sibi & alijs merentur, qui in iusticia legis non impie seruiunt Deo. Id est, sine pharisaicis opinionibus. Quemadmodum in corporales poenas incidunt ultra poenam æternæ mortis, qui Decalogi mãdata arroganter & sine poenitẽtia uiolãt & contẽnunt.

Sic ergo de poenis & pręmijs corporalibus & temporalibus lex in genere cõtionatur, Exo. xx. Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes, uisitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem, eorũ qui oderunt me: & faciens misericordiam in milia, his qui diligunt me, & custodiũt p̃cepta mea. Lõge aũt copiosius Leuit. xxvi. & Deu. xxviij.

Proinde recte existimant, qui sentiunt neminem a Deo ęterna morte, propter aliena peccata, puniri: sed unumquẽq; propter sua peccata & proprias transgressiones. Sicut impoenitentiam & incredulitatem punit: etiã si quorundam peccata tẽporalibus plagis usq; in tertiam & quartam generationem persequatur. Sicut e contra statuendum est, neminem saluari ęterna uita, nisi per propriam iusticiam & fidem. Abac. ij. Deus enim a singulis & fidem & poenitentiam requirit: & transilientes damnat. Etiamsi alienę iusticię merito frequenter corporalia beneficia, & quędam spiritualia alijs conferat: atq; adeo multis milibus hominum.

In summa, quisquis credit in Christum Iesum & agit poenitentiam efficitur saluus a peccato & a morte: qui uero non credunt euangelio, nõ

possunt

possunt saluari. Hæc enim est propria euangelij doctrina, quod Deus peccata remittat poenitentiam agentibus & credentibus in promissiones gratiæ per Christum: Luc. ult. Incredulis autem, & obstinacibus illis ac duris & sine poenitentia agentibus, nulla remittat. Sed poenarũ & prꝙmiorum corporalium & temporalium alia ratio est. Nam illæ recidunt ab unius peccato in plures.

Contingere autem corporalia prꝙmia operibus iustorum, prꝙter supradicta testimonia, etiam illud Pauli docet, quod est Eph. vi. Filij obedite parentibus uestris, in Domino. Hoc enim iustum est. Honora patrẽ tuum & matrem tuam, quod est mandatum primum cum promissione: ut bene sit tibi, & sis longæuus super terram. Significat enim corporales necessitates & temporalia commoda, ut uictum, eruditionem, bonam ualetudinem, longiorem uitam, fertilitatem terrꝙ, pacem & tranquillitatẽ, dari propter obedientiam erga parentes. De spiritualibus uero prꝙmijs, quæ contingunt his qui iusticiꝙ bonorum operum student, pulchre erudit nos exemplum Cornelij: de quo in actis apostolicis cap. x. Deniq; & Christus illis loquens, qui persecutiones suo & euangelij nomine perferunt, ait: Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in coelis. Matth. v. Eo ipso docens, nulla opera iustorum bona, nõ habere sua prꝙmia in coelis: sicut copiosius docetur Mar. x. Et Luc. xvi. dicitur: facite uobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula: quod nisi de prꝙmijs bonorum operum, quꝙ iustis reddentur in coelis, non potest intelligi, sicut copiose satis exponitur Matth. xxv.

Cæterum prꝙmia corporalia & spiritualia, dari alijs alienꝙ iusticiꝙ mẽrito, id est, aliena fide, docent plurima exempla in historia euangelij: quale habes Matth. ix. de quodam paralytico, cui & fides remissionis peccati impetrata est, & sanatio corporalis. Testantur item promissiones de inuocatione sanctorum: ut illa Matth. xviij. Si duo ex uobis cõsenserint super terram, de omni re, quamcunq; petierint, fiet illis a patre meo, qui in coelis est. Item illud Pauli i. Timoth. ij. Adhortor igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, qui in sublimitate constituti sunt: ut quietam & tranquillam uitam agamus, cum omni pietate, & grauitate. Hoc enim bonum est & acceptum, coram saluatore nostro Deo: qui omnes homines uult saluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire.

Ergo comminationes poenarum absterreant nos, ne mandata Decalogi uiolemus. Qui enim uiolant, sibi exitium ꝙternꝙ mortis acquirunt, iuxta supra posita testimonia. Deinde incurrunt simul in multas corporales calamitates & plagas: atq; adeo spirituales excꝙcationis, indurationis & reprobꝙ mentis. Sicut dicit Deu. xxviij. Percutiet te Dñs amentia

& cęcitate, ac furore mẽtis: ut palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris, & non prosperabitur uia tua. Nam hæc nimirũ intelligẽda sunt, de spirituali poena excęcationis in corde & indurationis: qua percutiunt increduli & impoenitentes, ne qñ uerꝫ uideãt, intelligãt, fide recipiãt ac salui fiãt: propterea ꝙ mãdata dei aliquãdo pręfracte contẽpserunt.

Deniqꝫ, quoniã peccati poenę per plures eunt, fit sæpe, ut unus homo caussa existat uariarꝫ calamitatum & exitij alijs multis. Non in corporalibus poenis tm̃: sicut propter Dauidis peccatum, tota gens iudaica attrita est & afflictata, sed quod longe grauius est, in spiritualibus quoqꝫ: sicut testatˀ dissolutio & discordia duorum regnorum, & impiorum cultuum in Israel. Quę omnia secuta sunt in poenã Idolatrię Salomonis. Hæc ergo grauitas irę, ultionis & iudiciorꝫ Dei maxime metuenda est homĩ: & cauendum sollicite, ne se calamitatis & exitij aliorꝫ faciat caussam. Nã tantis malis occasio esse, est impietatũ omnium summa impietas: & meretur quælibet extrema.

Rursus pollicitationes pręmiorum inuitent nos ad obedientiam erga mãdata Dei. Nam qui sine pharisaicis opinionibus legẽ faciunt, & iusta ratione pręmia petunt, multis grauibus malis se & alios liberant. Mitigat enim Deus poenas temporales propter poenitentiã iustorũ: aut prorsus finit eas, iram suam auferens. Sed & ingentia pręmiorꝫ beneficia, sibi & alijs conquirunt ac merentˀ. Confert enim Deus plurima corporalia bona hominibus in hac uita, propter poenitentiam iustorꝫ: ut necessaria alimenta, pacem & concordiã, successum & prosperitatẽ in rebus gerendis, & his similia. Deniqꝫ, quod longe preciosius est, uerbi gratiæ lumẽ & cognitionem donat, propter eos qui iusticiæ legis pie studẽt. Sed pręmia illa æterna in coelis nulli contingunt, nisi propter suam iusticiã. Hæc ergo tantæ caussæ faciant, ut honorifice & sentiamus & loquamur de bonorum operum iusticia: etiamsi uerum est, quod ex operibus legis non iustificatur omnis caro coram Deo.

Non igitur nihil est bonorum operum iusticia, præstita sine pharisaicis opinionibus, ab homine minime arrogante, & credente in Deum, per seruatorem Christũ Iesum. Hoc est, si primo omnium non quęrat iustificari ex lege: si non principaliter præmia petat, & gloriam Dei pluris faciat, quam suam utilitatem. Iusticiam autem & salutem quærat a Christo: expectatione tamen præmiorum exerceat fidem. Nam & in promissionibus præmiorum exercenda est fides: & ea agenda sunt, per quæ ad pręmia perueniri possit. Alioqui certe, bona pars promissionum Dei, & exercitiorum pietatis, euacuabitur. Dicit enim scriptura: date & dabitur uobis. Remittite & remittetur uobis. Item, cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem: ut & pater uester, qui in coelis est, dimittat uobis peccata uestra. Et uulgata sunt illa Matth. v. Beati misericordes,

sericordes, quoniam misericordiam consequentur: & his similia alia. Et per prophetam in psal. loquitur Dominus: Inuoca me in die tribulationis, & exaudiam te, & glorificabis me. Sed ut talium promissionum est innumera multitudo, quæ pollicitationibus premiorum excitant fidem nostram: ita ubiq; obuia est, & nota omnibus.

Nihil uero in hac doctrina pœnarum & premiorum, contra euangelij promissiones, de gratia & fide in Christum, docetur. Nam mors æterna sequetur haud dubie omnes eos, qui non perueniũt ad fidem in Christum: nec alia ratione liberabimur a peccato et a morte quam per fidem in Christum. Quia remissio peccati & æterna uita sunt gratuita dona Dei: & accipiuntur ac possidentur per solam promissionum euangelij fidem. Quapropter in doctrina iustificationis & æterne salutis aliter loquendũ est de operibus nostre iusticiæ, quam in pœnitentiæ doctrina: siue cum agitur de operibus iustorum, aut certe eorum qui sine impijs opinionibus & cum studio proficiendi in uera pietate operantur & legem faciũt. Sicut Cornelius. Nemo enim per opera sua potest iustificari, aut saluus fieri, coram Deo: etiamsi piorum opera quedam accipiant sua præmia a Deo. Huc ergo facit illud prophetæ in psal. Et ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia in conspectu tuo non iustificabitur omnis uiuens. Item illud Christi, Luc. xvij. Cum feceritis omnia, que præcepta sunt uobis, dicite, serui inutiles sumus, quod debuimus facere fecimus. Et Pauli: Ex operibus legis non iustificatur ulla caro coram Deo.

Quod uero Matth. cap. xxv. dicitur, Venite benedicti patris mei, possidete paratum regnum a constitutione mundi: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare. &c. Id significat, præmium & mercedem consequi in cœlis eos, qui ex fide operati sunt & iusticias legis fecerunt. Christus enim eos laudat, qui credentes euangelio, ea quæ dilectionis sunt præstiterunt: non laudat incredulorum iusticias. Discernit autem ueram fidem, a ficta & a mortua rationis opinione, signo dilectionis. Nam & Paulus docet ueram fidem, rem esse efficacem dilectione. Gal. v. Rursus ipse quoq; Christus, ut scribitur Ioan. xiij. inquit: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis inter uos mutuam. Sed incredulorum iusticiæ magis dignæ sunt æterna morte, q̃ præmijs: tantum abest ut præmia sint habituræ in cœlis. Nam quia superbe, arroganter, & impie sentiunt de iusticijs suis, necesse est ut iudicijs Dei humilientur: iuxta illud: omnis qui se exaltat humiliabitur. Luc. xviij. Hoc enim humiliari, est reprobari a Deo, ac reijci a gratia & condemnari, ita ut illi reprobo pharisęo accidit, in quem dictum est, omnis qui se exaltat humiliabitur. Quia in iusticias suas confidebat, & arrogãter de illis coram DEO gloriabatur: quasi perfecte sanctus & beatus propter eas. Atque ita iudicabuntur omnes, qui in iusticiam gratie non

credunt: quęcunq; tandem operentur. Ioan. iij. Qui credit in filium Dei, non iudicatur: qui autem non credit, iam iudicatus est. Sed hæc hactenus de pœnis malorum operum, & præmijs bonorum: occasione comminationum & promissionum legis.

SEQVITVR ENARRATIO SECVNDI
præcepti de iusticia Oris:
Non assumes nomen Domini Dei tui in uanum.

CAP. VII. AB interiore iusticia, quæ est cultus mentis, siue cordis, fons & caussa omnis externæ pietatis, & cultuum in operibus & factis bonis, proxime fit transitus ad oris iusticiam: quæ complectitur tria pręcipua capita, uidelicet confessionem, Inuocationem, & glorificationem. Quamquam glorificatio sit genus ad omnia quæ in cultu nominis Dei præstari possunt: nos tamen hac diuisione docendi gratia utemur. Ad confessionem autem potissimum referemus prædicationem & doctrinam: ad glorificationem uero, & fidem iurisiurandi, & gratiarum actionem.

Quamq̃ enim Lex negatiue loquatur, & secundum literam prohibeat solum diuini nominis abusum: tamen eo ipso pręcipit & de recto, iusto ac pio aliquo eius usu, ut illo sanctificetur. Sicut oramus, sanctificetur nomen tuum: nimirum propter præceptam Dei uoluntatem. Nam hęc

Negatiua. est negatiuæ uis in mandatis Dei, non solum prohibere quædam opera mala: uerum etiam contraria bona, per absconditam affirmatiuam exigere, ita ut supra expositum est. Vt cum lex dicit: nõ admittes adulterium, requirit temperantiam & castitatem: nec permittit, nisi proprię coniugis usum. Includitur ergo affirmatio in negatione: & negatio grauissime nos accusat. Significat enim cohærere nobis & congenita esse certa quædam uicia & peccata, per quæ propensi sumus ac procliues ad mandatorum Dei transgressionem. Affirmatio autem docet nos de contrarijs operibus bonis: quam pluribus scripturæ testimonijs colligere est expressam esse, a Christo, prophetis & Apostolis, ad intelligentiam & elucidationem omnium mandatorum Dei.

Itaq; necessaria ratio est, cum lex utrumq; doceat: & declinare uidelicet a malo, & facere bonum. In malo quod prohibet lex, est abusus rei bonæ: qui solus in omnibus mandatis damnatur. In operatione uero boni, est usus rei rectus, decens, iustus, pius ac necessarius. Dicam autem primo de illo recto & iusto diuini nominis usu, sanctificatione & honore: postea uero & de abusu nominis, qui fit cum illius impia & noxia homini prophanatione. Est igitur duplex necessitas assumendi

Necessitas assumendi nominis Dei. nominis Dei, recte, iuste, pie ac sancte. Prior est, ut DEO sua laus & gloria reddatur a nobis: altera & posterior, ut illa redditione debiti honoris,

noris, nostræ saluti consulatur. Hoc enim fit per rectum & debitum nominis usum: tunc enim adplicatur & trāsfertur ad nos omnis gloria dei, ut operantem & sanctificantem Deum in nobis patiamur. Nam illæ duæ caussæ assumendi nominis sunt coniunctæ: nec possunt diuelli. Quia nemo potest Dei nomine iuste ac pie uti, cui hoc nō cedat in caussam suæ æternę fœlicitatis. Quemadmodum nec abuti quis diuino nomine potest, sine damno & detrimento suæ æternę salutis.

Cæterum, nominis adpellatio, complectitur omnia quæ sunt Dei: ut quę gloriose de Deo dici possunt, & utiliter prædicari apud homines, ac quibus uoluit innotescere & celebrari. Quod est uidelicet, unus, trinus, æternus, & omnipotens Deus: pater, filius & spiritus sanctus. Solus uere sapiens, iustus, uerax, bonus, clemens, misericors & propitius: imo ipsa sapientia, iusticia, bonitas, lumen, ueritas, clementia, misericordia, propitiator & propitiatio. Conditor cœli & terræ: uisibilium omnium, & inuisibilium. Nec conditor solum, uerum etiam gubernator & conseruator rerum omnium: qui dat nobis escam, potum, indumenta, & omnia quorum usu in hac uita opus habemus. Denique omnibus, qui bonitati & misericordiæ eius fidunt, est placatissimus pater, per Iesum Christum. Hæc igitur sunt fere diuina prædicata illa, secundum quę Deus uult agnosci a nobis: & agnitus coli ac celebrari, per iusticiam oris. Id est, per confessionem, doctrinam, prędicationem, inuocationem, glorificationem, laudem & gratiarum actionem. Tum eo modo, iusticiam, pietatem, sanctificationem & æternam salutem in nobis operari. Nomen Dei.

Sed iam seorsim de his singulis partibus, quibus Dei nomine fœliciter utimur, dicā. Ergo prima confessio, de qua Paulus dicit, Corde creditur ad iusticiam, orę autem fit confessio ad salutem, tribuit Deo omnem illam nominis gloriam & honorem, de quo iam dictum. Eius autem est pulcherrimum exemplum, in symbolo illo, quod dicitur Apostolorum: & suo loco nonnihil a me explicabitur. Dixi autem, in confessione precipue includi prędicationem & doctrinam. Omnino enim uersantur circa res easdem: uidelicet, circa annunciationē unius Dei & Domini omnium. Item circa creationis & redemptionis fidem. Denique circa pœnitentię prędicationem. Habet autem hunc usum tam confessio, quam doctrina, ut qui Deum nondum cognouerunt, illa externa professione Dei inuitentur, ut etiam ipsi agnoscant esse DEVM, tum illum Deum esse creatorem omnium & iustificatorem & saluatorem. Denique, ut illius agnitione & fide timeant DEVM, agant pœnitentiam: & in iusticia fidei & morum studeant proficere. Confeßio.

Sed in hac confessione & doctrina quam dico continetur & huius professio: uidelicet, nos homines esse multis modis uanos atque impios peccatores. Item, nasci cum peccato, esseque irę filios, & ęternę dānationis

reos. Ac nisi renascamur per promissionum euangelij de gratia in Christo fidem, nunquam posse saluari a peccato. Nihil facere ad meritum gratiæ & salutis, ullas ullorum hominum iusticias. Nam promissiones gratiæ gratuitas esse: & per solum Christum dari ac contingere illis, qui credunt in eum. Quare arduum est & difficillimi laboris, hanc confessionem gloriæ, Deo patri & seruatori Christo Iesu debitam, intrepide & constanter reddere: quia cæcus, impius, ingratus, blasphemus & arrogans mundus, odit & persequitur illam. Itaque confessio hæc & doctrina, seu professio eorum quæ dixi, trahit secum crucem, & persecutiones: neque tamen licet detrectare confessionem ullorum periculorum terrore ac metu: sed oportet constanter gloriam Dei profiteri, etiamsi occidamur, sicut docemur Matth. x. Luc. xij. & alijs multis locis scripturæ. Sed nihil temere præsumendum est, in confessione: sed omnia cum summa reuerentia & timore nominis Dei, bona conscientia, studio glorificandi Deum & seruiendi hominibus. Item cum firma fiducia accipiendi auxilij diuini: ne forte in confessione non consistamus.

Inuocatio non aliter maxima uirtus est: quam soli, qui uere in Deum crediderunt, possunt pure præstare. Nam inuocare Deum, est animo per omnia tranquillo, securo ac certo, de propitia uoluntate Dei, in qualibet necessitate confugere ad Deum, & per precationes postulare necessariarum & utilium rerum præstationem: atque adeo per deprecationes peccati & delictorum remissionem orare, & auersionem periculorum, ut sunt quæ nunquam non imminent plurima mala: denique nihil dubitare, quin omnes petitiones nostræ apud DEVM exaudiantur. Et quoniam sine hac fide, neque pie neque utiliter inuocamus Deum, additæ sunt præcepto de inuocatione multæ promissiones, quibus fides nostra erigatur & fulciatur: adhæc datus est mediator promissionum CHRISTVS Iesus, propter quem petitiones nostræ exaudiuntur.

Inuocatio.

Huc ergo faciunt multæ promissiones quarum aliquot hic subscribamus: ut illam, Ioel. ij. Omnis quicunque inuocauerit nomen DOMINI saluus erit. Item illa, Matth. vij. Petite, & dabitur uobis. &c. Prodest ergo usu quotidiano huiusmodi consolationes, & euangelium de Christo tritissimum habere: quare prædictis & illas sequentes promissiones coniungamus, psal. xc. Quoniam in me sperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Ps. l. inuoca me in die tribulationis: & eripiam te & honorificabis me. Et psal. cxlv. Voluntatem timentium se faciet, & clamorem eorum audiet & saluabit eos. Prouer. xviij. Turris munitissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, et erigetur. Matt. xxij. Omnia quæcunque petieritis patrem in oratione, credentes, accipietis. Ioan. xvi. Si quid petieritis patrem in NOMINE meo, dabit uobis.

His ergo talibus promissis roboratur fides nostra. Nam sine tali-

bus,

bus, & sine mandato & uoluntate dei, nulli liceret ullam rem a Deo postulare. Deus autem, quia salutis nostræ rationē habet, iubet ut petamus: & postulantibus in fide promittit exauditionē. De petendis aūt in precationibus nostris & inuocatiōe docet nos Christus, Matth. vi. Breuis quidem formula est, precationū necessariarū & utilium instituendarum ad Deum: sed absolutissima. Quam tenere oportet, & meditatissimam habere, in usu petitionū & inuocatione. Nec quid indignæ rei a Deo nobis petamus, aut pugnans cum eius uoluntate. Ideo & eam formulam precandi, seu inuocandi Deum infra breui enarratione percurram.

Glorificatio refertur a Christo in genere ad quoduis studium gloriæ Dei ampliandæ & illustrandæ: Ideo cōplectitur ea omīa, quæ faciunt ad diuini nominis honorē. Sed ratio docendi facit, cur hanc distrahamus a confessione & inuocatione: cum generaliter & confiteri & inuocare, sit Deum glorificare. Sed sine hac generali consideratione, glorificationem existimemus esse, primo omnium uitare ac fugere quamlibet prophanationem nominis Dei: Id est, quaslibet blasphemias & scandala. Ne cui noxius sis, aut per impiam doctrinam, aut prauæ uitæ conuersatione: quin potius cures recta docere, ac prælucere aliis bono uitæ exemplo: ut etiam ipsi prouocati & ueluti impulsi omni studio propensius ornent nomen & gloriam Dei. Fidem iurisiurandi religiose seruare: & gratias agere Deo, pro beneficiis in nos & alios collatis. *Glorificatio.*

Ergo glorificare, est ab homine sua consilia dicta & facta eo referri omnia, ut honori diuini nominis, & utilitati proximi seruiatur. Blasphematur enim nomen & gloria Dei occasione scelerum & nequiter factorum: sicut e regione per occasionem rectorum consiliorum & factorum a plurimis glorificatur. In summa glorificare, est non solum operam dare, quomodo te ipsum custodias ac serues immaculatum & sanctum, cultui diuini honoris in omnibus deditus, uerum etiam, conari, ut eodem pietatis & alii inuitenē ac trahanē, ubi similibus studiis ornēt gloriā dei: iuxta illud Christi: sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrem uestrū qui in cœlis est. Sed adiiciamus hic seorsim quædam, & de gratiarum actione: quæ cum confessione & glorificatione habet magnam affinitatem. Confessio enim est quędam perpetua laus Dei, & gratiarum actio: & confiteri ac gratias agere, est glorificare Deum.

Proinde laudamus Deum & gratias agimus, pro quibuslibet in nos beneficiis eius: tum corporalibus & spiritualibus, tum etiam pro æternorum promissione. Ideo habet magnum fidei exercitium, & debet esse quottidiani usus: Eius autem in psalmis extant multa pulcherrima exempla. Sed hic monendi sumus, uidelicet, hominis Christiani esse, pro ipsis quoq; correptiōibus, calamitatibus, morbis, ęgritudinibus, af *Laus & gratiarū actio.*

flictionibus, cruce & persecutionibus, gratias agere Deo: ut quibus ille nos erudit atq; emendat, retrahens a peccando, ne nos damnatio absorbeat. Ideo beneficij loco ducũt corripi à Dño: sicut docemur Hebr. xi. & magnę glorię & summę foelicitatis est pro nomine Christi persecutiões pati. Matth. v. i Pet. iiij. Quia dum iudicamur a Domino, corripimur: ne cum hoc modo damnemur. i Cor. xi. Et gloriosæ sunt persecutiones, quas pro Christi gloria sustinemus. Rom. v.

In hoc uero summo gradu laudis Dei, quid possit præstare infirma caro, quid attinet dicere? Debitum perfectę iusticię audimus: sed interim nemo est, qui illi satisfaciat, aut possit satisfacere. Ac docent clarissime plurima Israelitarum exempla, non posse naturam afflictam bene sentire de Deo: siue in calamitatibus & aduersis, propitiam uoluntatẽ dei intueri, agnoscere, & bene ac bona sperare. Multo minus gaudere potest, aut gratulari sibi, tribulationibus probata, exercitata atq; attrita. Ergo in dictis omnibus usibus nominis Dei, occurrunt nobis magna, maxima, ualida et ualidissima fidei exercitia: quibus satisfacere sua uirtute quisquis se posse dicit, aut somnians loquitur, aut ioco, aut ueritatis & uirium suarum ignarus est: aut deniq; contemnit & irridet præcepta Dei.

De iuramentis. Sed quæritur pręterea circa huius mandati enarrationẽ, utrum liceat iurare homini Christiano: & quæ nã iuramenta oporteat seruare, & quę tanq̃ illicita rescindere. Igitur iusiurandũ esse Christianis concessum, clare testatur illud Deu. vi. Dominũ Deum tuũ timebis: & illi soli seruies. Ac per nomẽ illius iurabis. Docet em̃ locus ille quod si quando sit præstandũ iusiurandũ, illud non pręstetur tamen, nisi per nomen Domini: id est, nisi accito in testimonium ueri nomine Dei, quem nemo uelit falsi & iniquæ rei testem facere. Non enim licet in iuramentis hoc pacto, ueritatis honorem, ulli alij rei habere, quam nomini Dei. Iam uanum esset, de hac ratione iurandi docere, nisi licitum esset, imo iustum ac pium, in re pia, honesta & necessaria, iuramentum præstare.

Sunt aũt pia, honesta, utilia ac necessaria iuramẽta, q̃ a Magistratibus deferunt: q sine pręstatiõe iuramentoꝝ, q̃ pręcipiunt, nec officiũ facere, nec dijudicare cõtrouersias, aut finire lites, possent. Iuxta illud, Hebr. vi. Omĩs cõtrouersię finis ad confirmationẽ est iuramentũ. Licet ꝑterea iurare, quin etiã iustũ est & piũ, si qñ iubet uocatio & casus in q̃ seruit glorię Dei. Ita em̃ legimus & Apostolos iurasse. Nã Paulus inqt: ego testẽ Deũ inuoco aduersus animã meã. In summa, honor diuini nominis, & proximi seu priuata seu publica necessitas, cogunt nos uti iuramentis. Quod uero obijcit illud Christi: ego dico uobis, nõ iurare oĩo: id non intelligẽdum est, nisi de temerarijs iuramẽtis, siue quę pręstãt homines sine Magistratus autoritate: nec cogente uocatione, aut honore dei, aut proximi necessitate. CHRISTVS enim singulos docet de priuata iusticia: & requirit, ut summa innocentia ab omnibus custodiatur.

Ideo uetat iurare: id est, temere & sine caussa iurare, sine reuerentia & diuini nominis honore.

Si uero promittas quid, quod seruare & facere sit pctm̃, ac pugnet cũ uoluntate Dei, ac sine peccato pręstari non possit, res ipsa clamat de huiusmodi impio iuramento, & stipulatione poenitẽtiam esse agendam: tũ quod pollicitus sis te pręstaturum, id minime præstandum esse: etiamsi iureiurando te astrinxeris. Impium enim & blasphemum facinus fuit, illud Herodis, quo fingebat se inuitum interficere Ioannem: sed religione iurisiurandi coactum. Eiusdem rationis sunt impia illa uota Monachorum & cęlibatus in papistico regno, quia per impias opiniones detrahũt honori Christi & abolent fidem: ideo sunt irrita, & seruari non debent. *Monachorũ uota non seruanda.*

DE PECCATIS QVAE PVGNANT CVM *secundo præcepto.*

HAEc de potiore legis parte, nunc paucis admonendi sumus, de peccatis & transgressione quę proprie pugnant cum secundo pręcepto Ergo occurrunt primum omissiones in opere bono: ut est, non confiteri doctrinam pietatis, corã aduersarijs eius. Impias doctrinas serere, & tueri: ueras corrumpere, cauillari & obscurare. Non inuocare, neq; gratias agere: & omittere glorificandi Dei studium. Inuocare dæmonia, aut sanctos: & alios impios cultus instituere, uel receptos ab alijs retinere. Maxime uero pugnant cum hoc pręcepto blasphemię & conuicia eorum qui Deum esse negant aut curæ esse illi res hominum. Item, irridentium euãgelium & ueros Dei cultus: & in suos impios cultus dei honorẽ & gloriam transferentium. Et breuiter, omnia scãdala, quibus obscuratur gloria Dei, & fides in infirmis obruitur. Deniq; periuria, pactorum & conuentorum uiolationes: Item execrationes, quæ præsertim in alios dicunt cum inuocatione nominis Dei. Scilicet, ut pro uotis impijs sit noxius alijs: in quo est mirabilis leuitas & contemptus Dei. Et ab his exemplis facile est de similibus alijs iudicare. Neq; enim possunt omnes blasphemiæ hic numerari.

DE COMMINATIONE.

EST autem & cõminatio huic præcepto adiecta, propter horrenda illa peccata, quæ contra illud pugnant, de quibus iam dictum est. Videlicet illa: Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui inuanum. Hæc ergo semper habuit testem experientiam: sicut in poenis blasphemorum & seditiosorum frequẽter cernimus. Et ut nunc in cladibus Anabaptistarum uidemus, quorum seditiosi tumultus reuera pugnant cum diuini nominis honore. Nec potest dubitari, quin etiam illi daturi sint DEO debitas poenas, qui hoc tempore gloriæ Euangelij contradicunt, & doctrinam ueritatis deprauant. Sed & uidetur non longe abesse, dies ille DOMINI

Iesu: in quo abolebit oẽm aduersariam potestatem, redacturus in sterquilinium & puluerẽ oẽm illam gloriã, qua nunc florent ac fidũt sui inimici.

Est autem in hac ipsa comminatione, & abscondita gratię promissio: sed de qua facile iudicare est, iuxta supra dicta. Significat enim, adiuuare Deum & fortunare illos, a quibus per diuini nominis honorẽ debite colitur. Nihil enim significat comminatio, nisi blasphemis & prophanatoribus Deum aduersari, ac punire tales: & e contra iuuare & pręmijs afficere diuini honori seruientes. Ideo bonos consolatur, improbis autẽ extrema quæcq; impendere prædicit.

SEQVITVR ENARRATIO TERTII PRAECEPTI.

Memento, ut diem sabbathi sanctifices.

CAP. VIII. NOn de ocio seu quiete ac cessatione laboris diei sabbathi, pręcipitur proprie in hoc mandato: sed de sanctificatione sabbathi. Id est, de ocio propter alterius & melioris rei finem & usum. Sabbathum enim propter cęrimonias fuit institutum: & omnes cęrimonię potissimum seruire debuerunt ad honorem doctrinæ uerbi Dei. Quapropter ocium corporale per se non magnam utilitatem adferre homini posset: & ad pietatem coram Deo nihil plane momenti habet. Ideo pharisaicas opiniones istas, quę fingunt sabbathorum multiplicationem per se utilem esse, cultum esse, Deo honori esse, & ualere in genere omnes cęrimonias ex opere operato ad meritum remissionis peccati & pœnæ, toto corde detestamur. Nam etiam Paulus istas impietates & uanitates reprehendens ac damnans, inquit: Dies obseruatis, &c. Metuo uobis, ne frustra laborauerim apud uos. Nec possunt meliorem usum habere cærimoniæ humanitus inuentę, quam illæ quæ olim traditę sunt a Deo. Quapropter etiam insania est hominum cęrimonijs tribuere, quod nemo potest cęrimonijs diuinis, recte unquam tributum fuisse, docere.

Alia igitur caussa est, quæ faciat diei dominici, & aliorum festorum ac cærimoniarum obseruationem, apud Christianos laudabilem, utilem & necessariam: nimirum, necessitas docendi ac discendi uerbum Dei. Et ut ocio & quiete frui nos sinat Deus, tamen cęrimonię sabbathorum per se non sunt cultus: nec seruiunt honori Dei, nisi quatenus seruiunt ad prædicationem & doctrinam uerbi Dei, & uerbum ipsum ornant. Cęrimoniæ autem impiorum etiam deformant gloriam Dei: & ut fidem, ita ecclesias abolent. Non enim Ecclesia sunt, sed cœtus impiorum, ubi cęrimoniæ seruantur his impijs opinionibus, de quibus supra dixi. Hæc autem una ratio facit ad ecclesiarum conseruationem, incrementum & consummatam saluationem, doctrina uidelicet, & cognitio uerbi Dei.

Esto autem, ut lex Christianis nihil pręcipiat de diei septimi obseruatione, de certis sabbathis, aut cęrimoniarũ cultu: tamen, quia in euãgelio præcipitur de doctrina & prædicatione uerbi Dei, retinentur in genere

aliqui

aliqui dies festi & cerimoniarum obseruationes, propter hanc necessariam caussam, ut sciat plebs quando & ubi conueniendum sit ad uerbi Dei prædicationem. Nam sine huius cognitione & fide, ne Christiani quidem esse possemus. Hæc ergo ratio sabbathorum apud Christianos, est pia, utilis & necessaria: & uere quidam cultus Dei. Facit enim ad diuini nominis honorem & ad conseruationem ecclesiarum, ut dixi. Ideo et qui contemnunt seu uiolant hæc Christianorum sabbatha, & sine iustis & necessarijs caussis alijs occupationibus seruiunt, quam discendo uerbo Dei, peccant mortaliter. Nam & Deum contemnunt, & homines malo exemplo offendunt.

Vide nunc concinnum ordinem in mandatis Dei. Primo præcipitur de interiore cultu, & iusticia cordis: mox de proximo illius effectu, de confessione uidelicet & doctrina omnis gloriæ Dei: Item de inuocatione & glorificando Deo. Sed ut diuini nominis honori recte seruire possimus, adijcitur præceptum de cærimonia sabbathorum: hoc fine, ut in diebus sabbathorum de uoluntate Dei doceamur, & ut illum deū, in omnibus actionibus totius uitæ nostræ, glorificare discamus. Complectitur enim glorificatio nominis Dei, & morum iusticiam nostram: qua gloriam gratiæ ornemus, & doctrinam ipsam apud omnes reddamus gratiorem & commendatiorē. Hæc est præcipua caussa sabbathorum: nec alia potior spectari aut quęri a Christianis debet aut potest.

Hunc ergo sabbathorum usum & scripturæ exempla commendant & clare docent, in quibus legitur de caussis institutionis sabbathi & feriarum. Nam significationem habuerunt, aut pręstitorum beneficiorum Dei, aut præstandorum: atq; ita fidem exercuerunt & retinuerunt in iudaico populo, & cōtinuam prædicationem & doctrinam uerbi Dei, beneficiorum & uoluntatis eius postularunt. Quo nisi ualeant cærimoniæ & constitutiones sabbathorum etiam apud Christianos, magis sunt perniciosæ, quam laudabiles aut utiles. Exempli gratia, Gen. ij. & Exo. xx. Vbi pręcipitur de cęrimonia sabbathi, constitutio loquitur tanquam de signo & memoriali creationis omnium rerum, quę facta est a Deo: hoc fine nimirum, ut populus disceret fidem habere, timere deum, pręceptam uoluntatem facere, & corporalia bona expectare a deo. Hęc pia & utilia exercitia etiam nunc retineri debent. Nec enim licet obliuisci beneficiorum creationis apud Christianos: & si quis doceat eos occasiōe sabbathorum de illis beneficijs, ac iubeat eorum sabbatha tanquam pro signis creationis rerum haberi, qualia fuerunt apud Iudęos, non peccabit. Quinetiam cultus erit, religiose hac de re occasione sabbathorum cogitare, expectare beneficia a Deo: quoniam illi curę simus, tanquam creatori; qui nos respiciat, uidelicet suum plasma & opus, & in quibuslibet necessitatibus corporalibus iuuet. Et sic mandata Dei discere, & timore

Origo & caussæ sabbathorum apud Iudæos.

dei recedere a malo, & ad glorificandũ Deũ modeste, iuste & pie uiuere.

Deu. v. additur memorabilis alia caussa sabbathorum: uidelicet, memoria beneficij liberationis ex horribili illa seruitute Aegypti, populo Iudaico peculiariter pręstiti. Necꝙ enim licuit illius obliuisci, in quo & nota fuit & signum unius ueri Dei: & testimonium, quod Deus sui populi non obliuisceretur, sed respiceret illum, & promissa seruaret. Valuit ergo illius bñficij memoria, ad confirmationem fidei promissionis, de uenturo in iudaico populo Christo. Nec inutile est, uel hoc tempore de his bñficijs Dei Christianos docere, etiamsi iudaico populo pręstitis: sed si admoneas eos ueritatis promissorũ, secundũ quæ Deus exhibuit Christum, & uniuersum genus hominum per Christũ ex alia longe horribiliore seruitute, ꝙ̃ illa in Aegypto populi iudaici fuit, liberauit, redimens illud a pctõ uidelicet & æterna morte. Et certe, qui initio transtulerunt apud Christianos sabbathum a septimo in octauum diem, prudenter egerunt: uolentes nimirũ admonere illos suę libertatis, qua constitutionibus legum Mosaicarũ nihil debent. Deinde, & redemptionis totius generis humani, quæ facta est in carnatione, morte & glorificatione Christi. Nã ipsa sabbatha, quę nũc et dñicos dies adpellamus, gloriosos uidelicet resurrectiõe Iesu Christi a morte, de his bñficijs clare apud nos loquũt.

Testantur itaꝙ Christianorũ sabbatha, & abrogatio Mosaicarũ constitutionum, Christum non ultra expectandum esse: sed exhibitũ in carne, crucifixum & mortuum pro nostris peccatis, & excitatum a morte, iã gloriose in cœlis regnare, & ecclesias uerbo gratiæ de pcti remissione & æterna uita gubernare, & consolationibus spiritus sancti fouere. Hanc libertatis & salutis professionẽ debẽt Christiani retinere, & tueri. Quod uero supra dixi de signi ratione, quæ attendi debuit in sabbathis Iudęorum, disces etiam ex illo Exo. xxxi. Videte ut sabbathum meum custodiatis. Quia signum est inter me & uos in generationibus uestris: ut sciatis, quia ego Dñs qui sanctifico uos. Item ex illo Exo. xij. ubi agit̃ de constitutione celebrationis paschę: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos, ut lex Dei sit in corde tuo.

Hæc dixi de origine & caussis sabbathorum apud Iudæos, ut melius ac certius doceã, quæ sint recta exercitia sabbathorum, & in quem usum proprie constitui debeant, ac retineri apud Christianos. Si enim doceant nos de beneficijs Dei, & seruiant ad doctrinam, qua populus de fide & mandatorum obedientia instituatur, habebunt rectũ, utilem, iustum, pium & necessarium usum. Nam his rationibus docemur, sanctificationem nostri a Deo expectare, fidem & timorem Dei retinere, & in pœnitentia cum assiduo profectu permanere. Id est, legem Dei retinere in cordibus nostris. Quæ existimanda sunt esse, de quibus Deus, pro sanctificatione sabbathorum præcipit: cuius adhuc sumus debitores. Oportet

enim

enim aliquod tempus esse & certos dies constituere, in quibus de uoluntate dei doceamur, ubi tunc plebs confluere debet, & uerbum Dei cum timore & reuerētia discere: & fructum uerbi, qui est sanctificatio nostri, petere & expectare a Deo. Non contemnere aut negligere illos cœtus & congregationes, in quibus conuenitur ad hanc disciplinam & studium uerbi Dei. Nam qui contemnunt & negligunt, grauiter & grauissime peccant: quia Deum contemnunt, nec habent suæ salutis rationem.

Omnino itaq; fugienda & uitanda sunt pernitiosa ocia ista: quæ nūc plęriq; in diebus sabbathorum consectantur, scilicet, suis uoluptatibus, crapulę & ebrietati seruientes: & alijs noxijs rebus. Non enim instituuntur sabbatha ab ecclesia ocij caussa: multo minus impij ocij, ut uoluptatis aut luxus caussa, sed propter gloriam dei, & Iesu Christi: adeoq; propter nostram salutem.

DE TRANSGRESSIONE, ET VICIIS IN HOC PRAECEPTO.

TRansgressio igitur & prophanatio sabbathorum, est in contrarijs uicijs, quam uirtutes in hoc mandato præcipiuntur. Sunt autem uirtutes, docere ubi urget uocatio uerbum Dei pure: & in genere, quod oīm est, totum uerbi ministerium ornare. Omī studio & diligentia promouere: minimumq; deformare, negligere aut contemnere. Nec contēnendi occasionem alijs prębere: siue ut negligentius discant uerbū Dei, aut contemptius de publicis cærimonijs sentiant. Sed e regione contionibus sacris interesse: audire ac discere uerbum dei. Sępe & reuerenter de illo loqui apud bonos: & terrorem illius præfractis & obstinacibus incutere. Deniq; cantillari de illo, et indecores ac spurcos sermones uitare. Sicut Paulus præcipit Col. iij. Verbum Christi habitet inter uos abundāter, in omni sapientia, docentes ac commonentes uosmetipsos, psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia canentes in cordibus uestris Domino. Item communibus sacramentis cum ecclesia uti: & illorum reuerentiam augere. Non commessari, crapulæ aut ebrietati indulgere in diebus festis: quod alioqui, ut nunc habent res Christianorum, nullo tempore magis fieri solet. Nec apud aliam nationem audacius, quā apud Christianos: sed cum insigni contemptu Dei & uerbi eius, & cum totius ecclesiæ scandalo & euersione.

Ex quo colligere est, hæc omnia uicia deformare sabbathorum religionem: Non docere uerbum Dei, ubi postulat uocatio, aut negligentius docere, siue impijs opinionibus & doctrinis uerbi Dei simplicitatem & puritatem corrumpere. Hominum doctrinis parem, cum uerbi dei autoritatem tribuere: non resistere impia docentibus, ubi postulat uocatio, & cum possis dubijs conscientijs consulere, & errore & impietate ambigentes liberare. Contumaciter negligere aut contemnere uerbi ministerium: & publicas cærimonias, ad pios usus institutas, & irreue-

renter de illis sentire & loqui. Hoc enim est nolle uti beneficijs Dei: & ecclesię autoritatem contemnere. Quam satis constat diuinam esse, in his quæ statuit, ut sint uerbo dei honori & ornēt ac promoueant pietatis studia, atq; ut seruiant ad ędificationem: sicut illa ipsa constitutio sabbathorum, quorum reuerentiam, utilitatem & necessitatem nunc prędicamus. In summa, suam operam non conferre ad conseruationem publici ministerij: aut abolere ministerium uerbi. Prauo uitæ exemplo alios abducere a religione sabbathorum: id est, a reuerentia uerbi & cærimoniarum, Et quomodocunq; minuere uerbi & cærimoniarum utilium dignitatem, precium & autoritatem: & efficere, ut contemptius his de rebus alij sentiant, iudicent & loquantur. Nā hæc sunt pernitiosa scandala: non noxia tantum in ecclesia, uerum etiam deformantia nomen & gloriam Dei. Quapropter nec possunt impunita existere: sed trahunt necessario secum multas plagas & calamitates, corporales & spirituales, & nouissimo damnationem & pœnas æternę mortis.

Huc pertinet institutio impiarum cęrimoniarum: quarum multitudo & importunitas officit prædicationi uerbi Dei. Sicut hoc tempore nullus modus est cærimoniarum in papisticis ecclesijs. Hinc etiam tanta raritas doctrinæ, & tantum silentium uerbi dei, est in illorum conuentibus qui papisticas cærimonias retinent atq; tuentur. Quare nec possunt ecclesiarum nomen tueri: quia abolent, aut certe obscurant uerbi ministerium: & faciunt ut non ualde necessarium esse existiment homines, illud quo uno ecclesiæ conseruantur. Est & in eo prophanatio cęrimoniarum, fingere quod sint cultus qui ualeant ad promerendam gratiam remissionis peccati & uitæ ex opere operato: tum his impijs opinionibus retinere, multiplicare & augere cærimonias. Sicut olim fiebat, & adhuc fit, in ecclesijs, quæ uerbum Dei, hoc tempore fœliciter repurgatum ab his impijs opinionibus, nondum receperūt. Fœdius est & iniquius, dies festos instituere, qui tanquam cultus sint, sanctis honori, & illorum fauorem & gratiam nobis mereantur. Hoc enim est abstrahere ecclesias a cultu unius Dei: & meras idolatras ex illis facere.

Pertinet huc & sacramentorum usus. Quare nō uti sacramentis, blasphemare & contumelia afficere sacramenta, pugnat cū mādato de sanctificatione sabbathorꝝ. Item corrumpere rectum usum sacramentorꝝ: plura fingere quam sunt. Et abuti tā ueris q̄ fictis, ad simulatā pietatē, & ad quęstū: quod quoties factū sit & fiat in papisticis ecclesijs nimis longum esset referre, Dicā de una Missa: ut quæ ad impios abusus fuit collata, & quęstui auarorꝝ seruiuit. Auxit sacrificulorꝝ numerꝝ in ecclesia: cū uera illa, nullos habeat. Et doctores uerbi minuit: quibus oīm maxime opus habet ecclesia, & eorū opera penitus non potest carere. Itaq; in hoc genere & illi peccant, qui ministros uerbi indigne tractāt: non conferunt

uictum

uictum & alimenta necessaria, aut uictum illis eripiunt. Siue denique qui non iuuant pro facultatibus studia illa utilia & necessaria, aut qui opprimunt ea, quae faciunt ad ministeriorum conseruationem.

DE DISPENSATIONE RELIGIONIS CAERIMONIARVM

ACcidit nonunquam, ut possis dispensare, de obseruationibus publicarum caerimoniarum: uel necessitatis priuatae caussa, uel dilectionis proximorum. Sicut habes utriusque exempla in euangelio: & plurima in literis ueteris testamẽti. Quę etiã excusat Christus & adprobat: ut Math. xij. & alijs locis. Et probat fere hanc rationem, illo testimonio, Hos. vi. Misericordiam uolo, & non sacrificium, & scientiã Dei plus quam holocausta. Ac dicit, Dominus enim est filius hominis etiam sabbathi: tũ illud de se dictum in nos transfert, propterea quod omnia, quae Christi sunt, illius beneficio nobis sunt communicata.

Si igitur aliqua uehemens necessitas, uel utilitas, aut tua aut proximi urgeat, potes cęrimonias omittere, & tuis cõmoditatibus frui, aut alijs per dilectionem seruire. Sed in his casibus ministerium uerbi non uiolatur propterea: ideo nec sabbathorũ religio dissoluitur. Ac possumus nostra libertate uti sine offensione aliorum: maxime piorum hominũ. Nec magni refert, etiamsi offendas impios: quin etiam prodest & necessariũ est istos aliquando contemnere: nempe, ut gratiae gloria, & libertas Christiana ab impijs opinionibus inuiolata seruetur & custodiatur.

In summa, dilectionis opera sunt cęrimonijs pręferẽda. Ergo in casu quãdo non possunt simul seruari, ocia sabbathorum & dilectionis necessaria obsequia, illa quae dilectionis sunt pretextu cęrimoniarum haud quaquam omitti debent. Peccaret enim Magistratus, si propter cęrimonias negligerent officiũ suum: & curã & defensionẽ subditorum illis posthaberet. Peccarent etiam homĩes priuati, si dilectionis proximorum, tam nullã rationẽ haberent, ut caerimoniarum obseruationi pluris deferrent. Hoc enim exemplo, pręterquam quod uiolarent dilectionis legem, etiam alijs noxij essent quos in eandem opinionem suae impietatis traherent. Sicut Monachi qui suos ludos caerimoniarum, uolunt credi maiores esse operibus dilectionis: cũ diuinę cęrimoniae dilectioni & necessitati proximi cedãt. Vt sabbatha, & olim circũcisio cũ populus Iudaicus ex Aegypto transiret.

De Allegoria Sabbathi.

SOlet etiã quęri allegorica significatio sabbathi: propterea quod ritus Mosaici sunt abrogati. Significãt itaque sabbatha, nõ solũ uacationẽ illã ab operibus pctĩ, qualis nũc pstatur a renatis, & illis omĩbus q euãgelio Dñi nostri Iesu Christi uere crediderunt, & a spiritu sancto gubernantur: Verum etiã illã absolutã renouationẽ nostri, quae erit in resurrectione mortuorum. Tũc enim pctã, & quaelibet calamitates corporales & ipsa mors prorsus & cessabũt & abolebuntur: & in illa quiete spirituali, diuina et futura per

fecte glorificabimus Deum. Quoniam tunc uidebimus eum, sicuti est: & illa perfecta noticia Dei liberabit nos a quouis malo, & æterna fœlicitate replebit, & operabitur ueram sanctificationem Dei in nobis.

Hæc igitur quies & sabbathi perpetua sanctificatio sunt inchoata per euangelium: quæ Esaias adpellat, sabbathum ex sabbatho. i. continuum & perpetuum sabbathum. In quo & perpetua quiete fruemur, & Deum perpetuo glorificabimus. Cuius etiam mentio fit in epistola ad Hebr. ap. iiij. Ingrediemur enim in requiem eius qui credimus. &c.

SEQVITVR ENARRATIO POSTERIORIS PARTIS DECALOGI.

CAP. IX. HActenus in ea legis parte uersati sumus, quę tradit proprie quo Deum honore & cultu debemus prosequi & adorare: sequens pars cōtinet pcepta de operibus, quæ erga homines exerceamus, pter Deū. Sic em̄ omīs obedientia illa nostra erga legē principaliter ad Dei honorē referri a nobis debet: ut statuamus nos illa opera ideo potissimū pstare uelle, quia Deus requirat ea & quia placeant ei. Nā etiamsi cōmunis lex naturę hæc doceat ac suadeat, & hortetur nos ut ea faciamus: tn̄, ut sumus carnales, nemo ita diligēter, prompte aut fideliter accedit ad eorꝫ implerionē, atqꝫ q cogitant, se ea in re Deo esse debitores & obsequiū uelle pstare. quoniam illo obsequio placeāt ei, & seruiant ipsi: & debitum officiū faciant. Nec esset cultus in ea obedientia, nisi principaliter ad uoluntatis & glorię Dei studiū referret: ac ne sic quidē, nisi ex fide in Christū pręstaret. Sed de hac posteriore ratiōe erit mihi alio loco dicendum. Cōtinet aūt hęc altera pars Decalogi pulcherrimo ordine tres pręcipuas partes: in quarum prima, agit̄ de honore, obedientia et gratitudine, erga parentes, Magistratus, & eos omēs, qui certa ordinatiōe dei officiū parentū nobis debēt, pstant, & in uicē parentū succedunt. In sequentibus quatuor, detractis personis hominū præcipi in genere, ne qua in re aliquē ex proximis nostris lędamus, aut ullis rebus eius noxij simus: quin potius omī studio & diligētia de quibuslibet bene mereamur, retinētes pacē & dilectionem. Nā ut supra demonstratū est, omīs negatiua, id est prohibitio operis mali, in diuinis legibus, cōtinet in se quandā affirmatiuam, qua præcipit̄ de certis operibus uirtutū, p dilectionem pręstandis. Sunt em̄ spiritualia Dei mādata, & ideo reqrunt perfectā quandā animorum nostrorꝫ puritatē & pietatem: ut qua nō solum quædā uicia externa uitemus & fugiamus, uerꝫ etiam cum summa uoluptate contraria opera bona operemur & pficiamus. Hinc etiam nciatim pręcepta est proximi dilectio: ut Leuit. xix. Diliges proximum tuū sicut teipsum. Et dilectio dicitur legis plenitudo. Quia in quibus est, operatur non solum fugam quorundā uicioꝝ, quæ Deus odit: sed etiā præstationē multarꝫ uirtutū, quas Deus amat & requirit a nobis. Deniqꝫ in tertia parte agit̄ de malo concupiscentiæ, interni uicij: uticꝫ primo oīm, per accusationē nostri & reprehensionem

reprehensionem illius. Quia nemo est, qui concupiscentia mali careat prorsus: imo qui non abundet multis uiciosis affectibus in natura. Dein de illa ipsa concupiscentia, & affectus uiciosi, lędunt gloriam Dei: & uoluntati eius aduersant. Ideo illa legis parte omnes proprie rei peragimur irę Dei, æternę mortis & damnationis. Quanq̃ homines fide gratiæ renati, interim quoq; doceantur, de frenanda & cohercenda concupiscentia: ne imperet et regnũ exerceat in nobis, sed glorię dei studio reprimat.

Vt ergo ordinem, quem Deus in legis doctrina retinuit, sequar, dicam primo de honore & obedientia erga parentes. Nam ipsa quoq; natura omnium primo illis nos subiecit: & defendendos ac gubernandos tradidit. Postea alijs, qui parentum officia nobis præstant: ut Magistratibus, & alijs de quibus suo loco. Verba autem legis sunt:

HONORA PATREM TVVM ET MATREM TVAM.

Significat igitur honor reuerẽtem existimationem de parentibus: qua uidelicet agnoscimus illos antecellere nobis, & diuina ordinatione superiores esse. Ideo complectitur fidem uoluntatis & ordinationis Dei: qua ille requirit honorificam existimationem de parentibus a nobis, & promptam subiectionem. Ex qua deinde, & debita obedientia sequitur, & studium gratitudinis erga parentes. Quanquam igitur multa sunt, quæ dignitatem parentum nobis commendant & amplificant: ut quod sunt plurima in nos & amplissima merita illorum: ueluti, generationis, educationis, institutionis & similium: tamen his omnibus longe præstantius est, quod Deus illos præcipit nobis honorandos. Et eo potissimum respicere debemus, quærentes mandato & uoluntati Dei respondere ac satisfacere. Ne scilicet priuatas utilitates gentiliter spectemus & amemus potius in parentibus, quam parentes ipsos: aut quam uoluntati Dei seruire studeamus. In hunc igitur modum debemus adferre affectum ad obedientiam mandati, quo reuerenter, præclare & pie de parentibus iudicemus & sentiamus, propter Deum: cuius uoluntati cupiamus obtemperare atq; ita parentibus suum honorem habere. Nam sine hac pietate & reuerentia cordis, omnis externa obedientia, hypocrisis est potius & fucus, quam obedientia Deo debita. Ideo & in Leuit. cap. xix. DOMINVS ait: unusquisq; patrem suum & matrem suam timeat. Non aliud præcipiens timoris adpellatione quam honoris. Cauet enim uerus timor, ne qua in re parentes indigne tractemus: sed omnibus officijs bene de illis mereamur. Vtrumq; autem istorum et honos solet prestare.

Honor quid significet.

In tali igitur animo, quem dixi, existit uerus honor, parentibus debitus, propter Deum: scilicet amãter illos amplecti, & bene de eis sentire, timore DEI potius, quam alterius ullius rei caussa. Ne opulentos potius diligamus, & honoratos, siue alijs donis præstantes, quam quia sunt parẽtes: aut, quia Deus iubet, ut honorent. Quod est quidẽ nimis

uulgare. Ita solent.n. homines in omnibus carnali prauitate suas cōmoditates spectare, quærere & sequi, magis quam ut præstent, quæ alijs debent, pręsertim in spiritualibus & uere Christianis uirtutibus, de quibus Deus præcipit. Sed qui illis affectibus aguntur, & obtemperant eis, non iugulantes eos, isti opes, potētiam, honores, nobilitatem, & his similia idola cordis sui honorant: parentes aūt suos minime. Quin etiam Deū contumelia afficiunt, duplici impietate: propter Idolatriam quę est in eis, & propter contemptam autoritatem parentum. In summa, nihil minus q̄ ueram iusticiam & deo debitam pręstant: utcunq; uideantur suos parentes quoq; honorare. Oportet igitur detestare hāc simulatam pietatē, odisse & relinq̄re: & p̄cari, ut ab ea liberemur, & uoluntatē dei faciamus.

Et hæc de cordis reuerentia & honore: qui est summus gradus pietatis in hoc præcepto. Post hunc sequi debet, honos in factis externis: in quibus est prior obedientia, deinde gratitudinis & bene merendi studium. Debent enim filij parentibus mutuam uicem reddere. Obedientiæ est, obsequi & parere præceptis parentum, monita capessere & perficere: non impatientem esse correptionum. De hac scribit Paulus, Eph. vi. Filij obedite parentibus uestris in Dn̄o. Id est, uoluntate & iussu Domini. Nam inde potissimum illud sequitur: hoc enim iustum est. Nēpe, a deo pręceptum. Idē uolunt & illa ad Col. iij. Filij, obedite parētibus per omnia, hoc enim placet Domino. Qui ergo pijs animis Deū timent & colunt, illi in licitis & honestis, perinde obtemperant monitis parentum, ut uoluntati Dei: Imo uocē, monita, correptiones & uoluntatē dei agnoscunt in mandatis suorꝫ parentum. Nisi aliquid pugnans illi, cum uoluntate Dei, & cōtrarium fidei, præciperent. Tunc em̄ recederent ab officio parentum: & sua autoritate atq; honore semetipsos spoliarent. Nam & in genere oportet Deo in rebus omnibus magis obedire q̄ hominibus.

Obedientia.

Gratitudo.

Alterum in externo honore, est beneficentia illa et gratitudo, qua studemus parentibus nostris mutuam uicem reddere: & iuuare illos, re, opibus, consilio & auxilio. Sicut de illa, ut de parte debiti honoris, Christus hoc mandatum exponit. Matth. xv. & ueritatem eius cōtra impietates hypocritarum defendit: qui per suas impias doctrinas, mandatum de honorandis parentibus, Id est, de beneficentia parentibus debita, prętextu consecratorum Deo & tēplo, corruperant. Sumus itaq; pręcipuæ cuiusdam bn̄ficentiæ debitores erga parentes: cum alioqui communi lege dilectionis quibuslibet debitores simus. Sed parētibus maiora et prima dilectiōis officia debemus, ante alios omēs. 1 Timoth. v. Si qs aūt suorū, & maxime domesticorꝫ curā nō habet, fidē negauit, & est infideli deterior. Quid si parētibus neget officia necessaria dilectiōis: cū iā ceperint egere & deficere? Hęc deniq;, gratitudo inquā in parentes, etiā tegit &

excusat,

excusat, si qua sunt uicia parentum: & aliquantulum morosos tolerat. Non sicut ille, qui Noah ebrium contempsit atque derisit.

Sed hæc præcepta non modo contemni uidemus a promiscuo uulgo: uerum etiã ab istis, qui credi uolunt religionis capita & antesignani esse. Hoc est, a Monachis, qui nullis non stultis fictionibus, de monastica pietate & obedientia, præceptum de honorandis parentibus corrumpũt: quorum insaniam et stulticiam pontifex Romanus suffragio confirmat. Vt alia multa contra officium suum audet. Nam & matrimonia quę contra autoritatem parẽtum contrahuntur adprobat, & iubet rata esse: cum his in rebus nihil possit neque laxare, neque alligare. Pertinet enim ad officium ciuilis Magistratus, de legitimis matrimoniorum contractibus pronunciare. Docere potest pontifex quæ sint recta & iusta matrimonia: sed leges matrimoniorum nullas dare potest. Non magis quam ego, prædicationis euangelij minister & doctor

DE PROMISSIONE

ADiecta est autem & promissio temporalis fœlicitatis huic præcepto: uidelicet illa, ut sis longęuus super terram. Id est, ne te Dominus puniat immatura morte, & alijs calamitatibus & plagis corporalibus: sed hanc uitam conseruet, & rebus necessarijs in illa fortunet, & prospere agere faciat. Sic enim a Paulo exponitur hæc promissio, ad Eph. vi. Honora patrem tuum & matrem tuam: quod est mandatum primum cũ promissione, ut bene sit tibi, & sis lõgęuus super terram. Significat eñ, illorum res & fortunas adiuuari a Deo in hac uita, qui suos parentes honorent. Hinc necessario sequitur diuersos alios perdi, ac puniri multipliciter ac malis modis a Deo.

Proinde in ipsa promissione est abscondita iræ comminatio: sed quæ nihil obscure loquitur nobis. Iam quos Deus odit, etiam in spiritualibus punit: & tandem cruciatibus æternę mortis. Priuat eos luce sui uerbi & gratię: ne uerum uideant, intelligant, conuertantur & salui fiant. Quęadmodum in spiritualibus iuuat quos diligit: ac donat illos sui cognitione & æterna uita. Quanquam suis operibus nihil tale mereantur: sed uerum est tamen, quod contrarijs factis praui homines quaslibet pœnas merentur, corporales, spirituales & æternas. Et has grauissimas pœnas deberi his, qui autoritatem parentum contemnunt, abunde liquet, ex epistola ad Rom. cap. i. Nam eo loco inter eos cõmemorantur qui sunt traditi in reprobam mentem: in qua ultione Dei est grauissima pœna. Videlicet, priuatio cognitionis Dei & æternæ uitæ.

Docet ergo timorem DEI & fidem hæc promissio. Timorem autem pœnæ, quod rebelles & immorigeros puniat: & fidem mercedis & præmiorum in hac uita, pro corporalibus necessitatibus. Quæ præmia, qui ordine petunt, ut gloriæ DEI in omnibus primam ra-

tionem habeant, & pietati sine carnali respectu priuatarum commoditatum student, etiam in spiritualibus iuuantur, ac promouētur ad æternã uitam. Sicut Cornelius, Act. x. Qui autem mandatum Dei contemnũt, penitus reprobi efficiuntur a Deo: ideo infœlices sunt in quibuslibet rebus suis. Esto uideantur aliquando florere in temporalibus, tamē hoc non est perpetuum: aut quia Dominus uult tales æternis cruciatibus, in duratione & æterna morte punire.

Sunt autem uicia & transgressiones in hoc præcepto: contemnere autoritatem parentum & contumelia illos afficere. Immorigerum & contumacem erga eos esse: & quomodocunq; indignis modis tractare parentes, contra, quam supra de debito illis honore dictum est.

DE HONORIS REVERENTIA QVA CIVILES *Magistratus prosequi debemus.*

AD hoc præceptum referri debet honor ille, quem testimonio Christi & Apostolorum ciuilibus Magistratibus debemus. Succedunt enim certa ordinatione Dei in uicem parentum: & sunt quidam patriæ patres, maxime qui officium suum faciunt. Et parentes quilibet nostrũ, lege quadã naturę, uicem suã & autoritatem, illis cõmittunt. Omnes eñ uolũt suos defẽdi a Magistratibus: bonis legibus institui, regi et gubernari. Debēt igiť timeri a nobis & amari, & reliqs officijs obediētię & gratitudinis, nõ minus honorari a nobis, q̃ ipsi parētes, q̃ nos genuerunt.

Maximum autem in illis, cur mereantur a nobis honorari, est, quia sunt ministri Dei: in hoc ordinati a Deo, ut multis commoditatibus, nõ aliter quam parentes, nobis seruiant. Solis enim iniustis & malis hominibus sunt terrori: quos etiam dignis pœnis comprimere debent. Bonos autem amplissimis beneficijs afficiunt: per hoc quod horum temporum pacem conseruant et tranquillitatem. Ac defendunt singulis, res suas priuatas: ueluti uxorem, liberos, opes, famam. &c.

Si ergo opus et ordinationē dei in illis intueamur, facile tribuerimus ipsis debitum honorem, & debita obsequia: ac sciemus ea in re Deum a nobis coli & honorari. Hæc igitur prodest iuuentuti & omni populo diligenter inculcare: ut magistratus metuãt offendere, & officijs eorũ nõ sint ingrati. Maxime ne sint ingrati erga Deum: qui nos officio ciuilis Magistratus defendit, regit & seruat in his terris. Omnino enim qui ciuili potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt: & iram in se Dei prouocant, ac dãnationē sibi acquirũt. Sicut Paulus docet, Ro. xiij. Et ibidē de gratitudinis officijs nos admonet: ut sunt reddere tributa, uectigalia, & alia in republica iussu & uolũtate eorꝝ facere, ꝑ quę imperia conseruant.

Sed quantum ueri honoris Magistratibus debeamus, quia sunt ordinatio & ministri Dei in his terris, locuplete docet Paulus Romanos. xiij Item Petrus, I Pet. ij. Atque adeo Christus, ubi iubet reddere Cæsari,

quę sunt Cęsaris, id est, timorē, obedientiā & gratitudinem, ut explicatū est. Nec habemus quicq̄ melius in his terris, post uulgatū regnū gratiæ Christi, hac Magistratus ordinatiōe: nec possumus ea ullo modo carere, pro temporaliū & corporaliū rerꝫ incolumitate, in qua seruiūt atq; ministrant nobis. Vt etiamsi mali principes & tyranni cōtingerent nobis, tamen satius foret, tales pati ac tolerare, quam Magistratus gubernaculo in totum destitui.

Verum si illi ita mali essent, ut quæ Iesus Christus regno gratiæ suæ nobis largitur, auferre uellent: hoc est, si uellent nos spoliare euangelij doctrina & usu sacramentorꝫ: siue, corruptis & impijs dogmatibus, contra euangelij ueritatē patrocinari, & abusui sacramentorꝫ: rectius tūc fecerimus si ipsam mortē pertulerimus potius, q̄ ea in re obsequamur eis ac pareamus. Iuxta illud Christi: si quis uenit ad me & non odit patrem suum, & matrē, & uxorem, & filios, & fratres, et sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non baiulat crucē suā, & uenit post me, nō potest meus esse discipulus. Luc. xiiij. Et generalis regula docet: oportere in oībus, Deo magis obedire, quā hominibus.

Sed hic de honore Magistratibus debito agimus: sine consideratione tyrannidis, qua quidam gloriam Christi, & libertatem qua cœlitus donati sumus, opprimere conniтuntur, atq; audacter præsumunt. Proinde extra casum huius uiolentę & impiæ tyrannidis studeamus obedire Magistratibus: & obedientiam referamus ad Deum, ut timorem & fidē exerceamus. Intelligentes imperia, non arbitrio hominum erecta esse, nec humana ui consistere: sed ordinationem Dei esse illa imperia in his terris, tueri ac defendi Magistratus opera atq; auxilio Dei. Eoq; rebelles & a Deo puniri, si ordinatam pœnam Magistratus aliquando euadant. De seditiosis testimonia habemus, uidelicet omnium temporum historias, quæ probant quod pœnas uiolatæ autoritatis Magistratus euadere non possunt. Et Paulus inquit: Rom. xiij. Ideoq; necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Eo enim significat puniri a Deo multis corporalibus calamitatibus rebelles ac seditiosos: & conscientias eorum contaminari & pollui peccato. A quo nisi liberemur, per pœnitentiam & correctionem illius peccati, nec saluari coram Deo a morte possimus, aut uitam accipere.

In hunc igitur modum iubet Paulus obedientiam referre ad Deum, & fidem exercere & timorē retinere. Quia ira & ultio Magistratus sit ordinata a Deo: quam qui euadant, rebelles & seditiosi, nequeant tn̄ conscientiam peccati euadere, quę impœnitentes absorbet tandē æternę salutis desperatione, ut alias calamitates taceā, q̄bus in hac uita adobruuntur corporalibus: ut supra in genere dictū est, de illis quorum pc̄tā in tertiā

& quartam generationem puniuntur. Et Salomon ait: Time Dominũ fili mi, & regem, & non immisceas te illis qui deficiunt, (id est, cum seditiosis.) Repente enim consurget perditio eorum: & exitiũ utriusq; quis nouit: Prouer. xxiiij. Et Petrus testatur, seruire Magistratus, ad uindictã malefactorum: atq; ad laudem bonorum. Hæc omnia testimonia significant ipsum quoq; Deum odisse eos, qui Magistratui resistunt: & ordinatas pœnas sua opera accelerare & irrogare. Nec posse euadere, quin puniantur: quia ipsa quoq; dilatio pœnæ non est impunitas, sed ea inuitantur quidam ad pœnitentiam: ne si impœnitentes maneant, sine conscientia & sine dolore peccati, & sine conuersione ad gratiæ fidem, nec saluari ab æterna morte queant.

DE HONORANDIS DOCTORIBVS ECCLESIAE: *& quibusdam alijs, in genere.*

PRoximum est, ut de honore & obedientia doctoribus Ecclesiæ debita nonnihil dicam: quorum autoritatem qui contẽnunt, ipsummet Christum contemnunt, qui uult in illis agnosci & honorari. Nec Christum solum contemnunt, uerum etiam Deum patrem: & in longe periculosiore statu agunt, quam qui ulla alia peccata & transgressiones legis admittunt. Quia grauius est uiolare euangelij autoritatem & contemnere, quam legis: sicut docetur ad Hebr. ij. & x. Quanquam qui autoritatem recta in ecclesia docentium, de quibus solis nobis sermo est, contẽnunt, isti simul & legem & euangelium contemnunt. Quapropter necesse est, & corporaliter & spiritualiter, hic et in futura uita infœlices esse

Igitur qui ecclesias gubernant, & uerbo Dei erudiunt, illis primum debetur ille honor, ut credãtur a Deo missi esse, in salutem generis humani, tanquam ministri Christi & dispensatores mysteriorum Dei, ut uocantur i. Cor. iiij. Igitur & obedientiam ipsis debemus, quatenus prędicant nobis pœnitentiam & gratiæ fidem. De quibus solis dictũ est: Qui uos audit me audit: & qui uos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum qui me misit. Quatenus igitur bene affecti sumus erga ministerium uerbi & ipsos ministros, & doctrinæ quam adserunt fideles ministri paremus, ipsimet Christo Iesu & Deo patri illum honorẽ habemus. Non ergo nec ille honor prædicatur, quẽ Doctoribus ecclesiæ habeamus, nisi quatenus ipsi redẽptori Christo & Deo patri illum debemus.

Huc facit & illud Hebr. xiij. Obedite præpositis uestris, & cedite eis. Ipsi enim uigilant, quasi rationem pro animabus uestris reddituri: ut cũ gaudio hoc faciant, & non gementes. Hoc enim non proderit uobis. De præmio autem & mercede, seu gratitudine, quam debent ecclesiæ suis doctoribus sunt multa testimonia. Christus inquit, proprie sermonem habens de ecclesiæ doctoribus, Dignus est operarius mercede sua. Item

Paulus

Paulus, Gal. vi. Communicet autem doctori, is qui docetur uerbum, in omnibus bonis. Et i. Tim. v. Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Require aūt, si placet, hmōi plura i. Cor. ix. &c.

Ad hoc præceptum deniq; in genere referri debet, & ille honor, qui his omnibus debetur, qui iuuentutem bonis literis, nec literis solum, uerum etiam alijs artibus necessarijs & utilibus in hac uita, quas mechanicas uocant, erudiunt, instituunt atq; informant: ceu rudem materiam, nulli rei idoneam uel aptam, nisi prius bonis artibus ornetur & excolatur. Nec potest talibus, qui ea in re seruiunt iuuentuti & reipublicæ, par beneficium pro meritis & dignitate reddi. Conari autem debent, qui his magistris, in quibuscunq; artibus docentur, aliquam gratiam referre.

Huius loci sunt præterea, quæ Apostoli docent ac tradunt, de officijs coniugatorum inter se. Item de officijs dominorum & seruorum. De quibus omnibus requirantur testimonia, & expositiones, Eph. vi. Col. iij. i Timoth. iij & v. Tit. ij. i Pet. iij. &c.

Nec prætereundi sunt hoc loco Tutores & compatres: quorum illi pupillis & uiduis parentum exhibent officium, hi uero prima religionis elementa pueris cum adiuncto officio parentum tradunt. Certe profitentur se tradituros. Quapropter utriq; pro officio honorari debent.

Postremo discat iuuentus, quoslibet maiores natu reuereri & honorare, tanquam Patres. Assurgere illis, neq; duriter obiurgare eos, etiam si qua in re errent ac peccent. Sic enim & Paulus præcipit. i Timoth. v. Seniorem ne seuius obiurges: sed adhortare ut patrem. Et in lege scriptum est: coram cano capite consurge, & honora personam senis. Quia timebis Dominum Deum tuum. Ego sum Dominus. Leuit. xix.

Verum hæc hactenus in quartum præceptum, de honorandis parētibus, & illis omnibus quos parentum loco habemus. In quo toto genere diligenter attendi debet, precipuam esse cordis pietatem, qua parentes & superiores nostros, cum timemus tum diligimus, & obedimus illis, quia Deus nos ipsis subiecit. Nam sine hoc honore cordis, opus externum, uel obedientiæ, uel gratitudinis nostre, non satis Christianum est, quia & in Ethnicis illæ uirtutes existere possunt, qui Deum non cognouerunt. Christiani itaq; præcellere istos debent: & ueris uirtutibus ornati esse. Nam & pharisæorum & Hypocritarum iusticiæ sunt, sine hac pietate cordis & sine fide in Deum opera legis præstare.

Consideremus autem & parentes & alios, quos parentum loco habemus, uicem Dei in terris gerere. Quid sunt enim, nisi instrumenta Dei: per quæ Deus uoluntatem suam in nobis implet: tuetur & conseruat, usq; dum uitam æternam nobis confert: Quæ in nobis augeant atq; confirment, timorem & reuerentiam eorum omnium, quorum autoritati & imperio Deus nos subiecit: & iubet ut doctrinæ & monitis eo-

rum obsequamur. Ac uetat, ne ingrati simus. Dicam autē alio loco, quid debeant uicissim parentes liberis, & Magistratus subditis, quia hoc caput iam, in satis iustam magnitudinem excreuit.

IN SECVNDAM PARTEM POSTERIORIS *tabulæ legis: in qua sunt generalia, de dilectione, erga omnes.*

CAP. X. SEcundæ partis posterioris tabulæ legis, feci quatuor illa præcepta: quorum enarrationes proxime sequentur. Nam dilectione erga omnes, sine personarum respectu debent pręstari. Vt Magistratus, priuatę nnocentię & iusticię respectu, non debet cędem facere: neminem ulla in re lędere. Sed ut officium Magistratus gerit, publicus minister, necessitatem habet puniré sontes: & pro grauitate peccati, seu admissorum contra ciuiles leges, quosdam cœna mortis afficere.

Sicut ergo de certis offiiĳs singularum personarum, in præcepto illo superiore, de honorandis parentibus, dictum est: (Quia aliud est parentum, aliud liberorum officium. Aliud ciuilis Magistratus, & aliud subditorum. Item, docentium aliud, & aliud discentium.) Ita post hac in genere de dilectione, & partibus eius loquemur. Debemus igitur dilectionē quilibet ex ęquo quibuslibet: tam parentes, q̃ filĳ, Magistratus & subditi, doctores & discipuli, uiri & mulieres, senes & iuuenes, non simulatã. Partes aũt dilectionis uoco, abstinere a qualibet offensa in proximum: & alĳs officĳs eius, bene mereri de illo. Vt dilectionis est, abstinere ab ultione, quam sumas ab eo qui te lęsit, & a qualibet ui iniusta: cauere adulterĳ admissionem, furta & rapinas. Item uitare mendacia, & maledicentiam. Rursus dilectionis est, ea uirtutum officia pręstare, per quæ prodesse proximis, & quaslibet res eorum tueri possumus & iuuare.

Sæpe enim dictum est, præceptis prohibitiuis operum malorum, requiri simul a nobis præstationem contrariarum uirtutum. Nec esset nisi fucata dilectio, solam offensam proximi cauere: & nullis cõmoditatibus eius ullo dilectionis obsequio seruire. Pręstãt aũt & in republica dilectionis officia principes, q̃n sontes & noxios hoĩes debitis pœnis afficiũt: & quando legitima bella gerunt, pro arcendis latrocinĳs, & pro defensione subditorum. Sicut cum ius dicunt, temporibus pacis: & oppressis quomodocunq; adsunt sua autoritate.

Quanta uero dilectio proximi uera p̃stet oĩm utiliũ & necessariorum officiorꝝ, absolutissime docemur exẽplo Domini nostri Iesu Christi. A Paulo aũt, uarĳs in locis eius scriptis: a quo etiã legis plenitudo uocat̃. Quia nihil uere bonorũ operꝝ, quæ summant̃ in charitatis lege omnia, potest omittere, & non pręstare. Pascit igit̃ esurientes, & nudos operit, tristes consolat̃, errantes corrigit ac docet: & his similia alia facit, per quę utilis esse proximo potest. Breuiter omĩa ea, de q̃bus Christus p̃cipit iuxta formulã legis naturę: Omĩa quę uultis, ut uobis faciant hoĩes, & uos

facite illis: Et Deus scripta lege: Diliges proximum tuum sicut teipsum.

SEQVITVR PRAECEPTVM HVIVS ORDINIS *primum: Non occides.*

NIhil q̃ priuata uindicta, seu ultionis studiũ priuatum in hoc mandato prohibet. Nã publica illa uindicta, quã Magistratus exercent. est Dei uindicta: nẽpe, ordinata & pręcepta a Deo. Si em̃ Deus imperia in hoc mũdo constituit & seruat, necesse est ut ordinet ac constituat pœnas contra eos, qui labefactant autoritatẽ imperiorũ, & publicum ordinẽ & tranquillitatem perturbant. Vt de hac tota ratione clare docemur, ad Rom. xiij. Principes igit̃ & ciuiles Magistratus, quatenus officium suum faciunt, & puniunt sontes, qui statũ reipublicæ euertunt, sunt excipiendi ab hac lege, ut quibus nihil loquit̃. Imo sunt ponendi supra legem, quia de pœnis sontiũ habent iudicare & statuere leges: Sed si contra leges priuatis affectibus indulgeant, & uim innoxijs inferant, iniurijs alios onerãtes, existimãdi sunt homicidę & latrones esse: certe corã deo, etiãsi corã hoĩbus tales nunq̃ pronunciant̃, sed iudicio dei ꝑ talibus condẽnabunt̃.

De Magistratuum uindicta.

Ergo si publicã uindictam exerceant Magistratus, tã non peccant, q̃ qui in alijs morem gerunt & obsequunt̃ Deo. Modo affectibus suis nihil indulgeant, & dilectione non careant, quæ mallt alios esse facinorosos, ut illa pœna Magistratus nihil opus haberent. Quin etiã, quia principes & Magistratus sunt ministri irę & ultionis Dei, non hominũ sed Dei uindictam exercent: quæ non modo licita est & necessaria, pro conseruatione imperiorũ & publicę tranquillitatis, uerum etiam pia, bona & sancta coram Deo. Nã omnia opera Dei sunt ualde bona: etiamsi nullam utilitatem nobis adferrent. Sed habet magnas cõmoditates orbis ex hac uindicta. Primum facinorosis redditur quod suum ipsorum est: nec afficiuntur iniuria, quando puniuntur, sed debita merces reddit̃ eis. Deinde uis iniusta arcetur hoc modo ab alijs, & innoxij a uiolentia improborum defenduntur. In summa, maxima beneficia hominibus pręstant: quæ fecerunt, ut illa uindicta habeat excusationem coram Deo. Siquidẽ ipse resistit, & resistere iubet, audacium improbis conatibus, ut boni in pace uiuant, atq; glorificent pro dono Magistratus Deum.

Commoditates ex uindicta Magistratus.

Priuata uindicta iniqua est & impia: ut qua ex ira & cupiditate priuata alius in alium sęuit, damno ac pœna afficit. De qua dictum est: qui acceperit gladium, gladio peribit. Accipiunt enim male & impie, qui contra ius & autoritatem gladium usurpant: uidelicet, non traditum a potestate. Hæc paucis attingere libuit, contra istorum impudentiam, qui Magistratus ciuiles sugillant ac reprehendunt, quasi sint tyrannidis & ultionis iniustæ ministri, nec possint Christiani esse. Sed isti crasse & impie errant, Christianismum plane ignorantes: ac digni præterea, qui capitis pœna plectantur, quia sunt seditiosi ciues. Nunc igitur seorsim

Priuata uindicta prohibita.

Gradus constituendi in mãdatis Dei. tractabimus, quæ sunt propria huius mandati, quod prohibet cædes.

Proinde Christus hoc præceptum enarrans, certos aliquot gradus illius facit: ac primum, interpretatur illud, de interiore cordis uicio, nempe, de ira, id est, ulciscendi cupiditate. Inde de significationibus iræ & calumnijs: ac postremum de cæde. Significat enim motus internos prauos in homine esse: qui non modo rapiant illum ad mandatorum Dei transgressionem, uerum etiam reum efficiant transgressionis. Nos igitur ab illo exemplo, de omnibus mandatis Dei iudicare debemus: & ad consimilem modum, etiam in alijs ponere gradus, & legem Dei tam de internis uicijs, quam de externis interpretari.

Vicia & peccata interiora. Non igitur satis est, manu non facere cædem. Quia lex Dei est spiritualis doctrina, præcipiens de cordium puritate. Quare & reprehendit primum internos cordis uiciosos motus. Vt cum lex dicit non occides, intelligenda est loqui & de caussis cædium: ut de iracundia, maleuolentia & odijs in proximum. Item reprehendi immisericordiam & neglectũ in defensione uitæ & salutis illius corporalis proximi. Requirit enim Deus ut ex integro iusti, sancti & immaculati simus: extra & intus, in corpore & anima, ne ulla in parte culpabiles simus. Ac dicitur ea re lex Domini sancta, integra, seu perfecta, & immaculata: quia hanc perfectã iusticiæ spiritus obedientiam a nobis requirit.

Posita est igitur in litera legis negatiua homicidij corporalis: sed illa præterea referri debet, ad iusticiã, seu innocẽtiam, totius hominis: ne ullo pacto reprehendi possit. Non est autem sine uicio, cuius rea est uoluntas: quicꝫ odia retinet, & uindictæ cupiditatem. Multo magis rei sunt & culpabiles, qui probris & conuitijs alios insectantur: denicꝫ qui lites, cõtentiones & rixas exercent. Itacꝫ leges multo plura redarguunt in nobis, quam uicia illa externa: quæ in litera exprimere solent. Christus ait, omnis qui irascitur fratri suo reus erit iudicio: ergo ipsa quocꝫ ira est capitale uicium coram Deo, & reum efficit hominem pœna æternæ mortis. Nisi quem euangelij gratia per Christum absoluit: & pœnitentia operis mali. Nam & Ioãnes inquit: Omnis qui odit fratrem suum homicida est. De illis loquens, qui non credunt euangelio & sine pœnitentia manent: iræ, & odijs conceptis in proximum, indulgentes. Alioqui si credant in Christum, & peccato illo interno resistant, ne regnet in ipsis, erunt innoxij beneficio gratiæ & inculpabiles coram Deo.

Peccata exteriora. Porro in externa transgressione, numerabis quaslibet significationes iræ & odiorum: quæ uocant rancoris & simultatum signa. Item omnes contumelias, omnia probra, conuicia, calumnias, dicteria, & proditiones: & quicquid in hoc genere dici potest, quo in sermone ac uerbo quidam noxij esse proximis student, & personam illius lædere, donec perueniatur ad cædem. Cum his numerari debent: præbere consensum tali-

bus

bus iniurijs, & iuuare eas, uel adprobare. Item, non excusare eos, & defendere ab iniuria & cęde, quos potueris defendere. Quanquam pharisaice iusti credant se esse inculpabiles, si cædis manu propria factæ non sint rei: etiamsi his omnibus alijs uicijs quæ dixi abundent. Et tale impietatis & securitatis exemplar proponitur in Saul rege: xviij. libri primi Samuelis. Non (inquit) sit manus mea in eo: sed sit super eum manus Philistinorum. Loquitur enim de Dauide, quem uolebat aliorum manibus occidi: ut ipse inculpabilis scilicet permaneret, & ne illius innoxia cæde se pollueret.

Et hactenus de uicijs & peccatis, quę pugnant cum lege, non occides: quorum duplicia posuimus interiora & exteriora. Nunc ad consimilem modum, de uirtutibus bonorum operum agendum est: non quo ad fugam mali operis, sed quo ad præstationem boni. Sunt igitur duplicia opera bona, in hoc mandato præcepta. Altera sunt internorum motuum cordis piorum, & consentientium mandato Dei. Non enim implet legem, nisi cor amicitia & suauitate erga proximum serenatum, dextrum, candidum, simplex, minimeq; maleuolum, carens odio & cupiditate nocendi, expositum ad præstanda quælibet officia dilectionis: non erga beneuolos solum & amicos, uerum etiam erga immeritos, aduersarios & inimicos. Sic tamen de operibus illis iudicare oportet, quod placeant Deo, si in timore Dei, & fide cognitionis CHRISTI præstentur. Ita enim si fiant, certa signa sunt, præsentiæ spiritus Christi in nobis. *Pars affirmatiua præcepti.*

Nam timere DEVM, & credere in CHRISTVM, & ex illo timore & fide obedientiæ mandatorum Dei studere, uacare odijs, iracundia, inuidentia, nemini succensere, esse misericordem, benignum, suauem, clementem, mitem, placidum ac placabilem, facile ignoscere illis a quibus sis læsus, non retinere simultates, quin etiam ultro pacem omnibus offerre, uelle defendere & iuuare eos, qui iniuria premuntur, dolere illorum uicem qui afficiuntur iniuria; & his similia præstare, quæ requirantur omnia ad impletionem huius præcepti, non sunt ciuiles uirtutes aut liberi arbitrij opera: sed sunt uirtutes Christianæ, & operationes atq; effectus spiritus sancti in nobis.

Opera autem externa bona, sunt quilibet effectus dilectionis. de quibus præcipitur Matth. xxv. pascere esurientem, uestire nudum. Non modo patientem esse iniuriarum: uerum etiam benefactis retaliare malefacta. Bene precari, male precantibus: & orare pro persequentibus & calumniantibus nos. Ingratis & inimicis quibuslibet officijs dilectionis expositum esse & seruire. Ita eleemosynam præstare, mutuum dare & alia officia dilectionis facere, ne tua spectes, sed proximi necessitates: quas cupias leuare, pro glorificando Deo, in obsequium & gratitudinem CHRISTO Iesu. Vt de his omnibus præcipitur Matthæi. v.

Luc.vi. Rom.xij. Gal.v. Col.iij. & alijs innumeris locis. Scilicet isti sunt spirituales legis sermones, quos nobis prophetae, CHRISTVS & Apostoli tradunt fidelissime: quosque amplecti debemus cum gratiarum actione, & secundum illas uitam nostram instituere ac reformare. Hypocritis autem sua relinquere: quae praesertim sunt in dogmatibus mandatorum hominum. Sumus enim ad meliorem iusticiam uocati.

NON MOECHABERIS.

A Nostra persona digreditur legislator ad alias res nostras: tum ut usum illarum adprobet, & abusum reprehendat ac damnet. Ac monstret, se esse ultorem, qui poenas irroget, si quis ulla in re pergat proximo suo noxius esse: nempe DEVS. Primum itaque, de coniugij statu, non polluendo per adulterium, praecipit: atque ita orditur a rebus, quae sunt homini per legem naturae coniunctissimae & charissimae. Neque enim habet in priuatis rebus homo, quicquam melius aut charius sua uxore. Hinc ergo primum discamus, propriae coniugis usum rem esse licitam, honestam ac iustam coram Deo. Nam & dei ordinationem habet: quapropter & a CHRISTO adprobatur coniugij status. Matth.xix. & a Paulo honorificentissime praedicatur. i Cor.vij. &c. Nec reprehenditur, aut damnatur, nisi abusus rei bonae: hoc est, si quis polluat coniugij statum per adulterium, & uiolet matrimoniorum fidem. Siue aliter uagos concubitus, & scortationes sequatur. Sicut etiam docemur in epistola ad Hebr. cap. xiij. Coniugium sit honoratum & thorus sit impollutus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus.

Haec ergo testantur, a DEO defendi coniugia: & adprobari consuetudinem coniugalem. Cum his in rebus sit sua ordinatio: quam quisquis uiolet, aut male de ea sentiat, eum necessario daturum esse poenas. Maxime autem testantur, DEVM omnibus moechis, impuris hominibus & scortatoribus aduersari: & exigere poenas uiolatae legis. Quas semper fuisse grauissimas multae historiae in sacris probant. Vt Sodomis exitium attulit impuritas libidinis: & horribiliter ultrice flamma coelitus demissa absorpta sunt. Israelitarum in deserto perierunt uno die uiginti tria milia: quod contra praeceptum Domini coeperant nepharie libidini indulgere. Contraxit & Dauid sibi & toti regno maximas calamitates: propter admissum adulterij scelus cũ Vriae uxore. Haec ergo significant DEVM certis cladibus punire uiolata coniugia: & alios non legitimos concubitus. Et in literis noui testamenti docemur, adulteros & fornicatores non posse saluos fieri.

Impuritas cordis.

Sed preterea attendere oportet, impuros motus cordis, ut est concupiscere alterius uxorem, reprehendi hac lege: sicut CHRISTVS docet, Matth.v. Omnis qui uiderit mulierem, ad concupiscendum eam, iam

tim moechatus est eam in corde suo. Quæ ualent contra hypocritarum resupinam securitatem & cæcitatem, promittentium sibi absolutam iusticiam ex lege, cum uacent puritate cordis, neq; possint nisi pharisaice iusti esse: & lex longe absolutiorem iusticiam doceat, sine qua nemo saluus fieri potest. Sicut testatur CHRISTVS, Matth. v. Nisi abundauerit iusticia uestra plusquam scribarum & pharisæorum, non intrabitis in regnum coelorum. Quanquam enim quod ad perfectionem iusticiæ attinet, nemo possit tantum præstare, quantum legi debet: tamen oportet inchoari in renatis quandam motuum cordis puritatem. In quod præterea & spiritu sancto donantur: & si propter aliud salui fiant a peccato, & morte. Nempe, propter Christum, si credant in illum: non propter suam illam nouitatem.

• Hypocritæ ergo peccatum cordis ignorant: deinde, omittunt præcipuam legis partem, uidelicet pudicitię & castitatis amorem. Neq; timent Deum uere: neq; credunt euangelio. Imo neq; timere, neq; credere possunt: propterea quod se iustos existimant, uana erroris persuasione, ex operibus pharisaicis legis. Quid timeat enim, aut credat, qui peccati & uiciorum suorum ignarus est: & arroganter de factis operum suorum superbit & gloriatur contra Deum? Si enim dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus: & ueritas in nobis non est. i Ioan. i. Porro habentes peccatum, quomodo de perfectione iusticiæ gloriamur coram Deo: aut de præmio iusticiæ, uita æterna? Cum præsertim lex dicat: maledictus, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis. Multum igitur refert, peccatum cordis perfecte nosse: ut timeamus Deum, & gratiam delictorum per fidem in Christum nobis precemur. Tum deniq;, ut ipsum quoq; spiritum sanctum, cordium nostrorum purificatorem accipiamus: qui faciat nos mandata Dei facere, & castitatis amorem in nobis operetur. Verum hæc sunt alterius considerationis, & alio loco expedienda, quam in eo, quo agitur tantum de præcepto opere bono.

Est ergo sententia & summa præcepti, Non moechaberis: Tu quantus es, totus mundus esto, & purus a libidine. Vt non modo adulteria, scortationes & uagos concubitus, uites ac fugias: uerum etiam cohibeas mentem, oculos, linguam, & totum corpus: ne uel cogites turpia, uel æstuet animus libidinis incendio, Oculi non uideant uana: & lingua nō loquatur turpia. In summa, Totum corpus a libidinis contagione pure seruetur. Sicut docemur Eph. iiij. Omnis sermo spurcus ex ore uestro non procedat. Ibidem cap. v. Fornicatio autem & omnis immundicia, aut auaricia nec nominetur inter uos: aut turpiloquium, aut stultiloquium, aut scurrilitas: quæ ad rem non pertinent, sed magis gratiarum actio. i. Cor. vi. Corpus aūt, non fornicationi, sed Dn̄o: & Dominus corpori. *Summa præcepti.*

Quibus sint precepta cõiugia.

Magna autem imbecillitas est hominum in carne: ac facile fit ut incen datur animus ardore libidinis contra legem Dei. Ideo etiam docendi su mus, præceptas esse nuptias, his qui donum continentiæ non habent. Nam & Christus talibus nuptias suadet: Matth. xix. Non omnes capi unt uerbum hoc, sed quibus datum est. Et Paulus, i. Cor. vij. propter for nicationem autem, scilicet fugiendam, unusquisque uxorem suam habe at: & unaquæq; uirum suum habeat. Item, melius est nubere quam uri. Satis ex his docemur, etiam præcepta esse coniugia, his qui dono casti tatis & continentiæ uere non sunt præditi. Tum Romanum Pontificem suis sceleratis legibus, quibus prohibet nuptias, nihil quam uulgare libi dines: & licentiam scortationum. Deniq; cęlibes istos in papistico regno non posse præstare quod uouent: nempe, ueram castitatem, etiamsi a cõ iugijs abstineant, quæ etiam deformant suis impijs & prodigiosis uotis utrumq; contra mandatum Dei.

Sunt quædam uicina uicia, quibus incenduntur ac fouentur libidi nes: ut sunt ocium, intemperantia cibi & potus, id est, ipsa crapula & ebrietas. Commertia impudicorum: pręsertim mulierum impudicarum, & huiusmodi alia scandala, quæ existimemus hac quoque lege prohi bita essea Deo, ut occasiones ad ulteriorum & libidinum. De quibus est apud Oseam cap. iiij. Fornicatio & uinum & ebrietas auferunt cor. Et ad Ephe. iiij. scribit Paulus: nolite inebriari uino, in quo est luxus. Nec est nihil quod Comicus dicit: sine Cerere & Baccho friget uenus. Vẽter enim uino exęstuans, facile in libidinem despumat: ideo istæ occasiones sunt cauendę. Tametsi crapula & ebrietas sint per se damnabilia peccata.

Salomon autem in prouerbiorum libro, multum auocat nos a com mertijs impudicarum mulierum: ut Prouer. v: Fauus distillans labia me retricis: & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara, qua si absynthium: & lingua eius acuta, quasi gladius biceps. &c. Non facile tamen aliud remedium efficax est contra prohibitas libidines, quã est usus coniugiorum: res sancta coram DEO. Sed in regno pontificis Romani deformantur nuptię, & in multo maxima parte hominum dam nantur: quia est tyrannis uiolentissima Antichristi.

NON FVRTVM FACIES.

POst adprobata coniugia & damnatas impias libidines, de usu & proprietate rerum confirmamur: tum furta, rapinę, & quęlibet ex pilationes iniustę, quę sunt quidem multiplices, damnantur. Huc perti net enim, quicquid est doli, fraudis, iniustorum contractuum, & rapa citatis seu publicę seu priuatę: per quę omnia facultatibus suis homo frau datur, & bona sua ipsi eripiuntur.

Hinc

Hinc itaque primo discamus, quod homini Christiano liceat proprium tenere: & esse diuitem. Nam alioqui non possent furta, iniqui contractus, & iniustæ expilationes, damnari: si uidelicet proprietas rerũ esset prohibita, & quidam communis usus rerũ præceptus. Quia nulla essent furta: sed quilibet in aliena irruendo, rem suam usurparet. Nec Christus posset in euangelio præcipere de eleemosyna & mutuatione. Sciamus itaq; proprietatem rerum & distinctiones dominiorum, quod ad facultates corporales attinet, adprobari hac lege. Item adprobari emptiones, uenditiones & similes contractus: quorum usu in hac uita opus est. Modo in contrahendo, nihil neq; dolo neq; fraude faciamus: nihil contra dilectionem. Quæ omnia perfecte nosse, utile est & necessarium Christiano: præsertim hoc tempore, in quo sunt multi, qui conscientias illorũ perturbãt, & fingunt dãnari rerũ proprietatẽ, & cõmunionem illarũ præceptã esse. Contra quos fortissime pugnat hoc uerbum: Non furtum facies. Testatur enim clarissime, quod suum liceat cuiq; tenere,

Proprietas rerum uetita est.

Hic etiam reprehendendi sunt Monachi, qui communionem rerum fingunt consuli in euangelio: cum neq; præcipiatur neq; consulatur, Sed liberum cuiq; relinquitur, erogare de suo, & donare alijs, quantum uult. Nam etiamsi eleemosyna & mutuatio præcipiatur, tñ in arbitrio largiẽtis eleemosynam, & dantis mutuum, relinquitur, ut donet quantũ & cui uelit. Deinde, ut ne sit alijs remissio, nobis penuria: de qua ratione lege, quæ sunt, ij. Cor. viij. & ix. Sed Monachi præterea fingunt se præceptam communionem rerum præstare: cum nihil faciant minus, nec nisi fictis nominibus res relinquunt. Profitentur mendicitatem, ut securius in ocio & quiete, de alienis bonis uiuant: quod prorsus pugnat cum hoc præcepto, Non furtum facias. Quibus etiam Paulus præcipit, ut aliquid honesti operis faciant, & suum panem manducent. ij. Thess. iij.

Monachorum fictiones.

Sed & usum donorum Dei & constitutionem proprietatis Monachi intolerabili infamia aspergunt: & nihil quam hypocrises operum, ficte bonorum, inuehunt in mundum. Quia dum fingunt se aliquid melioris & sanctioris operis operari, in sua illa professione fictæ paupertatis, quam qui proprium tenent & diuitias habent: scelerate perturbant hominum conscientias, qui opes possident, ut arbitrentur se pollui earum possessione, aut certe minus bonos esse quam Monachos. Cum neminem polluat, nisi cupiditas rerum & auaricia, Item curæ huius seculi: quæ mala simul cum opibus abijcere nulli Monachi possunt. Propter hæc scelerata, & impiæ simulationis exempla, comprimi debent Monachi a Magistratibus: & cogi ad laborem, quo opus faciant & de suo uiuant. Siquidem pessima scandala sunt in orbe Christiano: nec excusantur exemplis eorũ, de quibus in actis, cap. ij. & iiij. &c. ut cũ quibus nihil

commune habent. Res enim illi suas sine opinione præcepti, aut consilij & per meram libertatem, fortassis etiam pro necessitate illorum temporũ, in quibus bona credentium alioqui diripiebantur, in communem usum conferebant. Sed Monachi uel opinione præcepti, aut consilij, alligant se uoto ad paupertatem: nec nisi ad simulatam paupertatem. Item, ut iustificationem mereantur: nec abstinent interim a proprietate rerum, sed fictis solũmodo nominibus, ut dixi, orbi Christiano imponunt. Et tñ in illa proprietate sua fere furant & rapiũt aliena: iniquissima onera aliorũ.

Hæc uolui per occasionẽ dicere, cõtra publica illa scandala Monachorum, qui per speciem religionis res aliorum rapiunt iniquissime & furantur. Nunc mihi seorsim dicendum est, de alijs uicijs, quæ sine hac specie huic præcepto aduersantur: ut sunt, furta, rapinæ & alienarum facultatũ uiolentæ depredationes, dolosi contractus, & qualescunq; spoliationes: siue per speciem honesti fiant, siue careant hac specie. Quis nescit enim in contractibus rerum multa cum specie honesti fieri: quæ si cognoscantur qua fraude & dolo fiant, nemo uir bonus possit laudare: Adde præterea, qui sua negligentia facultates aliorum non curant, quibus tamen debent hoc officium. Nam in hoc genere reprehendẽdi sunt Magistratus, qui officium suum negligenter faciunt: Item serui & mercenarij, qui in opere faciundo cessant, siue aliter damno per incuriam suam alios afficiunt, quorum opes augere, tueri & iuuare debuerunt. Sed ultra hæc externa uicia, & cupiditas rerum, & curæ huius seculi, & omnis auaricia, uelle ditari cum proximi damno, cupere iniusta lucra, ita ut sectari illa nihil dubitares, si modo occasio tibi hæc petendi daretur, hoc præcepto reprehendunt. Item, immisericordẽ esse & tenacem in erogandis necessarijs eleemosynis, & in mutui largitione. Nam his omnibus læditur charitas, & Lex naturæ: ideo sunt damnabilia uicia & peccata coram Deo, ac debent corrigi & derelinqui.

Vicia externa. *Vicia interna.*

Sic ergo & concupiscentia alienarum facultatum in hoc mandato reprehenditur & damnatur: quæ est uicium in natura, fons & caussa omnis iniustæ depredationis. Quanquam de illa & infra precipiatur, separatis mandatis. Oportebat enim ita purum esse hominem & sanctum, ut uel cupiditate alienæ rei uacaret. Sed ut est ingenium in carnali natura, nemo contentus est suis bonis quæ a Deo accepit. Ideo adpetimus aliena, & inuidemus alijs sua bona. Atq; ita in cordibus nostris sumus fures & raptores coram Deo: cum melius nihil sit in homine, & nihil foedius contaminatum. Quod qui non agnoscunt neq; fatentur, similes sunt auaris istis, quibus a Christo dictum est: uos estis qui iustificatis uos coram hominibus: Deus autem nouit corda uestra. Quia quod hominibus altum est, abominatio est apud Deum.

Porro

Porro exempla externæ transgressionis & uiciosorum operum in omnibus uitæ negotijs & contractibus rerum sunt obuia. Non enim isti solum uiolant hoc præceptum, quos nunc in patibulis suspendunt: aut, ppter uiolentam deprędationem, alio capitis supplicio afficiunt. Sed in genere omnes isti, qui fraudant proximos suos quomodocunq;: & facultatibus illorum sunt noxij. Vt qui in ulna, pondere, & mensura fallunt proximos suos: quos lex reprehendit Leuit. xix. Qui corruptas merces pro integris & sanis uendunt. Qui alienas hæreditates inuadunt. Qui census sibi emunt, contra præscripta publicarum legum. Aut qui cum proximi damno, nulla necessitate, & solius auariciæ studio illos exigunt. Quorum nonnulli istis exactionibus totas urbes, imo totas respublicas & principatus perdunt. Auari, qui fœnus exercent: contra naturæ & dilectionis legem. Magistratus & principes, qui sumptibus non necessarijs publica æraria exhauriunt: & subditos nimijs exactionibus pręgrauāt. Episcopi & doctores, qui per auariciam negotiantur de nobis, & sacra uenalia habent. Quemadmodum sacrificuli in templis, per nundinationes Missarum. Iurisconsulti, qui lites fouēt cupiditate maioris quæstus: & malis caussis per eandem cupiditatem patrocinantur. Iudices precio empti, ut iniustam sententiam dicant, & ius corrumpant. Mercatores, qui sibi quiduis licere opinant, modo sua lucra promoueant: etiamsi omnes alios perdant. Operarij, qui ex dolo & negligenter opus faciunt, ad quod sunt conducti. Exempla externæ transgreßionis.

Proinde a talibus exemplis, de similibus alijs poterit iudicium fieri: & æstimari, quanta sit raritas atq; paucitas furum & raptorum in hoc mundo. Quo nimirum & illa uox sapientis sonat, Eccl. xxxi. Beatus qui post aurum non abijt: nec sperauit in pecunia et thesauris. Quis est hic & laudabimus eum? Cæterum opera præcepta bona & uirtutes huius pręcepti, sunt liberalitas in dandis eleemosynis: Item, in iuuandis rebus proximi per alia officia dilectionis. Veluti per mutuationem. Deniq; quibuscunq; alijs obsequijs, quibus in facultatibus corporalibus, opera & auxilio nostro, adiuuatur proximus. Item situ potius uelis iacturam rei familiaris facere, quam proximum illa premi. Postremum, nunquam ab officio recedere, & in omni actiōe sequi hoc uerbum Christi: omnia quæ uultis, ut faciant uobis homines & uos facite illis. Exempla uirtutum.

NON LOQVERIS CONTRA PROXIMVM
tuum falsum testimonium.

PRoinde hactenus proposita sunt præcepta, quæ requirunt, ne corpori, coniugi, aut fortunis aliorum noceamus. Hoc postremo loco, priusquā de concupiscentia agitur, & ueritas pręcipitur & constantia, quam in omnibus dictis & factis præstemus Quanquam de ea ueritate potissimū intelligi hoc præceptū debet, qua opus est in iudicijs, in

pactis & in contractibus. Facit igitur in genere ad iusticiæ uniuersalis defensionem. Primo, ne in iudicio ueritate uel oppressa, uel tacita & dissimulata, ordinatio Dei irrideatur, Iudices decipiantur & proximo uis iniusta inferatur. Sic autem, omnes falsæ, calumniosæ & iniquæ accusationes, delationes, & proditiones damnantur. Item defensiones, quæ fiunt contra ueritatis testimonium: consilia & sententiæ in iudicijs, quæ dicũtur ad ueritatis oppressionem. Quam uero necessaria sit in pactis & cõtractibus ueritas, & noxia fictio, mendacium, dolus, omnes per se intelligunt. Nec enim in ullis negotijs quicquam rite geri posset, si in pactis & contractibus nulla fides præstaretur: quæ peccata nec possent impunita a Deo dimitti. Iuxta illud psal. v. Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Maledicẽtia. Sed est quoddam aliud uicium, testimonio ueritatis contrarium: nempe, maledicentia, & obtrectatio, qua oblectat quosdam mendacia contra alios spargere: aut existimationi illorũ detrahere, et lędere eorum famam. Quod B. Iacobus quidem prolixe insectatur, Iaco. iij. Ecce, inquit, quãtus ignis quam magnam syluam incendit? Et lingua ueluti ignis est, & summa iniquitatis. &c. In huius uicij genere existimandi sunt peccare, etiam qui uerum in proximum dicunt: sed nocendi studio, nulla necessitate. Esto non sit falsitas, est tamen iniuria in tali insidiosa proximi & rerum eius accusatione: & eo nomine grauissimum peccatum. Nam & tegenda sunt quædam uicia aliorum & excusanda: aut certe emendandi studio sunt uocanda in iudicium. Sicut nos docet charitas: & mandatum Christi, ed corripiendo fratre delinquente.

Nec multum referre existimo quam caussam quisq; habeat maledicendi. Quia alios ambitio, alios inuidia & auaricia impellit ad facinus: alios quosdam alius morbus. Quidam solius naturæ uanitate & malicia male de alijs loquuntur: aut per adulationem, in quorundam gratiam. eSd omnes isti mortaliter peccant: & haud dubie hoc ipsum merentur, quod in delatorem Doech scriptum est. psal. li. Quid gloriaris in malicia: qui potens es iniquitate? Tota die iniusticiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malum super bonum: falsitatem magis quam loqui iusticiam. Dilexisti omnia uerba præcipitationis: linguam dolosam. Propterea etiam Deus destruet te in æternum: cõertet te, et abradet te, de tabernaculo tuo, et eradicabit te de terra uitę. etc.

Ergo producti testes in iudicium, uerum sine ulla cunctatione aut dissimulatione dicamus: ut etiam illo testimonio noxij esse proximo uideamur. Tunc enim potior ratio iudiciorum habẽda est, ut iusticia & ęquitas defendatur, & ut sontes puniantur, quam illius qui deliquit. Tu tamen bene affectus in illum debebis esse: & sine odio ac sine amarulentia testimonium dicere. Extra hunc casum sinas dilectionem in te regnare:

quæ

quæ proximi errata tegat, excuset, aut certe benigne interpretetur, si neq; tegi, neq; excusari queant. Et de illa ratione uide quæ doceat Paulus Gal. vi. Deinde ueritatem in pactis & contractibus retinere debemus: & postremum a maledicentia & quibuslibet detractionibus abstinere. Item corripere maledicos, delatores & qui aliorum existimationi & famę opera linguę insidiantur. Nec adulatoribus ullo modo aurem prębere: si modo uoluerimus nos Deo adprobare.

Cęterum summa uirtus est huius pręcepti ueritate delectari: & ut ab initio dixi, ueritatem & constantiam in omnibus dictis & factis pręstare. Et hoc ueritatis studium referre ad gloriam Dei: id est, ueritatem retineamus, quia Deus pręcepit. Hæc ergo pulcherrima uirtus, dignissima est bono uiro, hoc est, Christiano: qua nec temere aut false aliquid de alijs loquamur, sed per fraterna officia alijs prodesse studeamus. Sicut Paulus docet, Eph. iiij. Quapropter deposito mendacio, loquimini ueritatem quisq; cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Et Christus inquit: Beati pacifici, quoniam filij Deo uocabuntur. A quo elogio longissime absunt maledici, & qui obtrectationibus aliorum delectantur: serunt discordias, iras, odia, contentiones & lites, inter fratres. Isti enim non Deum, sed patrem suum Diabolum referunt, qui est mendax & homicida: sicut qui nocendi studio falsa & iniqua in proximum dicunt. Iuxta illud Prouer. xxv. Iaculum & gladius & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Quale est, quoduis insidiosum dictum: & studio ac libidine nocendi in proximum effusum.

Sed hæc hactenus in eam legis partem, quæ est posterioris tabulæ Mosi, propria de dilectione: quam singuli pręstare debemus, ut non modo quamlibet offensam proximi caueamus & declinemus: uerum etiam omnibus officijs uirtutum dilectiõis bene de illo mereamur. Nec spectemus in eo obsequio, quam ut uoluntati Dei, & gloriæ Iesu Christi studeamus. Reliquum est, ut dicamus de tertia illa parte, posterioris tabulæ Decalogi, qua concupiscentia prohibetur & accusatur.

IN POSTERIORIS TABVLAE MOSAICI DEcalogi tertiam partem: De concupiscentia.

CAP. XI.

Restant itaq; duo præcepta, quorum usus non pertinet ad castigationem morum proprie: sed ad demonstrationem & accusationem peccati quod hæret in tota humana natura, & uicium igorinis adpellatur. Quia necesse est, ut illud cognoscamus perfectissime: ne præsumamus aliquando, quod legi Dei satisfacere possimus, & pharisaico errore pereamus. Sed discamus alia iusticia nobis opus esse ad salutem, quam illa quę uoluntate et arbitrio nostro quomodocunq; a nobis pręstatur: Illa enim humana iusticia nemo potest saluari: sed nec illa, qua fit lex a

renatis uirtute & operatione spiritus sancti: etiamsi opus est saluandis re purgatione mentis & animorum. Alia igitur opus est nobis, uidelicet, gratiæ iusticia: quæ tota est in remissione peccati & omnium delictorum nostrorum, propter seruatorem Christum, quatenus credimus in eũ. Sed iã de concupiscentia loquamur, ut propius uideamus, quæ mala & quãta illi sint coniuncta, & imperent nobis. Neq; enim est unius generis uicium: sed monstrũ multorũ capitũ, & omnibus mandatis Dei aduersatur ac pugnat. Præcepta igit, quibus illa prohibet & damnatur, sunt hæc.

NON CONCVPISCES DOMVM PROXIMI TVI.

Nec desiderabis uxorem eius: non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

PRoinde hæc duo præcepta discernunt diuinas leges ab hominum legibus: sicut illa quæ præcipiunt de cognitione Dei, & uero illius cultu. Et posita sunt, ut interpretentur leges morum & operum bonorũ: maximeq; ut hominem perfecte doceant de peccato. Tum eius quod est concupiscentiæ seu immundiciæ in natura: tum istius, quod est ignorantiæ Dei in nobis & malarum opinionum de Deo. Quæ sunt quidem semper coniuncta. Nam quia est in homine ignorantia Dei, ideo neq; timere, neq; diligere Deum uere potest: sed contemnit Deum, & sicut imperat concupiscentia carnis, ita uiuit. Vt ergo in superiore parte Decalogi egimus de his superioribus affectibus, qui sunt ignorantiæ & contemptus Dei: nempe, diffidentia, dubitatio, desperatio, incredulitas, impatientia. Ita nunc de concupiscentia dicendum est: in qua sunt uarij & multiplices motus praui atq; corrupti.

Nemo igitur existimet legib. Dei satisfactum esse, per externa morũ facta. Nam & puritatem perfectam cordium nostrorum requirunt, & sanctissimorum motuum in mente: & ea uicia damnant, a quibus sua industria & uirtute nemo potest abesse. Igitur leges hominum non præcipiunt nisi de externis factis: sed leges Dei etiam de motibus cordis. Et eatenus sunt interpretationes legum, in quibus de moribus & factis externis præcipitur: & hominem perfecte erudiunt de peccato. Ne quis præsumptione carnis elatus confidat in iusticias suas, excuset peccatum, hoc est, morbum naturæ: & tegendo & excusando cum hypocritis iudicetur, suo uicio et sua culpa ignorãs: q tã manifesta legis uerba audire contẽnit.

Concupiscentia, an sit peccatum.

Ita sunt enim, qui concupiscentiam nihil obscure peccatum esse negant: & interpretantur imbecillitatem quandam esse, quæ impediat quidem bene operantem, sed iusticias operum non faciat deteriores. Sed peccatum esse concupiscentiã primo testat lex: deinde Paulus Rom. vij. & quidem ubi agit de concupiscentia quæ est in renatis. Vt ergo cædes, adulteria, furta, rapinæ & mendacia, sunt peccata, a quibuscunq; admittantur: Ita concupiscentia est peccatum, in omnibus qui habent eã.

Et

Et polluit omnes iusticias morum, operum & factorum nostrorū: quia aduersatur legi Dei, & uiolentissime abstrahit nos a perfecta & debita obedientia, & efficit ut non quaecunq; uolumus illa faciamus. Sed & Christus iram, inuidentiam, odium, incendia animorum ad libidinem peccata damnabilia esse testatur: quae non sunt tamē, nisi motus interni, & concupiscentiae uicia. Et Ioannes oīm maxime huius interni peccati caussa ait: Si dixerimus, quod peccatum non habemus, ipsi nos seducimus & ueritas in nobis non est. Idipsum peccatum, adesse sibi in carne, & congenitum esse, deplorat Dauid. psal. l. Miserere mei Deus.

Sed hoc uerum est, hoc internum peccatū ignosci & non imputari illis beneficio Christi, qui credunt in Deū: hoc est, huius gratiae fiduciā habent per Christum ad Deum. Tum quatenus resistunt illi peccato: & cauēt, ne in ipsis regnet, quod totū fit operatione & uirtute spiritus sancti in eis: ut huius ratio alio loco erit copiosius excutienda. Sed theologi quidam huius gratiae ignari, neq; docent illam fidem, & fingunt ab homine, Dei legibus satisfieri posse, & concupiscentiae uicium extenuant: atq; ita imbuunt homines pharisaicis opinionibus de peccato & iusticia, ut peccatū quod est grauissimū in natura nesciant esse peccatū, & pharisaica opera carnis credant summum cultū iusticiae esse, qua homo saluus fiat a pctō & a morte. Hoc ergo nullo modo ferendum est. Quia his impijs doctrinis abolent gratiae fidē: & gloriā beneficiorum Christi transferunt in iusticias rationis: ac tribuunt homini gloriationē contra gratiā, & in qbus preualent eos perdūt eterne mortis condēnatione. Istae tantae rationes odium sophistici erroris merito omnibus pijs facere debent. Tum, quia gratiae beneficia nobis obscurat: & ea re a saluatione nos excludit. Tum etiā, quod concupiscentiā in renatis peccatū esse negat: atq; ita extinguit omnia utilia fidei exercitia, quibus aduersus cōcupiscentiae peccata pugnatur, ut aboleant. Sed si est tam leuis morbus concupiscentia, ut credi uolunt, ac ne peccatum quidem, sed motus retardans solūmodo tenuiter, bene operantem, age probent hoc sua uirtute, & exemplis ab experiētia sumptis. Si enim possunt iram uincere & domare, si odium & inuidētiam a se deponere, si diligere aduersarios et inimicos, bene facere a quibus male tractant. Itē carnalem sui amorem prorsus deponere a se & relinquere, similiter auariciā, ambitionē, & incendia animorū ad libidinē, & similes motus, non frustra est quod ita extenuāt concupiscentiae mala: & tantū iusticijs rationis tribuunt, ut pdicent in illis perfectā obedientiā esse erga legem. Sed si haec non praestant, ut nemo potest praestare, cur quaeso iubent hominem inanibus rebus fidere? Deniq; cur haec maxima uicia negant peccata esse: quae omnis scriptura pro grauissimis peccatis accusat?

Quibus peccatum quod habent non imputetur.

Sed missis istorum caecis & pharisaicis deliramentis, ad legis lumen

Quid sit accusari concupiscentiæ peccato.

nos conuertamus: atq; inde discamus nos esse grauissimos peccatores. Nam certe cum omnia Dei mandata, tum hæc postrema duo, eius nos conuincunt: quia in illis ipse congenitus morbus & uicium in natura retegitur & accusatur, tale ac tm̄, ut nunq̄ ei satis resisti possit, ne a renatis quidē, qui a spiritu sancto gubernantur. Quare grauissimū est accusari peccati cōcupiscentiæ: id est, uiciosorꝝ motuum. Eo enim significatur, nihil q̄ prauas cupiditates dominari in natura: nec proficere legē, nisi q̄ eius nos reos conuincit, & æternę mortis. His igitur testimonijs liquet, hominē natura malum esse: nec curabilē, nisi per gratiam, qua ei peccata sua remittantur, & non imputentur. Quod fit quidem, quatenus in redemptorem Christū credit. Deinde hoc quoq; liquet, homini opus esse uirtute spiritus sancti: qui aliquā obedientiā erga legem in illo operetur, quia alioqui semper manent nobis impossibilia mandata Dei.

Itaq; Paulus, qui suo more Theologus est, ignarus sophistices & elusionis scripturarum, in disputatione de peccato, qua illi maxime firmo & claro testimonio probandum fuit, nos esse peccatores, habere uicia in natura, quæ faciant, ut legi Dei nemo unq̄ satisfacere queat, utitur hoc testimonio, sumpto ex lege contra concupiscentiam, Rom. vij. Vt ergo cæcis sophistis nihil dicere uideatur: (isti .n. fingunt hominē sine peccato uiuere posse, et legi Dei in omnibus perfecte satisfacere.) tamē nobis, qui credimus uerbo Dei abunde satisfacit. Non em̄ possumus excusare, morbum illum naturæ, qui est concupiscentia, rebellis legi & Deo: & multorꝝ uiciosorum motuū caussa existit. Rursus qui concupiscentiam negant esse pc̄tm̄, illi tribuūt homini naturam sine pc̄tō, perfecte puram sanam, iustam, sanctam atq; inculpabilē coram Deo. Quod quo iure faciant, ipsi uiderint: certe hominem docent sine timore Dei uiuere, misericordiæ Dei ualedicere, & a semetipso iusticiam & beatitudinē petere.

Sed Pauli disputatio & doctrina stat inuicta, contra oīm cauillationes, quantumuis audacter sophisticātiū & irridentiū scripturas dei. Nos igitur peccatores sumus, & opus habemus gratia saluante nos & iustificante a peccato: atq; adeo spiritu sancto, quo agente in nobis, concupiscentiæ peccato, in gloriam gratiæ Dei aliquo modo resistamus. Vt autē propius intueamur cōcupiscentię pc̄tm̄, dicamus hic de quibusdam speciebus eius: & primo de iracūdia, & his oībus uicijs q̄ sub ea cōtinent.

Iracundia & species eius.

Iracundia itaq;, quę est ulciscendi libido & uindictę cupiditas, quā sumas de illo q te læsisse uidetur, q̄ sit impia & iniqua, prorsusq; aliena a Christiana mente, Christus ipse diligēter admonet, Mat. v. & Paulus Rom. xij. Huius sunt aūt plures species: excandescētia adpellatur, breuis irę furor, hoc est, ira nascēs & mox desinens. quæ tm̄ impia est, quatenus uult proximo malū: nec potest excusari a pc̄tō. Rursus odiū, est ira inueterata: res pessima, & indigna homīe, ne dū Christaino. Accipit aūt iracūdia & inimicitiæ adpellationē: q̄ ulciscēdi tēpus & opportunitatē ob-

Excandescētia.

Odium.

seruat: qui furor altis ingenijs plerumq; accidere solet. Solet etiã discordia prædictis speciebus annumerari: quæ uidelicet est ira acerbior inter duos aut plures, mutuo odio concepta, & studijs dissentiẽtibus aucta & confirmata. Et illæ sunt fere iracundiæ species.

Alterius generis est Inuidentia: nẽpe, dolor & ægritudo animi propter alterius res secundas suscepta, quæ licet nihil noceant inuidenti. Igitur in hoc uicio est summũ scelus & maxima iniquitas corã Deo. Huic cognata est Aemulatio, animi ęgritudo, hinc orta, cũ eo quod quis concupierit, alius potiatur, ipse careat. Quæ species multa impia & fœda exempla habet: id quod quilibet facile intelligunt, si cũ huius uitæ casibus conferant eã, & cũ doctrina legis, quæ uetat, ne quid ullarũ rerũ proximi nobis cõcupiscamus. Maleuolentia aũt, a uoluptate orta, est oblectãtis se in malo alterius, sine emolumento suo: uiciũ atrox & inhumanũ. Auaricia aũt, ut M. T. Cicero definit, est opinio uehemens de pecunia, quasi ualde expetenda sit, inhęrens & penitus insita. Cui Paulus tribuit, quod sit radix quorũlibet malorũ. Noxia est ẽm in omnibus rebus: nec sinit illi uicio obnoxios quicq̃ recte agere, tam in priuatis q̃ in publicis rebus. Nec aliter Ambitio, id est, uanæ gloriæ studiũ, est noxium malum, rebus prophanis & sacris: scilicet, honoris cõcupiscentia, qua qui agitant̃ multas seditiones excitant, & periculosas hæreses in uulgo. Nec desunt horũ uiciorum plurima horrenda & execranda exẽpla hoc tempore: auariciæ & ambitionis præsertim, & quidẽ in illis quibus ecclesiarum administrandarũ cura cõmissa est. Dabunt aũt Deo haud dubie grauissimas pœnas, qui in rebus religionis ita pluris faciunt rem auariciæ & ambitionis suæ, ut gloriæ Christi & salutis ecclesiarum nullam rationem habent: sed hoc tñ spectant, ut suis impijs & noxijs desiderijs satisfaciant. Sed interim sciamus hæc uicia in plurimis alijs esse & regnare: & habẽtes ea, turpiter ac scelerate deformare. Nã auaricia uocat̃ pterea a Paulo, cultus idolorũ: et idẽ negat auaros saluari a morte posse.

Inuidentiæ species.

Aemulatio.

Maleuolentia.

Auaritia.

Ambitio.

Ab his talibus uiciosis affectibus, penitus insitis & inhærentibus naturæ hominis, iudicium de concupiscentia fieri debet. Cuius uiolentiam Moses in paucis exemplis demonstrat. Ea ẽm fere concupiscimus & desideramus nobis, in quibus bene esse proximo nostro uidemus: & q̃ illi sorte a Deo contigerũt. Vt est uxor, domus bene disposita, serui, ancillæ, boues, asini, & reliq̃ corporales facultates. Sed & eas res plęrũq; inuidere alij alijs solent: ut maxime nõ optẽt sibi eas. Sed & irasci & odisse & cõtentiones alere inter se hoĩes solẽt, ꝑpter innatã concupiscentiam sibi illarũ rerũ: et ꝑpter inuidię morbũ, q̃ ipsis dolet, alijs esse bene.

Nec oportet præterire hoc loco illud uiciũ, quo animi hominũ æstũ libidinis ardent: de quo Christus dicit, qui uiderit mulierem ad concupiscendũ eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Hunc aũt affectum,

Grecis dici φιλογυνίαν opinor: quã M. T. Cicero uertit mulierositatẽ: qui tunc est uiciosus coram Deo et damnabile peccatum, quando accedit ad illum consensus, quod uelles polluere alterius uxorem; si illa potiri posses. Nec opinor Christum de alia concupiscẽtia loqui, quam facit mortale peccatum, in eo si quis desideret alterius uxorem. Nec legem de alia exponendam esse. Sed hæc hactenus, de præcipuis speciebus concupiscẽtiæ: ex quibus de negatiua, seu prohibitione, impiorum motuum, & malarum cupiditatum, in carnali natura, certius poterit iudicari: & cognosci, quam sit fœdum & abominabile uicium concupiscentia in homine. Quod præterea uere cognitum, potest homini detrahere istud uanum, impium & arrogans supercilium, quo plerique ex operibus legis a se præstitis, tribuunt laudem absolutę iusticię sibi: & fingunt illa iusticia se mereri gratiam, peccati remissionẽ, & æternam uitam. Nondum enim cognouerunt, illas rationis iusticias, tam esse nullas coram Deo: et fędissime pollutas esse: nec posse non reprehendi ac damnari, si in iudicium Dei reuocentur. Proximum est, ut de affirmatiua boni operis, siue de præcepta, contrariorum motuum, iusticia, aliquid dicam. Neque enim reprehẽduntur solum uiciosi isti motus, quos dixi, sed etiam contrarij pręcipiuntur: uidelicet, puri, casti, innoxij, pij & sancti. De illis igitur sæpe docemur, in scriptis euangelistarum & Apostolorum. Paulus adpellat fructus spiritus: quia spiritus sanctus illos operetur in nobis. Et ad Gal. v. numerat, charitatẽ, gaudium, pacem, longanimitatẽ, benignitatẽ, bonitatem, fidẽ, mansuetudinẽ & continentiam. Et ad Col. iij. scribit: Induite ergo uos sicut electi dei, sancti, & dilecti, uiscera misericordiæ, benignitatem, humilitatẽ, mansuetudinẽ, patientiam, supportantes inuicẽ, et donantes uobis metipsis, si quis aduersus aliquẽ habet querelam. Itẽ, super omnia autẽ, habete charitatẽ: quæ est uinculum perfectionis. Nam quanta hæc pręstet, quã alio loco uocat plenitudinẽ legis, lege i. Cor. xiij. Idẽ ad Ro. xij. Gaudete, inquit, cũ gaudẽtibus: flete cũ flentibus. Idẽ inuicẽ sentientes

φιλογυνία

Affirmatiua boni operis.

Sed huiusmodi præceptiones, de animorum puritate ubique occurrunt & in prędicatione Apostolorum: qui si essent in natura, nec legibus opus haberemus, nec Apostolorum doctrina & admonitionibus. Denique, nec ipso met seruatore Christo Iesu: aut spiritu sancto, cordium nostrorum purificatore & uiuificatore. Sed ipsi in nobismetipsis essemus iusti, sancti & beati. Nunc autẽ longe aliter res habet. Quia & uiciosi peccatores sumus: & sine Christo non possumus saluari a morte: nec sine spiritu Christi quicquam recte conari, aut perficere. Sicut testatur illud Ioan. xiij. Ego sum uitis uos palmites. Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ Quia sine me nihil potestis facere. Nihil igitur potest homo in præstanda uera pietate erga Deum. Ideo quod quidam de iusticijs suis gloriantur, nulla caussa est, nisi quod legẽ uere nunquam intellexerunt: nec uidẽt, quãta

magnitudo

magnitudo peccati sit in carnali natura. Deniq; nec usum euangelij & promissionum gratię ullum nouerunt. Lugere oportet pctm̄, non arrogãter de iusticijs operũ nostrorũ sentire. Non tribuere nobis gloriam, pręter caussam: ut ne dicã, non derogare gratię, & gloriã Christi in miseras iusticias rationis trãsferre. Sed & pessimũ est, in tm̄ præsumere, ut cõfidas, quod humana industria ac uirtute, possis legi dei, nẽpe spiritualissimę doctrinę, satisfacere. Paulus docet, per legẽ cognosci pctã: & huius rationes erãt sedulo discendę. Idẽ docet, sine promissionũ gratię fide neminẽ saluari a pctõ et morte posse. Ergo per legẽ, negat posse ullũ hominẽ iustificari. Si em̄ per legẽ iusticia, ut idẽ inquit, ergo Christus gratis mortuus est: Deniq; idẽ docet, opus esse spiritu sancto Renatis, ut legis obediẽtia aliquo modo inchoetur in illis. Nã pfecta, in hac uita nullis cõtingit. Nõ em̄ nisi primitias spiritus accepimus: & plenitudinem expectamus. Ergo ne renati quidẽ, & qui a spiritu Dei aguntᷣ, sunt perfecti in iusticia operum bonorum: & habent peccatum quod lugeant.

In summa, nulla est perfectio, nihil meritũ aut dignitas, iusticiarũ nostrarũ: ut merito corã deo gloriari possimus. Sed sic potius dicamus: nõ nobis Dñe, sed nomini tuo da gloriã. Debemus em̄ glorificare Deũ & gratias agere, quod omnia illa pctã, uicia & transgressiones legis, quas habemus, misericorditer nobis ignoscit, propter Christũ. Ita ut Paulus facit, Rom. vij. Infoelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago Deo, per Iesum Christũ Dominũ nostrũ. Deinde p̃cari sine intermissione opus habemus, ut ipse glorificationẽ sancti nõis sui, in regno gratiæ suæ, pro gratiosa uoluntate sua, in nobis operetur atq; perficiat: atq; adeo defectus & peccata nobis ignoscat, & ut custodiat nos a tentationibus periculosis. His enim exercitijs pietatis, sumus perficiendi: nec salutem a currentibus nobis ordiri. Non enim est uolẽtis, neq; currẽtis, sed miserentis Dei. Sed hęc hactenus, pro explicatione prioris partis, quam institui de præcepto opere bono, dicta suffecerint. Nec ignoro plura in Decalogũ dici potuisse: sed dedita opera uolui quędã differre, in secundam partem. Deinde instituti operis ratio habenda fuit: quæ postulabat, ut in secũda parte diceretur, quõ lex a nobis fiat, & quomodo inchoata obedientia nostra placeat Deo. Quanquam ego mihi conscius, nullo modo ausim absolutionẽ tãti operis promittere. Nec repertus est facile, qui unus omnia potuerit præstare perfectissime: præsertim in tam difficili opere, & in summis capitibus doctrinę religionis Christianæ. Bene mecum existimauero actum, si eum me ecclesiæ bonorum probauero, qui iuuandi studio res Christianorum afflictas, hũc laborem, in quo desudaui, in manus sumpserint. Ipsi autem Christo Iesu sit honor & gloria. AMEN

PARS SECVNDA IN QVA DE IMPLETIONE *boni operis, à Deo præcepti.*

DIcturus de impletione operis coram deo boni, non potero commodius ordiri, q̄ ab eius descriptione: ut plane intelligat̄, qd sit præstare, seu facere & implere, opus uere bonū, a Deo præceptū. Turpe est em̄, ne dicam flagitiosum, multa de bonis operibus garrire, & necessitatē illorꝫ exaggerare, cum nunq̄ attingas aut explices, quomodo opus bonū pręstari ac fieri a nobis possit, ita ut placeat Deo. Verꝫ ita solent hoc tēpore aduersarij nostri: nunq̄ non habēt in ore, pręstanda uidelicet esse bona opera. Quasi hoc quisq̄ ignoret, aut neget p̄standa esse, neget Deo obediendum esse. Sed rursus nunq̄ explicant, imo nesciūt explicare, quomodo lex, seu opera bona, possint a nobis fieri, ita ut placeant Deo. Fingunt quidē se docere bona opera, cū nihil faciant minus: nihil em̄ quam blasphemias docent. nam legem de externis factis tantū interpretant̄: & postea fingunt uiribus rationis possibilem esse. Et ideo iubent, ut homines, suis operum iusticijs, & peccati remissionem & uitam æternam sibi quærant. Sed hoc est perfidia iudaica prædicare mandata dei: ac gratiam Dei & redemptorem Christum contumelia afficere. Item, fidem extinguere, & illa extincta homines in interitum æternę condēnationis mergere. Quare longe remouendi sunt ex ordine Christianorum doctorū: nec permittendum est, ut dicantur bona opera prędicare: etiamsi aliud nihil prædicarent quam opera mandatorum Dei. Non enim fines illorꝫ operum recte explicant: imo debitis finibus contrarios prædicant. Ideo & doctrinę fidei & bonorum operum sunt quidam contaminatores. Vt taceam, quod in doctrinis operum, mandata hominum præceptis Dei admiscent: Item postulant, operibus, quæ homines pręcipiunt, eundem honorem haberi, qui debetur alijs a Deo præceptis. Quod est nimis uanum & audax facinus: sed suo more pergunt, affirmantes æque meritoria esse, ut mandata Dei.

Aduersarij quomodo opera doceant.

Nos igitur, ut dilucide explicemus quęstionem de dignitate & necessitate bonorum operum quædam initio præmittamus, quæ doceant clare, quid efficiat nostras iusticias uere bonas et acceptas corā Deo. Nam satis constat, quod lex Dei requirit a nobis perfectā obedientiam: & quod illi præceptę obedientiæ, de qua supra dictū est, nemo nostrū potest satisfacere. Nunq̄ enim tm̄ diligimus, aut timemus Deū, quantū oportet: ideo nullæ iusticiæ nostrę per se placent Deo, tanq̄ perfecte bonę, & perfecte satisfacientes legi. Item, nemo diligit proximum suum, quantū debet: & nemo uacat omni concupiscentia, prohibita in lege. Ideo de perfectione iusticiæ, nemo potest iure & recte gloriari, propter opera & facta sua quæ præstat, quęcunq; sint illa. Sed aliud quiddam est, quod iusticias nostras acceptas & probabiles efficit coram Deo.

Ergo ne inchoari quidem obedientia boni operis potest a nobis, nisi prius audiamus & fide discamus euangeliū, de Christo & remissiōe peccati per Christum. Necesse est em̄, ut ante omnia per fidem remissionis peccati liberemur ab his impijs opinionibus, quibus Hypocritę per sua opera & facta peccati remissionē & saluationem quęrūt. Nam promissionis euangelij & fidei doctrina est, quod peccata nostra remittant̄ nobis gratis, per misericordiā Dei patris, propter Christum. Hanc ergo oportet, ut primo omnium per fidem amplectamur: deinde necesse est, ut per eandem fidem, mentes nostræ a diffidentiæ & dubitationis impietate liberentur. Oportet tantū nosse, credere, ac profiteri Christianos, q; iusticię illę operū, quas præstant in fide, placeant Deo: etiāsi sint imperfectę. Nam inchoata illa obedientia ideo placet Deo, quia fit in fide recōciliatoris Christi: qui est preciū & satisfactio perfectissima, pro oīm peccatis.

Igit̄ fide opus habemus, propter hæc duo mala: primo, ne in morem arrogantiū hypocritarꝫ, pc̄ti remissionē per iusticias nostras quæramus: Tū deinde, ne propter immundiciē earꝫ desperemus. Respicit em̄ ad opera nostra & adprobat ea Deus, quatenus per fidē in Christum operamur: tum ut uoluntati & beneplacito Dei nos subijciamus, nec alia mēte operemur, nisi ut pręceptā Dei uoluntatē perficiamus. Vt hac ꝑcipua intentione omnia referas non ad tuas utilitates, sed ad gloriam Dei, & ne sis ingratus. Vt proximo per dilectionē in necessitatibus eius seruias, quia timeas Deū & uelis mandato eius parere: Itē, quia credas illo obsequio te placere Deo, propter reconciliationē quæ facta est per Christū. Sic in singulis mandatis & operibus, oportet respicere & intueri in uoluntatem Dei: & timorem retinere, & ex fide reconciliationis operari.

Hoc itaq; principale sit bene operāti, in fide bene fundatū esse: dico aūt, in fide recōciliationis factę p Christū. Nā quia omēs iusticię nostrę sunt immūdę atq; imp̄fectæ, ꝑpter immūdiciē & impuritatē cordiū nostrorꝫ: & q; ne iustificati q̄dem, et impulsi atq; acti a spiritu sancto, pos-

sunt praeceptae obedientiae legis satisfacere: idcirco etiam opus habemus remissione peccati in opere bono. Non quod peccemus bene operantes: sed quod nemo tm̄ praestat quantũ debet, propter carnis imbecillitatem. Tum quod affectus carnis, qui in nobis sunt polluãt omnes iusticias nostras: & impediant ac retrahant bene operantes, ut non quaecunq; uolũt illa perficiant. Quapropter omniũ primo opus habemus fide promissionum euangelij & remissionis peccati, per Christũ: qua ante omnia liberamur ab impijs & pernitiosis opinionibus hypocritarũ, transferentium Christi gloriã, cuius unius est nos saluare a pctõ & a morte, in sua facta quasi illis iustificentur & aeternam uitam mereant̃. Deinde, hac eadẽ fide liberamur a dubitationis impietate: quam necesse est excludat. Opus em̃, quodcunq; non fit ex fide, peccatum est. Alit enim contemptum dei & beneficiorũ gratię dubitatio. Nam quisquis operatur, & ambigit num placeat Deo, non potest bene de Deo sentire: diligere Deum, aut in operando hilaritatẽ & promptitudinem animi retinere. Nec potest Christi gratiam glorificare uelle: ut cui tm̄ non tribuit, quod Deus per illam immundicijs nostris & peccato, itẽ imperfectae obedientiae, ignoscat. Nos igitur operis nostri obedientiã sciamus placere Deo propter Christum: etiamsi adhuc habeat suã immundiciam & imperfectionem. Nam sicut scriptura dicit, oportebat Christi nomine prędicari poenitentiam: igitur accepta est & placet Deo, quae in fide nominis Christi, iustificatoris nostri & saluatoris, pręstatur. Postremũ hac fide efficit, ut dirigamus oẽs cultus & iusticias nostras ad gloriam unius Dei: tanquam gratitudines, & laudationes. Parati omnia agere & pati, quae nouimus Deo placere, in cuius gratiam uocati atq; recepti sumus, & his contraria fugere:

Quęrenda est igitur oĩm primo reconciliatio, iustificans peccatorẽ & saluans: quae per fidem promissionum euangelij & beneficiorũ Christi obtinetur. Tum excludit simul contumeliosas opiniones iusticiariorũ: & pernitiosas dubitationes illas, ambigentium, num iusticiae nostrę placeant Deo. Placent enim & sunt acceptae Deo, tanq̃ mundae & perfectę quatenus in fide reconciliationis factae per Christum praestantur a nobis. Quia quicquid immundicię & peccati habent, id non imputatur illis, qui in fide Christi operantur. Hac enim absorbentur omnes immundiciae & omnia peccata nostra. Sic ergo liberat fides ab arrogante praesumptione: & uetat ne desperemus, etiamsi minus perfecti sumus. Deniq; sola facit, ut obedientia boni operis inchoetur in nobis: atq; ut retineamur in ea. Nemo em̃ confidit Deo, neq; sentit se exaudiri, ac respici a Deo: neq; quisq̃ diligit illũ, aut proximũ, ꝑpter Deũ, nisi prius sciat deũ esse placatũ: seq; in numero filiorũ Dei esse, & heredũ ęternę uitę. Hęc ergo sunt discẽda per promissionũ euãgelij fidẽ: quarũ uidelicet sunt illę cõsolationes et illa doctrina. Nã cũ p terrefacti agnitiõe pctĩ nostri ex le-

ge audimus nobis peccata remitti, & donari æternã uitam, propter Dei filium Iesum Christũ, qui dedit semetipsum precium & satisfactionem pro peccatis nostris & pro æterna morte, tunc respirant corda nostra, & accepta hac consolatione, quod habeant propitium Deum, incipiũt bene operari, et præstant patientiam in qualibet calamitate, toti in eo ut glorificent Deum per Christum Iesum.

Hæc itaq; sunt, quæ efficiunt iusticias nostras gratas atq; acceptas corã Deo: præstitas uidelicet hac fide. Quanquã aũt a me & alijs locis huius operis sunt explicata, tamen hic repetenda fuerunt: nempe, in descriptione operis boni. Quin etiam necesse habemus ubiq; nostra munire cõtra aduersariorũ cõtumelias & maledicta: præcipue aũt in doctrina & prædicatione dignitatis ac necessitatis bonorũ operũ. Quia cum paulo diligentius prædicamus pœnitentiã, cauillantur pugnantia a nobis doceri: nosq; resilire a Christiana professiõe illa, qua asserimus, impium & peccatorem, sola in Deum per Christum Iesum fide iustificari & saluari. Istis ergo, quia negant, impium sola fide iustificari, debemus imputare hanc impietatẽ, q͏ opera nostra faciãt partialẽ caussam nostræ saluationis. Quanquam si quis diligenter excutiat, illis totum meritum saluationis arrogant: qui uidelicet opera nostra faciunt necessario concurrere ad meritum iustificationis, ut alio loco a me dictum est. Nobis igitur attente discendum est, ut recte discernamus, inter hanc duplicem prædicationem, quæ in euangelio proponitur: alteram de gratia remissionis peccati, iustificationis & æternæ uitæ, quam oportet adprehendere in fide: Tum illam alteram, de pœnitentia, qua iusti, reconciliati Deo, & salui facti, Deũ glorificamus. Vt opera illa iusticiarum nostrarum sint fidei exercitia, & confessiones, & gratitudines & laudationes.

In summa, persona iustificati placet Deo, per misericordiam propter Christum: opus aũt, quia est personę recõciliatæ, & quia proficiscit ex fide. In quo etiamsi sit quædam immundicia seu imperfectio, non tamẽ imputatur personæ, quæ uidelicet aliunde iustificata est, & propter aliud in gratiã recepta: nimirum propter Christũ. Placet igit Deo, etiam imperfecti operis obedientia: sed propter iustificatorẽ Christum, in illis qui credunt in eum. Deus enim gratis iustificat & saluat peccatores: eos qui in propitiatorem & iustificatorem Christum Iesum credunt. Tum iusticias eorum adprobat, quatenus ex dictæ reconciliationis & remissionis peccati fide præstantur: tametsi non sint perfecte mundæ: nec satisfaciant per se legi. Ideo nihil damnationis habent: ne debitores quidem perfectæ obedientiæ erga legem, propter impletorem legis Christum. Etiamsi sint debitores glorificandi Deum, per nouitatem uitæ. Ideo nec accusari a lege possunt, redempti uidelicet per Christum: sed incredulorum iusticiæ per rigorem legis omnes condemnantur.

Proinde hoc quoq; cauendum est diligentissime, ne quis credentiũ

iusticias pronunciet esse immūdas: sunt enim purificatæ per Christū, & a purificatis fiunt. Nempe, ab ijs quos Deus in filiorum gratia habet, propter Christum. Sed & si immundæ essent, non posset illas Deus exigere a nobis: rursus nec opera eorum probare posset, quos pro reconciliatis non haberet. Quapropter primo omnium requirit a nobis reconciliationis fidem: deinde pœnitentiam, quam reconciliationis fiducia præstemus, & nihil ambigamus illam coram se placere. Hæc fides præterea efficit, ut hilariter prodeant in opus præceptę pœnitentiæ, qui illa prædi ti sunt: sine molestia, & sine tædio cordis. Sed & patientiam præstant in quibuslibet calamitatibus & morte: nec possunt Deo irasci. Denique omnia sua dirigunt ad glorificandum Deum per Christum. Et ab his omnibus uirtutibus procul absunt incredulorum iusticiæ: nihil sine tędio operantur, nec præstant aliquam patientiam in ulla calamitate, & in omnibus quæ faciunt suis commoditatibus seruiunt. Quanquam hæc uia est sese in æternam perditionem præcipitandi.

Sed hæc fere ad tædium hactenus in descriptione operis boni: nisi quod hoc tempore, in dogmatibus religionis, nihil fere satis dici potest. Vt quæ habent tot obtrectatores, homines imperitos & malos: in quibus nec gloriæ dei studium, nec salutis ecclesiarum ullum existit. Dabūt igitur ueniam nobis homines pij & eruditi, si quid paulo copiosius propter aduersarios glorię Christi, prosequamur. Nam quæ hic & alijs locis diximus, ea direximus omnia ad illustrandam gloriam Christi, & ad res ecclesiarum iuuandas. In quo si quid præstiterimus, fiducia est & hac ratione aduersarios Christi subinde magis magisque prodi, quo ab alijs melius caueri possint.

Iam nihil opus est prolixe docere, quæ opera exigat a nobis Deus. Nam satis constat ad pœnitentiæ prædicationem illa opera pertinere, de quibus in Decalogi mandatis præcipitur. Et quoniam oportet nos regi uerbo dei, ideo statuendum esse, præcepta mandatorum hominum nihil prorsus ualere ad ueram illam pietatem, quæ est necessaria homini, qui uolet assequi æternam uitam. Cæterum de usu & libertate mediorū alijs locis a me dictum est: & fortassis copiosius quædam de illis alio loco dicentur. Habes pręconium scripturarum, ij. Timoth. iij. quo doctrinæ mandatorum hominum non possunt ornari. Nempe hoc tale: Tota scriptura diuinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iusticia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Nunc ergo quoniam in genere docuimus, quomodo imperfecta operis nostri obedientia placeat Deo, idem conabimur deinceps seorsim, & per totum Decalogum, & in singulis operibus a Deo præceptis, monstrare. Et alicubi adijcere certa quædam, de quibusdam operibus, a Deo requisitis: de quibus in prioribus nihil dum, aut non satis explicate, dixi.

IN IVSTIFICATORVM OPERIBVS, NVLLVM ESSE *præstantius, maius aut sanctius, ipsa in Deum fide.*

CAP. I.

PRoinde, quia dicendũ est mihi hac in parte tertij libri, de impletione præcepti a Deo operis boni, constituendum est omnium primo, legem Dei non fieri, seu impleri, nisi ab his qui in Christum Iesum credunt: atq; adeo ipsam fidem in Christum, esse perfectam illam legis impletionem, qua & a peccato & ab æterna morte liberamur. Dico autem fidem, qua nihil ambigimus, peccatis nostris ignosci, propter Christum: qui factus est nobis sapientia a Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio. i Cor. i. Huc itẽ facit illud Pauli, Rom. x. Finis enim legis est Christus, ad iusticiam omni credenti. Porro, & illud adijciendũ est, esse adhuc aliam impletionẽ legis, qua uidelicet fit lex, per operis nostri obedientiam, ut quatenus gubernamur & mouemur a spiritu sancto, quancq; hac impletiõe nemo satisfaciat legi, aut iustificetur coram Deo: & propter aliud placeamus Deo, nempe propter Christum. Certe a peccato & a morte neminem saluat sua iusticia, sed aliena illa quæ est Christi, & nostra per fidem in Christum, saluamur. Operibus autem iusticiæ nostræ debitis exercemus fidem, & Deum glorificamus. Hæc est duplex impletio seu præstatio legis, seu boni operis obediẽtia, altera, qua per gratię imputatiõem & seruatorem Christum satisfit legi pro nobis. Hoc est, qua Deus ignoscit peccatis nostris propter Christũ, & qua una sumus iusti, beati, & salui, coram ipso. Atq; adeo, qua omnes iusticię nostrę efficiũtur bonę & gratæ Deo. De qua, quoniam alijs locis prolixe scripsi, non habeo opus plura hic adijcere. Altera est impletio legis effectiua, qua uidelicet lex fit a nobis nostra obediẽtia: tametsi hæc sit operatio & uirtus spiritus sancti in nobis. Sicut docemur Rom. viii. Gal. v. &c. Et de hac impletione nobis pręcipue nunc dicendum est. In ea itaq; & fidem numeramus, pręclarissimam operationem & effectum spiritus sancti in nobis, & quędam nostra obedientia. Quã uidelicet adferimus ad gratię promissionem, tum oblatam eã nobis in Euangelio per Christum acceptamus, ad pręhendimus & in cor nostrum includimus, ac perpetuo retinemus, in illo, per fidem. Nec est in iustificatorum operibus bonis, aliud pręstantius, melius, maius, aut sanctius, hac ipsa in Deum fide: nec aliud ita necessarium. Vt qua sola & a peccato & æterna morte saluamur. Dicturus ergo de fide, summo illo, & pręstantissimo omnium operum bonorum, quæ ab homine saluando præstari possunt, non debeo tacere, quanta sit eius magnitudo & dignitas coram Deo. Nulla enim lex, nullum Dei mandatum, aut ullum opus uere bonum, impleri seu pręstari, absque ea potest. Imo ne persona quidem placere Deo, cui operanti desit fides, quantacunque & qualiacunque operetur.

Duplex impletio Legis.

Fidei dignitas & necessitas.

Sine fide enim impossibile est Deo placere. hebr. xi. Et sola fide adprę

hendimus peccati remissionem iusticiam & æternam uitam, & ea sola reconciliamur Deo, & ex perditis ac damnatis in gratiæ filios, & uitę æternę hæredes, recipimur. Quæ omnia satis arguunt, si de operibus bonis quæ Deus requirit a nobis, collatio fiat, nullum dicendum esse maius, melius, perfectius, aut sanctius, coram Deo, siue denique æque necessarium, homini saluando. Præterea & ipse ordo diuinorum præceptorum arguit, homini iustificando & saluando ante omnia opus esse fide. Ideo enim ante alijs omnibus operibus de ea pręcipitur. Estque interior illa λατρεία & cultus, seu adoratio cordis, sine qua nullus alius cultus probari aut placere Deo potest. Sicut testatur Christus, Ioan. iiij. inquiens: Deus spiritus est, & eos qui adorant eum, in spiritu & ueritate oportet adorare. Fide enim corda purificantur a quibuslibet inquinamentis peccati, ut diffidentiæ, dubitationis, desperationis, & impatientię, quibus in corde fit contumelia Deo. Rursus incipitur timeri & diligi Deus per fidem: Item, alijs sanctis motibus cordis coli. Nam quia per euãgelium scimus ac credimus nos esse in gratia, ideo nõ ambigimus, quin sicut Deus promittit ita respiciat nos & exaudiat, tum in quibuslibet aduersitatibus liberet ac saluos faciat. Ac prius non possumus amare Deum uere, aut quomodocunque aliter bene affecti in illum esse. Credẽtes autem in gratiæ promissionem, subito mutamur, in alios nouos homines: ac pios, sanctos & castos animorum motus, seu affectiões, induimus. Nempe, tinorem, delictionem, fiduciam & spem in Deum, ex quibus mox oritur pax conscientiarum & tolerantia in aduersis. Denique & dilectio proximi, amor castitatis, pudicitiæ, temperantię, sobrietatis, odium turpitudinis, & si quid pręterea est internę pietatis, & spiritualis cultus, quo Deus uult omnium primo in cordibus nostris glorificari a nobis.

Interior cultus.

Porro ex his primis motibus in Deum & reliqua puritate cordis, effluit deinde, ceu ex plenissimo pietatis fonte, quicquid est omniũ operum, uere bonorum, & probabilium cultuum, spiritualium, in externis factis, quibus Deo nostro seruimus, & redemptorem Christum glorificamus. Vt sunt, uera inuocatio, confessio, glorificatio, laus, graciarum actio, prędicatio & doctrina: Item, illa omnia bona opera & facta, quæ per dilectionem proximi præstamus, hoc fine, ut Deum honoremus. Nam & proximum suum nemo unquam uere amare potest, aut officia dilectionis illi fideliter ac pie præstare, qui fidem in Deum non habet, & ignorat se illo obsequio, quo seruit proximo, Deo patri et Christo Iesu, cultum prestare. Nos ergo in doctrina de impletione operis boni, necessario sequemur eum ordinem, a primo capite usque ad finẽ, quem Deus proposuit in doctrina legis. Non ideo solũ, quia nullus alius melior esse potest, eo quẽ in docendo retinuit Deus, sed uel maximę, propter primum mandatũ de fide. Sine fide enim, ut nec placere ipsi Deo,

Exterior cultus.

possu-

possumus, ita impossibile est, ullũ uere bonũ opus pręstari ab ullo posse. Verum hunc ordinem turbant nobis aduersarij nostri, imo ueram in Deum fidem, qua iustificamur & spiritum sanctum accipimus, ac noui homines efficimur, prorsus non docent. Tum in docendo, nihil quam cogitatiões rationis, Pharisaicas & ethnicas, de merito iusticiarũ carnis sibi proponũt, quapropter nec prędicãt nisi iusticias carnis iusticię, gratię, & uerę fidei in Deum, penitus ignari. Vt ergo quod coepi, pergam explicare, certum est contemptum & odium Dei retineri ab istis, in quibus manet ignorantia & incredulitas promissionũ gratię. Tales sunt autem, non isti solum, qui Euangelio palam contradicunt, ut Iudęi &c. Verum etiam quidã ficte & titulotenus Christiani, qui per opera sua & iusticias rationis, quęrunt saluari & a peccato & a morte. Istorum igitur iusticię, ut sunt pollutę istis internis immũdicijs, incredulitate inquã, diffidẽtia, dubitatione, desperatione, odio & contemptu Dei: ita habẽt pręterea hanc fęditatem, turpitudinem & impietatẽ coram Deo, quod sunt uiolentæ, seruiles, cum molestia ac tedio cordis pręstitæ, nõ quam priuati commodi studio, sine dilectione legis, Dei aut proximi. Ideo nũquam fiunt in eum finem, quo sunt pręceptæ a Deo, ut etiã tot immundicijs internis nõ essent contamninatę, Sed ut a præcepto fine aberrãt, ita sunt eorum qui uiuũt corde amaro, pleno dubitationis, irarũ & odij contra Deum. Ac necesse est, propter incredulitatem, omnia in istis simulatione, fictionibus & hypocrisi, repletissima esse, nihil operari absque tedio, ira, animo rebelli, legi & Deo. Nihil per dilectionem efficere: ut qua carẽt. Multo minus possunt in ullis calamitatibus corporalibus, quibus a Deo exercemur, patientiam retinere. Rursus qui promissionum gratię noticia ac fide sunt imbuti & illumninati, ut diligunt deũ & cęteris pijs motibus cordis in illũ rapiunt᷑ et agitant᷑, ita legis obseruationi prõptissimis aĩs student. Glorificant ergo Deũ, & seruiũt proximo, propter Deum, sine fictionibus & sine simulatione. Sic ergo quos studium Dei tenet per fidem, illi debitos fines bonorum operũ attingunt. Longe enim absunt ab eorũ impijs opinionibus, qui per opera & facta sua saluari quærunt. In operando igitur non respiciunt ad priuatas utilitates, nec enim opus habent. Sed ad pręceptam dei uoluntatem, tum in necessitates proximi, cui hilariter seruiũt propter deum. Ideo illo tali obsequio delectatur deus & pręstãtur pręcepta legis. Et si in aliquo minus satisfiat, tamen hoc ignoscitur eis, propter Christum, in quem credunt, & quem habent perpetuũ mediatorem reconciliationis apud deum. Ad cuius nominis honorem referunt, cum gratiarũ actiõe, si quid recte factum est ab ipsis. Hæc sunt pia fidei exercitia, quæ deo placẽt, & quæ respicit, ac quibus ingentia pręmia confert in coelis. Quin etiã, quia honori diuini nominis in omnibus seruiunt, eoque & patientiam in aduersis

Iusticiæ incredulorum.

Credentiũ opera & facta.

tatibus retinent, ideo omnes creaturę coguntur eis in bonum seruire, etiam quęlibet extremæ calamitates, ut deniq; ipsa quoq; mors. In summa, nullius creaturę iniuria possunt lędi: nec alicuius usu abuti. Nā rebus pręsentibus utuntur cum gratiarum actione, tum in paupertate & alijs afflictionibus retinent patientiam. Ideo iuuantur a Deo, ut nullæ quantumuis atroces persecutiones nocere ipsis queant, nō exilium, nō fames, non gladius, non ignis, nō deniq; mors, aut quęcunq; calamitas alia, quæ in hominem irruere potest. Sicut Paulus docet Rom. viij. Hac tanta gratiæ gloria honorantur, quia Deum pijs animis colūt, & recte factis glorificant. Proinde hoc est regnare cum Christo, & rerū omnium dominium tenere: Nempe, non posse ab ulla creatura lędi, nullius terrore concuti exitialiter, & in usu beatissimo omnia habere. Quæ omnia pręstat homini sola fides, neq; per aliam uirtutem ad tantam felicitatem possumus peruenire. Sicut nec timere aut diligere Deū quisq; potest, nisi per fidem, ac sine timore & sine dilectione Dei, nemo tanta gloria dignus haberi apud Deū, siue glorificari. Vbi ergo sunt qui uere in Deum crediderunt, ut timent ac diligūt Deū, & honori nominis eius seruiūt, ita uicissim honorantur a Deo, id est, respiciuntur, exaudiuntur & in quibuslibet calamitatibus adiuuantur. Sunt autē uerę fidei in Deū, item ueri timoris & ueræ dilectionis certa signa, cauere ne quo pacto Deum offendamus, facientes quæ prohibet ac uetat, & recte factis honorare Deum, & ea præstare quæ requirit a nobis. Et si autē fieri possit, ut qui uere crediderunt in Deum, aliquando labātur in aliquod peccatum, ut est omnium magna imbecillitas, & tentationibus peccati sæpe uincimur, tamen uera fides seruat hominem ab extrema desperatione, & non potest uinci. Nam & erigit lapsum, & fiducia gratię restituit hominem ad poenitētiā. Quæ perseuerantia in bene operando, seu corrigendo quod male admissum est, eximie glorificat deum, nec potest in incredulis existere. Nam isti magnitudine peccati territi & iudicijs dei, per ignorātiam fidei ruunt tandem in desperationem, & nephāda quæq; designant, sine poenitentia & sine reuersione ad Deum.

Vis fidei quanta.

Est autem quoddam aliud genus incredulorum, eorū uidelicet qui sine omni opinione Dei uiuunt, quales similiter necesse est ineptos ad omnia bona opera esse. Sicut Paulus scribit ad Eph. iiij. Hoc igitur dico & testificor in Domino, ut iam non ambuletis, sicut & gentes ambulant, in uanitate mentis suę, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a uia Dei, per ignorantiam quæ est in ipsis, propter cęcitatē cordis ipsorum, qui desperantes semet ipsos tradiderunt impudicitię, in operationem omnis immundiciæ, in auariciam. Vos autem non ita didicistis Christum, (Si tamen illum audistis & in ipso edocti estis.) sicut est ueritas in Iesu. Deponite ergo uos secundum pristinam conuersationem

nem

nem ueterem hominem, &c. Quamquam huc pertinet, quicquid usque est doctrinae pietatis & bonorum operum, quae soli praestant, qui uera in Deum fide sunt praediti. Haec libuit hactenus seorsim dicere, de fidei dignitate & necessitate, cui primas in omnibus merito tribuimus. Sola enim adpraehẽdit gratię promissiões, ideo & ea sola a peccato & a morte saluamur. Tum in gloriam filiorum Dei recipimur, & haeredum aeternae uitae. Denique sola fide acceptae efficiuntur reliquae iusticiae nostre coram Deo. Ac tantę efficacię est fides in illis, qui ea praediti sunt uere, ut malint mori potius, quã abstrahi a uoluntate Dei & ab obediẽtio erga legem. Tantum ab est, ut breuis uoluptatis carnalis caussa, siue ullius corporalis rei commoditate, possent uelle discedere ab officio, & ea admittere, quae Deus odit, execratur & damnat, & recte facta relinquere. Imo tantũ est studium gloriae Dei & Iesu Christi in illis, ut omnes tyrannides impij mundi perferant ac uincant, in fide nominis Christi. Deinceps uero & de cognatis fidei affectibus pace, timore, dilectiõe & spe, seorsim nonnulla scribam. Quamquam enim illi omnes motus sint in uera fide, de qua iam dictum est, & hoc ipsum declaratum, tamen & separatim quaedam de illis libet annotare.

DE COGNATIS FIDEI AFFECTIBVS, PACE, *timore, dilectione & spe: obiter atque paucis.*

DIctum est itaque in genere de fide, qua & in gratiam recipimur, & iusticiae nostrae placent Deo. Item qua purissime colimus & glorificamus Deũ, & illa tota nouitas oritur in nobis, quę est pacis conscientiarum, item timoris, dilectionis & spei in Deum. De quibus consiliũ est post hac, uel doctrinae uel consolationis caussa seorsim quaedam attexere. Dicam autem omnium primo, de pace conscιẽtiarum & cordis, quae res est laetissima, optatissima & suauissima, & sicut Paulus inquit, quae exuperat omnem intellectum, & liberat hominẽ a quibuslibet terroribus peccati, legis, inferorum, mortis, & totius satellicij diaboli. CAP. II. *De pace conscientiarum:*

Oritur igitur haec pax ex fide in Christum, sicut Paulus scribit Rom. v. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus ad Deum, per dominum nostrum Iesum Christum. Per quem & accessum habemus per fidẽ, in gratiam istam in qua stamus, & gloriamur in spe gloriae filiorum dei. Hic igitur audis securitatem internam esse & regnare in hac pace, nec perueniri ad eam, nisi per fidem in Christum. Sicut autem per fidem, ita hac consciẽtiarum pace glorificatur Deus, ideo in bonis operibus iustificatorum debet numerari. Nec eñ habent illi, sola externa opera & facta bona, sed uel maxime, internos motus cordis pios, castos & sanctos.

Proinde pax illa, de qua nunc mihi sermo est, tranquillitas est compositę mentis, qua eijciuntur ex animo quilibet terrores non modo impij mundi, persequentis sua cęcitate gloriam Christi, uerum etiam, pec

protectionem Christi confugiunt. Deinde cauent, ne ea admittant, qui bus constat Deum offendi, id est, contẽptu & transgressionibus legis. Id ergo est alterum in pio timore, qui in arcanis literis dicitur, principiũ sapientię. Nã ut sine fide, nullus homini contingit, saltem pius, ita cum fide gubernat totam hominis uitam & retrahit illum, ne quid mali ope ris designet. Iam dilectio, oppositus timori affectus, oritur quocꝫ ex fide, estcꝫ hominis, qui mori malit, quam se abstrahi a glorificandi Dei studio. Ideo assiduo meditatur gratitudinem, & cõnititur obsequi um præstare Christo Iesu, prorsus in omnibus. Nec est illi quicꝙ gra ue, molestum, & non dulce, non iucundum, pati aut agere, pro amore domini Iesu. Efficit igitur hominem durare in afflictione, & quælibet aduersa perferre, nõ frangi tribulatione. Atcꝫ adeo obsequi Deo in om nibus. Quam uero sit officiosa erga hominem, propter Deum, prolixe docet Ioannes, & Paulus multis locis. Nec opus est testimonia adscribe re, in re quæ est omnibus cognita, nec habet qui contradicat.

Cæterum timor, qui est fidei cõiunctus, recte dicitur filialis, quia est colentis liberaliter Deũ, nec horrentis pœnas. Ille enim alter est impio rum, uiolentus et atrox. Fugãdus, ut Ioannes docet, i. Ioan. iiij. Timor nõ est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorẽ. Quoniam ti mor pœnam habet, (scilicet qui horret pœnas, consciẽtia malefacti.) qui autẽ timet, non est perfectus in charitate. Hoc igitur agendũ est, ut per fidem Euangelij, promoueamus in charitate Dei, quæ omnem im pium timorem eijciat. Atcꝫ adeo, ut uere diligamus deum. Nã est quæ dam praua dilectio, & corruptus affectus in homine, qua est homo sui amans potius ꝙ Dei, legis aut proximi. Aemula est autem piæ dilectio nis, ideo caute obseruandum est, ne nobis imponat.

DE SPE:

Spes est expectatio euentuũ promissionis. Ideo non multum differt a fide, nec admodum opus est curiose discernere eam a fide. Fide enim adpręhendimus saluationem, ut nobis proposita est, per euangelij pro missiones, nõ huius, sed futurę uitę & æternę glorię, propter Christũ. Quę fiducia quatenus durat, & expectat reuelationem glorię promissã, est spes, quo & Paulus respiciens, ait: spe em̃ salui facti sumus. Spes au tem, si uideatur, non est spes, &c.

Itacꝫ tam fides, quam spes, nititur in uerbo promissę salutis per Chri stum, incarnatum, passum & glorificatum, pro nostri salute. Vt ergo fi des est certa noticia, & fiducia, quę inde oritur, pręstitę nobis saluatio nis, in Christo Iesu: Ita spes, est expectatio futurę gloriæ, quæ reuelabi tur in nos. Quia gloria filiorum Dei adhuc abscondita est sub peccatri ce & mortali carne, necdum usu, seu fruitione possidetur. Sed manife stabitur post hanc uitam.

Porro

Porro autem, de huius glorię manifestatione extant multa scripturę testimonia. Quale est illud i. Ioan. iij. Charissimi, nūc filij Dei sumus. Et nondum adparuit, quod futuri sumus. Scimus autem, quod cū adparuerit, similes ei erimus: quoniam uidebimus eum sicuti est. Itē illud Phil. iij. Nostra autem conuersatio est in coelis. Vnde etiam seruatorē expectamus Dominū Iesum Christum, qui reformabit corpus humile nostrum, configuratum corpori suo glorioso, secundum efficaciā, qua potest ipse sibi subijcere omnia. Eodē ualet illud Col. iij. Mortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Cum autem adparuerit uita uestra, tunc & uos adparebitis cum ipso in gloria. Sed quid multis testimonijs opus est, huc enim directa est omnis spes sanctorum, ut glorificati olim a peccato & morte, regnent cum Christo in sempiternum. De quo lege, quid Paulus scribat, Rom. viij. Item in contionibus de resurrectione mortuorum, ut i. Cor. xv. i Thess. iiij. &c. Possunt & ex euangelij historia huc adplicari, ut quę sunt Ioa. v. xi. &c. Matthaei. xi. xiij. xvi. xxv. &c. Habet igitur spes eadem exercicia cum fide. Ac nititur illis, quae per promissiones & consolationes Euangelij offeruntur, fortiter perdurans in malis, perferens aduersa, & expectans liberationem. Ideo enim & Paulus dicit. Existimo enim, quod non sunt cōdignę passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae reuelabitur in nos. &c Ro. viij. Nam in hoc seculo uarie affligimur: & multis tribulatiōibus ueluti afferimur, dum probamur. Sed spei expectatione uicimus, & superamus, hęc omnia mala. Neq; tamē solis corporalibus afflictionibus exercemur. Nondum enim nec peccatum prorsus abolitū est: & mors durat, qua saepe grauiter terremur. Sed & diabolus uarijs artibus ac modis in nos saeuit. Tentat enim nos deijcere a spe salutis nō solum per seuiciam tyrannorum huius mundi: uerum etiam per imposturas impiarum doctrinarum, quae imperitos conijciant tandem in desperationem. Vt magna prudentia & circumspectione opus sit homini, quo duret in tantis malis, & non patiatur se deijci a spe salutis.

DE SPE NON EX MERITIS.

SEd attendendum est hoc loco, quod sicut doctores impietatis, cū de iusticia disputant, omnia referunt, non ad promissionis de Iesu Christo, & remissione peccati per ipsum, fidem: sed ad operum suorum iusticias, merita & dignitatem. Sic enim Iudaizant, ac spirant Pelagij uirus ex pulmone. Ita cum de spe loquuntur, affirmant hanc niti, in suis cuiusque operum iusticijs & meritis. Nam pręsumptionem esse existimāt, si quis sine meritis praecedentibus, audeat sperare, seu expectare, futurae & aeternae uitae gloriam. Quasi non praesumptionem, gratiae DEI contemptum, & abnegationem gloriae IESV CHRISTI, denique & desperationem doceant, eo quo iubet sperare, per iusticias

praecedentes, & non fidere ac niti solũ, in promissione gratiae hominẽ, & aeternę salutis per Christum. Haec eñ est pręsumptio, & abiuratio gratiae & sepelitio gloriae Christi, promittere sibi debitũ saluaciõis, pro meritis & dignitate operum suorꝫ. In qua impietate & errore, qui perseuerant, nunq̃ possunt saluari. Sed & cum reuelatur talibus immũdicia iusticiarum suarꝫ, ut necesse est fieri aliquando, tũc qui melius nõ sunt docti, coguntur desperare. Ergo quemadmodũ, cum opera & iusticias suas quisq̃ seorsim & sine promissionis fide intuetur, eum necesse est non modo dubitare, de futurae uitae salute & pręmijs in coelo, uerum etiam plane ac prorsus desperare: Ita expectationẽ aeternę salutis firmã & iustam, aliũde nõ possumus capere, quã ex fiducia nominis Domini nostri Iesu Christi. Nam aliud NOMEN non est datum hominibus sub coelo, per quod oporteat nos saluos fieri. Vae igitur istis, qui nos gloria gratiae dei, per suas impias doctrinas fraudant, & deijciunt a salutis Petra Christo Iesu, & in miseras iusticias rationis confidere docẽt: & gloriari contra gratiam. Non ergo sperabimus, nisi fiducia misericordię dei nostri, & meritorum Domini & saluatoris nostri Iesu Christi. Sed haec hactenus de fide & cognatis affectibus illius pace cordis, timore, dilectione, & spe. Posset autem hoc loco & de pacientia dici, qua in aduersis eundem statum mentis retinent homines pij, & aequę glorificant deũ ut in prosperis: non murmurant, non irascuntur deo, etiã si minus bene, pro rerꝫ praesentium necessitate, habere uideantur: cuius proponitur exemplum in B. Iob. Sed de illa, & alijs locis dictũ est, & ex omnibus quae dicta sunt de fide, timore, &c. satis poterit iudicari. Nunc ergo de impletione externi cultus Dei, suo ordine, loquemur.

Patientia.

DE IMPLETIONE OPERVM, SEV FACTORVM *externorum, secundi praecepti, & primo de confeßione.*

CAP. III.

PArtitus sum pręceptã bonorꝫ operũ iusticiã secundi pręcepti, in superiore illa decalogi enarracione, in confessionẽ & doctrinã, inuocationem, glorificacionẽ, laudem & gratiarum actionẽ. De quibus consilium est hoc loco quędam paulo copiosius dicere, & simul admonere discẽtes, quomodo illa pręcepta opera bona recte fieri possint a nobis. Dicam autem primo de cõfessione, sub qua comprehendi pędicationem & doctrinã. Est igitur confessio, quędã praedicatio & testimoniũ oris, quo exprimis, quid de Deo sentias in corde tuo: deque operibus & factis dei omnibus. Tum quantũ illius in te pręstita beneficia agnoscas: maximeq̃ quid sentias de redemptore Christo Iesu. Quę, ut nulla unq̃ uerax & pia facta est, aut fieri põt, ab incredulis: (Imo increduli soli resistũt glorię dei, et cõfessiõi illius debitę ac iustę cõtradicũt. Itẽ alia de deo ꝓnũciãt, q̃ oportet pronũciare) Ita nõ potest nõ fieri ab his, qui deũ et

Confeßio.

magni

magnitudinem potentiæ & bonitatis eius uere cognouerunt, & uere crediderunt in eum. Iuxta illud ps. cxvij. Credidi, propter quod locutus sum. Nec possunt tales ullius periculi malo absterreri a confessiõe. Nã qui metu & terrore persecutionum fugiunt confessionem, illi produnt se non modica fidei imbecillitate laborare, aut certe, penitus nihil credere in Deum. Sane em̃ Propheta Dauid inquit: Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu Regum & non confundebar. Ps. cxix. Nec possunt ei dissimiles in confessione esse, quicunq; in Deum crediderũt uere. Ex quo iterum liquet nullum opus perfecte bonum præstari ab eo posse, qui uera, firma, & solida in Deum fide, non est prędítus, & semper primam curam in id adhibendam esse, ut Deum perfecte cognoscamus per fidem. Cognoscitur itaq; Dei potentia, maiestas, uoluntas, bonitas & gratia, in quibus uult glorificari a nobis, cum ex omnibus operibus & factis suis, tum per uerbi sui prædicationem & doctrinam. Nam in operibus creatiõis declarat se Deus infinita potentia excellere & gloriosum esse, sicut Paulus docet Rom. i. Quamq; autem & præcipua quędam testimonia sint bonitatis & clementię Dei, erga genus humanum in illis omnibus rebus, tamen uoluntas & gratia erga nos Dei omnium maxime declaratur per Euangelium de Christo, ut quem nobis Deus pater liberalissima benignitate misericordię suę æternum seruatorem in terras misit. Est & uoluntas Dei nobis reuelata, per prędicationem suæ legis, & pœnitentię quam a nobis requirit & testatur coram se adprobari eam. Quæ omnia prębent quasi materiam confitenti, & in confessione glorificanti Deum. Idcirco & diligenter elaborandum est ut ad illorum omnium perfectam noticiam & cognitionem perueniamus. Nam qui Deum suo honore fraudant, nec reddunt eam, quæ ipsi debetur, illi nõ possunt saluari. Quin etiam traduntur in plura alia uicia & peccata: ut grauius ac seuerius puniantur. Sæpe igitur concionantur Prophetæ de infinita illa & stupenda potentia Dei, qua cõdidit omnia, & qua gubernat, disponit ac seruat omnia. Item legem & pœnitentiam diligẽter prædicant. Nec tacent promissiones gratię illius, per quam contingit, propter Christum, remissio peccati & æterna salus, omnibus qui credunt in eum. Nec his omnibus in aliud tendunt, quam ut creata in nobis perfecta & uera noticia Dei, ad confessionem glorię eius erigamur: & ad reliquũ cultum, Deo debitum. De quo & scripsimus in superiore huius libri parte, & in hac subinde copiosius scribemus. Nec alia est Christi & Apostolorꝝ prędicacio & doctrina, nec in aliud tendit, quã illa Prophetarꝝ, quam dixi. In eo diuersa est, ꝙ in euangelio docemur de exhibito, passo, glorificato & regnãte Christo, quem prophetę oẽs uaticinabantur uenturum & in populo Dei regnaturum. Et illis promissionibus gratiæ populum consolabantur, & in fide saluationis retinebant. Finis autem idem est & perpetuus ab omnibus propositus, ut

Vnde haberi uera noticia Dei posit.

Materia confeßionis.

Deus in fide cognitus, & confessione laudis & gratiarum actionis, item totius uitęque pietate, glorificetur. Sed est pręterea etiam quædam peccatorum & delictorū nostrorum confessio, itidemque necessaria saluādis. Quam nō possunt non facere, qui uere in redemptorem Christum credūt, sicut qui ignari sunt Euāgelij gratię, nunquam faciūt eam, nec intelligūt eius usum. Tametsi quidam hypocritę uideantur multum confiteri, & diuersi aliquot alij per desperationem faciunt eam. Nos enim de pia & salutifica loquimur, quæ quomodo & quantum glorificet Deum, & nomen seruatoris nostri Iesu Christi, abunde dictum est in superiore libro secundo. Fit igitur tot modis confessio glorię Dei, quot sunt mirabiliū & adorandorum operum atque factorum Dei, quæ nobis declarant eius infinitam potentiam, sapientiam, uoluntatem & gratiam. In illis enim cernere est conditoris uirtutem, & seruatoris bonitatem. Quæ intellecta efficiunt nos rite cōfiteri. Vt enim per fidem agnoscimus illa omnia & accepta Deo ferimus: Ita per confessionem his de rebus protestamur corā hominibus. Quod illis, qui uerbum nostrum adprobant & recipiunt, eo prodest, ut & ipsi Deo suam laudem tribuant per fidei confessionē, & illa cōfessione salui fiant. Sicut Paulus inquit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Non quod homo per confessionem, id est, operis sui meritio, saluus fiat, sed quod confitendo Deum recte honoret, & illa omnia tribuat ei, quæ saluandos per fidem necesse est Deo tribuere.

Nō saluamur merito confessionis.

Ita quidem necessaria est confessio. Nam omnis qui detrectat eam, siue in aliud transfert Dei laudem, quam oportet, nequit saluari. Iuxta illud Christi, Luc. xii. Omnis quicunque confitebitur me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum corā angelis Dei. Qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram angelis Dei. Iam eadem ratio est faciendę confessionis, de omni gloria Dei. Proinde recte dicitur: quemlibet, qui confitetur Deum, ut oportet, saluari, tametsi propter confessionē nemo saluus fiat. Saluatio enim, ut alijs multis locis clare docui, per aliud contingit nobis, quam operis nostri merito aut dignitate: qualecunque aut quodcunque sit illud. Saluatio enim est gratuita beneficentia misericordię Dei, nec obtinetur, nisi per fidem in Christum. Quod etiam profitetur confessor, hoc agnoscens in corde suo: ore autem tribuit seruatori Christo hanc omnē laudem. Ideo non potest non saluus fieri confessor, etiamsi confessio ipsa neminem saluet. Sed habebit tamen haud dubie ingentia pręmia in coelis.

Necessitas & pietas iustæ confessionis.

Hæc est igitur necessitas & pietas confessionis. Quia oportet, ut Deum honoremus, & glorificemus, quod fit quidem iusta confessione. Non autem honorant Deum, nec possunt confiteri illum, qui si quid habent, id suę industrię acceptum ferunt, siue qui meritis operū & iusticiarum suarum tribuunt laudem saluationis. Sed uere honorant

atque colunt Deum, qui & corporales necessitates, & spirituales illas iustiticiæ & æternæ uitæ, agnoscunt se accipere a Deo: cum confessione laudis & gratiarum actionis. Isti confessores scilicet salui fiunt: tametsi nullius operis sui merito saluentur. Ne cõfessione quidẽ, quantumuis arduo & summo. Significat enim opus obedientiæ nostrę confessio: per quam si daretur salus, non esset gratuita iustificatio. Sed gratuitam esse omes contiones Apostolorũ testãtur. Ideo diligenter cauenda est & fugienda illa horribilis blasphemia, qua quidã Christi honorem, transferũt in iusticias carnis: multis modis imperfectas & immundas.

Sed non habemus pulchriorem methodum confessionis Christianę, quam est in eo Symbolo proposita, quod dicitur Apostolorum: et merito ab omnibus Christianis ediscitur. Nam & utilissimum est, illius meditatione quotidie sese exercere, quod uel ea causa hic breui expositione percurram: Hoc eñi & imperitioribus proderit: qui uidelicet eius tractatione Deum nunc melius & rectius glorificabunt. Possumus enim eius usu rationẽ nobiscum inire, primo, quantum sit ueræ fidei in nobis: deinde, quãtum in confessione non pharisaica suæ glorię, Deo patri, & seruatori Christo Iesu tribuamus. Pulcherrime igitur exercet fidem confessio: tum efficacissima est ad sedãdas perturbatiões, quæ in consciẽtia oriunt, terrore pctĩ, legis, mortis, infernorum ac Diaboli. Denique & facit confessio ad laudandum et glorificandum Deum in omnibus eius operibus & factis. Quia in illa etiam gratias agimus Deo pro quibuslibet erga nos beneficijs, tum corporalibus, tum spiritualibus & æternis. *Methodus confessionis.*

Sed sic est quædam abscondita confessio: qua se corã Deo exercent, qui crediderunt. Alia est, quę fit in publico coram hoĩbus, aut per doctrinã & prędicationẽ: aut cum ratio doctrinę redditur in conspectu Regũ, & magistratuũ, qui illi aduersantur. Ex quibus aliquos adserit confessio, ac pertrahit ad fidem omnis glorię Dei & Iesu Christi: & efficit, ut ipsi quoque confiteantur Deum, ac redemptorẽ Christum, coram inimicis & aduersarijs gloriæ Dei, uel periculo mortis. Et uel hinc liquet, cur constantis confessionis faciendæ simus debitores. Innotescit enim nostra confessione Dei gloria, & confessio seruit proximo. Nos autẽ periculo salutis nec tacere gloriã Dei, nec deesse proximo, ullo dilectionis officio, debemus.

EXEGESIS SYMBOLI, QVOD DICItur Apostolorum, breuißima.

IGitur in symboli, quod uocatur Apostolorum, confessione, oĩm primo explicanda sunt, quæ de Deitatis essentia & natura in literis sacris docent: quod uidelicet est DEVS, unus, trinus, omnipotens, æternus, inuisibilis, &c. Postea considerandi sunt effectus, seu operationes Deitatis: ut creationis & gubernatiõis & conseruationis omniũ rerum. Et præsertim, quibus se exercuit deitas, in humana Christi natura: nempe, *Cap. IIII.*

per eius incarnationem, passionē, & glorificationem: ad iustificationē & saluationem generis humani. Item, per spiritus sancti missionē. Nā etiam hæc fit propter Christum: ad ecclesiarum & electorū dei uiuificationem, & conseruationem. Proinde in hunc modum per confessionem, profitemur nos firmiter credere, tres esse personas, unius diuinę essentiæ & naturæ, quæ adpellatur & est deus: coæquales & coæternas. Eiusdem sapientię, potentiæ, bonitatis & gloriæ: ac breuiter omnium, quæ a deo dici ac credi debent. Patrem uidelicet, & filium, & spiritum sanctum. Porro in filij adpellatione, non attendimus solum æternitatem uerbi: uerumetiam incarnationis gloriam, quæ facta est in salutem generis humani. Tametsi & in spiritus sancti adpellatione, est quædam peculiaris relatio consideranda. Procedit enim a patre & filio spiritus ille: et propter filium Christum datͣ electis dei, & sanctificandis uirtute spiritus per noticiam patris & filij. Idem autem spiritus & legem cordibus iustorū inscribit, ac facit eos facere mandata & uoluntatem dei. Denique ad uitę hereditatem perducit. Quia sine spiritus operatione & uirtute, nemo necꝫ doceri de deo & Christo Iesu, necꝫ doctus consistere posset. Dicentes itacꝫ.

CREDO in Deum, patrem, omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

Detestamur nō solum, quaslibet impiarum Gentium Idolatrias, de quibus in primo præcepto Decalogi dictum est: aut Epicureorum blasphemias, qui prouidentiam derogant deo, & scientiam de rebus humanis. Contra illud Petri. Omnem sollicitudinem proijcientes in eū. Quoniam ipsi cura est de uobis. Verum etiam tribuimus deo, æternam essentiam & naturam: Item omnipotentiam, qua omnia ex nihilo condidit, & condita sua unius sapientia, potentia & bonitate conseruat, regit, gubernat, alit, fouet, fœcundat & defendit ab interitus & corruptiōis iniuria, quā diu ei uisum est defendere & seruare. Deinde eidem tribuimus quod per ipsius mere gratuitam misericordiam & bonitatem, homines multis modis indigni, impij & peccatores, in gratiam & gloriam filiorum dei recipiamur. Idcirco enim deum appellamus patrem, uidelicet hoc gratiæ spiritu, per Iesum Christum donati, a quo per misericordiam dei liberati sumus a peccato & a morte.

SIC IGITVR ET CVM DICIMVS.

Et in Iesum Christum, filium eius unicum, Dominum nostrum. Qui conceptus est de spiritu sancto, natus ex Maria uirgine. Passus sub pontio Pilato crucifixus, mortuus, & sepultus. Descendit ad inferna: tertia die resurrexit à mortuis. Ascendit ad cœlos, sedet ad dexterā Dei, patris: omnipotentis. Inde uenturus est iudicare uiuos & mortuos.

DE FIDE redemptionis, iustificationis & æternæ saluationis perfectissime profitemur. Nam quia per iusticias legis nos liberati

a peccato & morte fuit impossibile: Ideo traditus est per misericordiam dei redemptor & iustificator Christus, per quem saluati sumus a peccato, morte, inferis, diabolo, atque æternis maledictionibus legis. Venit enim deus & homo, CHRISTVS Iesus, ad hoc missus a deo patre in mundum. Conceptus autem & genitus absque omni macula & contagione peccati operatione & uirtute spiritus sancti, matre uirgine Maria, de stirpe & familia domus Dauid, & semetipsum dedit precium ac satisfactionem pro nostris peccatis

Omnino autem nemo alius potuisset nos a peccato & morte liberare, nisi hic dei filius, Christus: mundi unicus atque æternns seruator uidelicet. Nos enim omnes in peccato sumus: & propter peccatū filij iræ & æternæ mortis, ipsius diaboli serui: atque in potestatem eius redacti. Nec potuit diabolus quam diuina potentia uinci: & humanum genus illi eripi. Ea igitur causa, incarnatus est dei filius, Christus, et factus homo traditus est in oblationē & uictimam deo, pro nostris peccatis & pro æterna morte. Quin etiā horrores inferni pertulit: ut quibuslibet malis, peccatoribus debitis, per semetipsum gustatis, & perfectissime deuictis, omnibus qui credunt in ipsum, spem faciat iusticiæ & æternæ uitæ. Ideo enī & glorificatus est, per resurrectionem a morte: sicut Petrus scribit. i. Petri i. Regenuit nos in spē uiuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis. Sed & rerum omnium potestas tradita est Christo in manus: et ipse eleuatus est super omnes coelos, ut glorificatus in dextra dei, ecclesiam suā coelitus & diuina potentia gubernet, regat, perficiat, & a quauis iniuria defendat. Item, ut desiderio ipsius in nobis accēso, e cupiditatibus atque curis terrenorum extrahamur: maximeque ut migrātes ex hoc mundo a Christo recipiamur, qui in fidei unitate & firmitate permansimus. Et hac in parte gloriæ suæ, quam nobis possidet ac tenet cōmunem, potestatem accepit malos perdere, bonos autē æterna uita glorificare, ideo adijcitur in symbolo, uēturum esse Christū & iudicaturum uiuos & mortuos.

Credo in spiritum sanctum, Sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem. Remißionem peccatorum. Carnis resurrectionem, Et uitam æternam Amen.

Hac tertia denique symboli Apostolici parte clarissime de gratia, auxilio & effectibus spiritus sancti in ecclesia cōfitemur: & testamur eius esse, corda nostra illuminare per Euangelion cognitione dei patris & filij eius IESV CHRISTI. Item, accendere amore legis dei & proximi. Nam ad hoc mitti constat spiritum sanctum: & illius hæc propria ac præcipua officia esse in ecclesia, quæ est communio illa & societas ac coetus populi sanctorum: cui per Christi beneficium contingit peccati remissio & æterna uita.

Illi igitur spiritui tribuimus per fidei confessionem, quod nos doceat

ac consoletur per euangelium, de remissione peccati & promissionibus æternæ uitæ. Item quod nouã uitam inchoet in nobis, & nouos aïorum motus creet. In summa, quod nos faciat Ecclesiam illã dei, cuius est per cõdonatam peccati remissionẽ propter Christũ, æternæ uitæ hęreditas. Nam per Euangelij annũciationem cõgregat illã in fidei unitate, et efficit ut pœnitentiam agat, ac glorię dei in omnibus seruiat, suis cupiditatibus moriatur, perferat crucem, & quaslibet afflictiões noïe Christi. Atq; expectet deniq; & perfectissimam abolitionẽ peccati & mortis, ut sine qua nec resurrectio mortuorum, nec uita æterna accipi aut possideri possent.

DE ECCLESIA *peculiaris tractatio.*

CAP. V. SEd dicam hoc loco quædam per occasionem paulo copiosius de Ecclesia, quam feci in symboli Apostolici enarratione: ut plane intelligatur, quæ nam sit illa, quam Christus agnoscit pro sua Ecclesia, & sponsę loco habet. Illius quæ non habet maculam aut rugam: sicut Paulus inqt, de ecclesia, sed est sancta tota: & inculpabilis, maxime coram Deo,

Ecclesiæ nomen: Proinde Ecclesiæ adpellatione significatur cœtus & congregatio quędam, id est: populi alicuius certa multitudo. Dicta est autẽ ab euocando seu conuocando, quo etiã Paulus alludere uidetur, in locis, in quibus ad certas ecclesias scribens, adpellat illas uocatos sanctos. Intelligens nimirum, ad fidem promissionum gratię, & euangelij de Christo, remissione peccati, & uita æterna per ipsum euocatas seu conuocatas esse. Quãquam & *Synagoga.* Synagogæ nomine significetur congregatio & societas quædam populi, quæ est certa ratione unita: sed a cogendo & in unum compellẽdo. Quia est populi legis: qui sine libertatis spũ agit. Lex enĩ est in iustis posita: & officiũ pędagogi pręstat iustificandis per Christũ Iesum. Et trangressoribus durissime loquit: ut, maledictus q nõ permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro legis. Nec potest tamẽ liberare a peccato, seu iustificare peccatores. Ideo populum inuitum ac rebellẽ sub pręceptis iusticię operum retinet, coactum, & conclusum sub lege, ceu in cauea quadam, ne se ipso deterior fiat, hoc est, ne secundum concupiscẽtias carnis, in quæuis delicta, transgressiões, & scelera diffluat ac dilabatur. Et peccatores interim, quales natura oẽs homines sumus, grauissime accusat, reprehendit ac damnat. Nam hæc esse legis pręcipua officia satis cõstat. Ideo carnalibus seruit. id est, duris & intractabilibus, quos sub pręceptis operum conclusos retinet, non sine tedio, odio & summa molestia cordis eorum, conceptis contra legem. Quanquam prodest hoc legis officio ita coherceri, tum ne quis se ipso deterior fiat, ut dixi, tum etiam, ut magnitudo peccati cognoscatur. Hic ergo populus, qui est oĩm, quos nondum regenuit gratia per fidem in Christum, nec dũ gubernatur per spũm sanctũ, habet spũm seruitutis & timoris, eoq; & odij aduersus legem &

gem & deum. Cuius tota iusticia est pharisaica & uiolenta. Ideo nec potest quenquam a morte saluare. Ecclesia autem est renatorū, per fidē in Christū, collecta societas & multitudo: a legibus liberata, id est, ab ira & maledictionibus legis. Per gratiā enim euocata est ad Euāgelij ꝓmissiones & consolationes illas, quibus offertur nobis Christi nomine, remissio peccati & æterna uita. Idcirco liberamur per eas a peccato, & iustificamur peccatores, quatenus credimus in Christum. Quin etiam spiritu sancto donamur, ꝓpter Christū: ut sine simulatiōe, sine odio aduersus legē, necꝫ coacte, seruiamus deo in nouitate uitæ propter Christum. Quibus ob id lex necꝫ uult necꝫ potest noxia esse: sicut Paulus docet Gala. v. legem nō aduersari illis, qui per fidem iusticiæ spiritus studēt. Hęc enim esse, quę per Euāgelium ad nos adferuntur nemo pius ignorat: nec opus est hoc loco prolixis demonstrationibus ad id probandū. Euāgelium enim, quo ecclesiæ fundantur, missum est ut peccatores consoletur: eos qui uere contriti sunt & per promissionē remissionis peccati æternæ morti eripiat. Ideo & a Paulo uocatur potentia dei, ad salutem, omni qui credit. Et quoniam a spiritu sancto gubernatur ecclesia, ideo placide regitur: nec uult aliud, quam licet, aut oportet uelle. In quam unam illud Pauli quadrat. Lex iusto nō est posita. Credit itaꝫ in Christū, quę uere est ecclesia & regitur a spū sancto. Idcirco diligit deū, legem & proximū: agit pœnitentiā, & nouitati uitę studet. Præstat itē pœnitentiā, sine murmure & sine querela, in aduersis: expectans perfectam renouationem sui & liberationē a quauis corruptione peccati, mortalitatis, & interitus iniuria. Sane em̄ non est ecclesia, quę promissiōibus Euāgelij nō credit: aut aliunde quęrit iustificari, quā per fidem in Christū. Nec quæ flagitiose & sine pœnitentia uiuit, desiderijs peccati indulgēs. Nam uera ecclesia, ut per gratię fidem, deo & redēptori Christo acceptum fert iustificationis & saluationis donum. Ita glorię dei in omnibus uiuit, & sollicita est bonis operibus proficere ac pręcellere. Ea enim est fidei efficatia in electis dei: quibus uidelicet seruit Euāgelium ad ueram iusticiam & ęternā uitam. Quapropter utrumcꝫ operatᷣ, tam remissionis peccati fidē, quam pœnitentiā, & uitæ nouitatē aliquam, quę oportet nomine Christi per Euangelium docere in ecclesia. Hæc ergo ecclesia est sancta & perfecte munda a peccato adeocꝫ inculpabilis, per donum remissiōis peccati: quatenus credit in Christū, quem habet preciū & sanctificationem pro peccato & pro ęterna morte. Item quatenus mundatᷣ a spiritu sancto: & nouitati uitæ studet, sine impijs opinionibus merēdi saluationē, per operum iusticias. Itacꝫ perfecta mundicies illa qua corā deo inculpabiles sumus, nō est uirtutis obediētiæ nostrę: sed beneficentiæ dei & Iesu Christi. Si em̄ uirtutes nostras inspicias, est adhuc multū immundiciæ & imperfectionis in illis: propter reliquias peccati in natura, & quod per obediētiam nostrā nunquā possumus pręceptæ in lege iusticiæ satisfacere. Sed

De ecclesia.

Ecclesia quomodo & munda sancta.

& iussa est poenitentiam agere ecclesia, peccato resistere, & proficere in iusticia morum, quia nondũ est perfecte pura ab iniquinamẽtis peccati. Sancta per remissionem peccati propter fidem in iustificatorem Christũ, sancta item, quia a spiritu sancto gubernatur. Cuius iusticię placent deo, & pro perfectis reputantur, quatenus ex fide recõciliationis praestantur.

Catholica. Appellatur Catholica, quia est totius orbis terrarũ, ubi sunt qui credunt in Christũ: quę etiam coepit a condito orbe & durat ad eius finem, Quo noie est una, & uniuersaliter oĩm, qui crediderunt, credũt, aut credituri sunt in Christũ. Quamquã admixtos habet, multos hypocritas, & uanissimos nebulones, qui se pro ecclesia dei uenditant hic in terris, cum nihil sint minus: sed hos iudiciũ dei reuelabit. Sic enim sunt in ecclesia, ut paleae tritico admixtae. In quos, quia a Domino iudicabuntur, dictum est: paleas autẽ comburet igne inextinguibili. Matth. iij. Vera aũt ecclesia, ut per uerbum dei fundatur & conseruatur: ita per hoĩm traditiones uastatur ac perditur: de illis loquor, quas faciunt necessarias ad salutem, & dicunt meritorias esse remissionis peccati & uitae. Haec igitur satis commẽdant nobis precium uerbi dei, & docent, ut caueamus nobis a prophanis cultibus Papistarum, quibus propemodum deletae sunt atq; extinctae ecclesiae.

In summa, retinet uerbi gratiae fidẽ ecclesia: quod est est Euangelij de remissione pcti & uita ęterna, per Christũ. Cauet praeterea sibi diligentissime a pctõ, in quo prius, quam receperat Christũ, redemptorem suũ, iacuerat mortua. Et lapsa in peccatũ, mox iterũ resurgit, ac cautius agit. Facinorosos autẽ & impoenitentes, tanq̃ mortua mẽbra, resecat a corpore: quanquã & istos tandem reuersos, iterum recipit, ac denuo sibi incorporat. Et quoniã caput habet Christũ Iesum, idcirco seruiunt ei necessario oĩa in bonũ. Hinc etiã crescit in persecutione. Neq; enim potest diuinae uirtuti, quae agit in ea, quisquã resistere. Soli deo cognita est, iuxta illud: Ego scio quos elegerim. Ioan. xiij. Et sicut Paulus scribit, ij. Timoth. ij. Sed firmũ stat fundamentum dei, habens signaculũ hoc: Nouit Dñs suos. Externis tamen quibusdã notis & coram mundo cognita est: maxĩe per uerbum Euãgelij: & debitum sacramentorũ usum. Itẽ si poenitentiã agat, confiteat̃ Christum, perferat crucẽ, & pręstet proximis officia dilectionis. Ad cuius formã, quisquis non uiuit, non potest saluus fieri.

Porro huius ecclesiae sunt serui & ministri Pontifices & Episcopi: adeoq; dispensatores mysteriorũ dei. Non dñi, aut Imperatores. Nec acceperunt potestatẽ condendi leges in ecclesia: sed Euangeliũ docendi, & praedicandi poenitentiã, qualis in uerbo dei praescripta est. Ac potestatẽ habet ecclesia iudicandi de dogmatibus Episcoporũ: quin etiam integrũ est ecclesiae, eos Episcopos & doctores, qui nõ faciunt officium suũ, reijcere. Et, ut paucis dicã, nullius Magisteriũ agnoscit praeterq̃ Dñi & ca-

pitis sui

pitis sui Christi. Matth. xxiij. Eoq; nec audit, nisi qui illi adferunt euãgelium Christi. Ioan. x. Hæc est deniq;, quæ nõ errat, neq; potest errare: columna & firmamentũ ueritatis. i. Tim. iij. quatenus scilicet sui pastoris uocem audit, retinet ac sequitur. Alioqui quæ audit uocẽ alienorũ & adprobat dæmoniorũ doctrinas, quõ non erraret? Viderint ergo quid agant, & quõ sint de ouibus Christi, qui doctrinas hoim, pro infallibili fidei regula defendunt. Certe enim nisi pœniteat eos istius uani & crassi erroris, nõ modo non erũt computãdi inter filios dei, sed inter reprobos oim grauissime punient. Eo quod ecclesias intolerabili iniuria onerãt: & præ alijs obscurant gloriã dei, atq; adeo audacissime contemnunt.

Et hæc de ecclesia, quo melius confiteamur gloriã Christi, contra impostores istorũ temporum, qui dãnant hanc ecclesię definitionẽ, qua talis forma eius præscribitur, qualẽ hic tradidi. Igitur istis & hãc Pauli descriptionẽ obijcimus, quæ est Ephe. v. Christus dilexit ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, ut illã sanctificaret, mundans eã lauacro aquę in verbo, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiã, non habentem maculã aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta & irreprehensibilis. Hac ergo si possunt, meliorẽ formam ecclesiæ tradere, age faciant. Aut sinant ecclesiam gaudere, & sua uoluptate in Christo Iesu perfrui: & fruant ipsi uoluptatibus huius mũdi. De illis loquor, quibus neq; gloriæ Christi, neq; salutis ecclesiæ studium: & requirũt tñ, ut pro colũnis ecclesię habeantur. Sed nihil prodest cũ istis rixari. Nos gloriamur in Christo Iesu: qui est fundamẽtum ecclesię, et petra illa aduersus quã nihil possunt, nec portæ inferorũ. Multo minus satellitium istud diaboli & pseudoepiscoporum & tyrannorum, qui uolunt glorificari in hoc mundo, & Christi gloriam quærunt oppressam.

DE INVOCATIONE, PRAECLARO FIDEI *effectu: tum opere bono secundi præcepti.*

POst confessionẽ glorię dei & Iesu Christi, habet inuocatio maxĩe præclarum exercitiũ fidei: & utilissima est, atq; imprimis necessaria qua ecclesię utant: cum in cõmuni, tum priuatim pro se quisq;. Nam in quibuslibet calamitatibus rogandus est deus, ut nos eripiat: & pro necessitate iuuet, ac saluos faciat. In operibus ergo bonis secundi pręcepti, pręcipuo facit ad diuini noĩs honorem. Cũ enĩ aliqua re indigemus, tũc recurrimus ad deũ, & in precationibus nostris aperimus ei nostras necessitates, & gratiã atq; auxilium ab ipso petimus & rogamus: ita ut reqrit fieri, pro nostræ fidei in ipsum exercitatione & sui nominis honore. Quapropter & summe glorificat deum inuocatio: & nunquam potest omitti nisi cum maximarum rerum incommoditatibus, ac damnis. CAP. VII.

Glorificatio est, illum honorẽ habere deo, quod nos inuocãtes respiciat per filiũ Christũ: et in qbuslibet necessitatibus iuuet, et malis oĩbus eripiat. Tum illa fiducia incunctãter inuocare deũ: quã non potest nõ se

qui exauditio, liberatio, & salus. Iuxta illud Ioelis. ij. Omnis quicunq; inuocauerit nomē Domini saluus erit. Habet igitur maxime piam in Deum, tum utilē nobis exercitationē inuocatio: nec alia eius causa est, id est, cur Deus uelit a nobis inuocari, quam ut nos exaudiendo, pro sui nominis honore, ab ipso adiuuemur. Nam bonis nostris ipse nihil indiget: sed ut est fons quidam omnis bonitatis, atq; adeo ipsa bonitas, ita amat nobis prodesse. Neq; uult tñ, nisi per fidei inuocationē honoretur a nobis. Qua caussa & per præceptiones urget nos ad inuocandum: & promissionibus suauissimis allicit nos, ut ipsius opem, gratiam & auxilium quæramus & imploremus. Quarū nōnullas paulo post referemus. Sciunt igitur se grauissime peccare, isti qui non inuocāt nomen Domini, quoties opus est: ac rursus qui inuocant certissime confidant se placere deo, respici, exaudiri, & in quibuslibet necessitatibus adiuuari. Proinde & insigniter contemnitur deus ab his quos nec præcepta mouent, nec promissiones, ad inuocandum: præsertim in tot miserandis casibus & cladibus, quibus frequenter atterimur in hoc seculo. Imo, isti in quibus adeo nullum studium est gloriæ dei: aut salutis animarū suarum. Nam quorum frigent precationes, illi non obscure significant, se non magni facere dei gloriam: aut communem ecclesiarum salutem, siue quomodo ipsi a peccato liberentur & a periculosis tentationibus custodiantur. Rursus autem eximie honoratur Deus, a diuersis illis a quibus inuocatur. Nam & præceptam dei uoluntatem faciunt, & promissionum fidem exercent: eoq; & fœliciter in rebus omnibus agunt. Quoniam a deo, ut dictū est, respiciuntur & adiuuantur: ut enim honorant Dominum, ita uicissim honorantur ab eo. Quapropter inuocantes, impossibile est non exaudiri: quēadmodum & deseruntur a deo, qui eundem per neglectam inuocationem deseruerunt. Et huc facit illud .i. Reg. ij. quod deus loquitur. Quicunq; honorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Quare necesse est derelinqui istos a Deo, tādemq; confundi: ut etiam totius mundi fœlicitatibus florerent.

A caußis, quibus ad precatiões excitamur.

Sed subijciam hic nōnulla scripturæ testimonia, quibus & excitari & inflammari ad inuocationem, pium atq; ardens precationis studium, possumus. Omnino enim nosse oportet, quantas commoditates adferat, per fidem precationes fundere ad deum, qui debemus ad inuocationem præparari. Ignari enim utilitatis & fructus, qui consequi inuocationem solēt, quid possemus, aut quomodo a deo rogare: Quia ergo deus præcipit inuocationem, & quia innocantibus se astringit maximarum rerum promissionibus, testificans quod uelit petitiones nostras facere, idcirco utilissimum est precari: impiū & pernitiosum precatiōes omittere. Quod cū nos docent præterea ipsę petitiōes precationis, quę tradita est a Christo: tum plurima alia testimonia scripturæ, de quibus hic paucula quædam subijciamus.

Vt ex psal. cxlv. Prope est DOMINVS omnibus inuocantibus eũ omnibus qui inuocant eum in ueritate. Voluntatem timentium se faciet: & clamorem eorum audiet, & saluabit eos. Videlicet, eripiens illos ac liberans a quibuslibet calamitatibus, corporalibus, spiritualibus, & æternis: & desideria ipsorum replēs. Non possunt enim, qui decenter ac pie precātur, aliquid pugnās cum uolũtate dei rogare. Quapropter et nō possunt nō exaudiri, sicut etiam Ioannes testatur: i Ioan. v. Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quod quicquid petierimus secundum uoluntatem eius, audit nos. Sic autem & deus ipse consolantissime loquit̃ nobis. psal. l. Inuoca me in die tribulationis: & eripiam te, & glorificabis me. Huc faciunt exempla: & illud Dauidis psal. xxxij. Testatur enim p̃canti sibi remissa fuisse peccata, quod alijs proponit in consolationē. Sic eñ loquitur. Peccatum meum notum tibi feci: & delictum meum non operui. Dixi, confitebor super transgressionibus meis DOMino, & tu remisisti iniquitatem peccati mei. Pro hac (remissione.) orabit ad te omnis sanctus: in tempore inueniēdi. &c̃. Item facinoroso isti, de quo est Luc. xxiij. cum rite precaretur, dictum est a Domino: hodie mecum eris in paradiso. Et Christus testatur, quendã publicanum, inuocatiōis beneficio iustificatum descendisse a templo in domum suam: cuius uidelicet hæc fuerat precatio. DEVS propitius esto mihi peccatori. Et in Euangelio, inquit, Petite & dabitur uobis: quærite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis. Item, omnia quęcunq; petieritis in oratione, credentes, accipietis.

Sed hoc loco diligenter agendum est, ut in precationibus nostris, quas ad deum instituimus semper aliquid piarum & necessariarum rerũ ab ipso postulemus: ne sint ociosæ & hypocritarum iusticiæ. Non eñ est inuocatio, nec sunt precationes, in quibus nihil petitur a deo. Quod quibusdam hypocritis in more est, scilicet longas precatiões facere, & nihil petere a deo. Hoc tempore, nimis uulgatũ uicium. Ita solēt enim multi: fingunt se per precationes suas, multa bona opera cumulare, quibus & sibi & alijs cœli municipatum mereantur. Sed pij precatores istas pharisaicas caussas nō habent suæ inuocatiōis: sed eas quas dixi, & de q̃bus precipit in orandi formula Christus. Sit ergo petax oratio, & bonæ spei refertissima: quod uidelicet deus, semper conferat nobis aliquid utilium & necessariarum rerum. *Oratio sit petax.*

Spectetur autem in rogando finis ille principalior ac potior, ut omnia quæ petimus ad glorificandum DEVM referamus: ac ne quid uelimus nobis conferri contra eius uoluntatem. Itaque nec quęrendæ sunt procul rationes & causæ necessariarum petitionum: quæ etiam nunquã deesse possunt. Quod satis norũt qui precatiōis fomulã, q̃ tradita est a Christo, & necessarium usum eius mediocriter intelligunt

Vtinam enim tam plane intelligeretur, & in tam pio usu ab omnibus haberetur, quam est uulgaris ac trita. Atq; utinam attenderent homines, quantis in rebus conueniant DEVM, illi a qubus quotidie dicitur. Quanquam autem absolutam eius intelligentiam, nempe, rei spiritualissimæ, nemo audeat profiteri: tamen percurram eam ipsam formulam precandi, paululum infra, aliqua breui enarratiõe. Recte enim habetur, pro methodo, omnium quæ a Deo conuenit petere. Quæ etiam qualitercũque explicata, modo pie, admonebit nos, quam religiose sit dicenda. Itẽ, quanto cum fructu & utilitate dicatur ab illis, qui uere in Deum per Iesum Christum crediderunt, si tamen fiducia exaudiendæ precationis non destituantur.

Si igitur omnes intelligerent inuocationis usum & uera cordis fiducia illa uterenť, haberet haud dubie melius res priuatæ singulorum, & publicę omnium. Et ut usum orationis plurimi intelligant, tamen ne illi quidem, continuo, ut oportet, ea utuntur. Non est igitur res tam uulgaris, quam creditur esse, pia & efficax precatio. Certe, quos non docuit nisi litera, nihil quod est inuocationis pręstare possunt. Sane in externo cultu Dei, nullum aliud opus difficilius præstatu est, recta ac debita inuocatione. Ac necesse est quidem, ut ad omnia opera bona accedat fides: quod uidelicet respiciat ea Deus, adprobet propter Christum. Tamen inuocationi præ aliјs difficillimum est fidem adiungere: quod omnes, opinor, experiuntur. Cum igitur in his difficultatibus luctamur, ita mederi infirmitatibus nostris possumus, si cogitemus præceptum Dei esse, ut inuocemus. Necesse est igitur, ut placeat Deo, in summis cultibus, inuocatio: cum ipsum quoq; nomen DOMINI per eam præcipuo honoretur. Deinde, ueniant in memoriam promissiones. Nam quia Deus inuocantibus promittit exauditionem, testatissimum est, ꝙ maxime pronus ac procliuis, ut ita dicam, exaudiat ac faciat nostras petitiones.

Raritas piæ precãtium.

Omnium uero diligentissime cauendum est, ne quis existimet se exaudiri inuocationis merito: aut propter personalem aliquam sui dignitatem. Nam si propter opus operatum inuocationis exaudiremur, nihil differrent sanctorum iusticię, a iusticiјs hypocritarum, pharisæorum & quarumlibet gentiũ. Deinde si ullæ iusticiæ nostrę tales ac tantæ essent, ut propter eas respiceret nos Deus, & inuocantibus præstaret earum merito, quod petunt, eo ipso CHRISTI gloria euacuaretur: propter quẽ tamen unum constat nobis Deum fauere & propitium esse. Item, respicere inuocantes, tueri, adiuuare: eiusdem unius merito. Valde igitur stulte & pharisaice errant, qui precationes nostras numerant, in reliquo illo hypocriseos cultu, quem dicunt ex opere operato ualere coram Deo. Nam cum nihil tale sit in omnibus operibus, quæ ab homine præstare possunt: tum inuocationis exercitium omnium minime eo seruit. Nullus

Contra pharisaicũ errorẽ operis operati.

lus enim prorsus eius usus est, sine promissionis fide: cum alia politica officia & opera aliquo mõ requirat deus, & aliquam utilitatẽ adferant hõibus in hac cõmuni uita, etiã sine fide præstita. Inuocatio aũt sine fide prorsus est infructuosa: & nullã utilitatẽ habet, ne apud hoĩes quidẽ.

Quin etiam, quia inuocanti necessaria est fides promissionum gratiæ, ideo sine fide precari, est deum irridere potius quam honorare. Itẽ, fiducia priuatæ iusticię precari, omnium maxime redundat in gratiæ cõtemptum: & contumeliosum est in seruatorem Christũ, propter quem unum omnes iusticiæ nostræ demum probantur deo, quatenus credimus in eum. Somniare autem, quod ullæ precationes nostræ ualeant coram deo, ex opere operato, pharisaicum est, & plusquam uanum ac stultum. Itaq; Christus apud Ioannem cap. xvi. inquit: Amen amen dico uobis. Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Hæc ergo nominis Christi mentio tollat omnium primo hæsitationem illam nostrã, & impiam diffidentiã, quæ facit nos desperare exauditionẽ. Nam etiã si nos peccatores simus, & indigni, quos deus respiciat inuocantes: tamẽ propter Christum exaudimur, ut per quem nobis deus est placatus, & ꝓpitius pater, adeo ut nos dilectissimorũ filiorũ loco habeat. Deinde excludat arrogantem pręsumptionem operis iusticiæ nostrę: cui hypocritę tribuunt, quod per se apud deum placeant. Quarum immunditiem si intueamur, sine fide propiciatoris Iesu Christi, nunquã non cogemur, de gratia & fauore erga nos dei desperare. Proinde, si fiducia promissionũ gratiæ nobis desit, frustra est instituere aut facere precationem ad deum. Quod etiam Beatus Iacobus adfirmat, Iacobi. i. Sic inquiens: Si quis autem uestrum indiget sapientia, postulet a DEO, qui dat omnibus liberaliter, & non improperat, & dabitur ei, postulet autẽ in fide, nihil hæsitans. Qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui uento mouetur ac circumfertur. Non ergo existimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino. Vir uacillans animo non potest subsistere in omnibus uijs suis. Sed iam satis dictum est, quibus rationibus oporteat nos hæsitationi & diffidentię repugnare: ad quod præterea ualet, si cogitemus quod Christus ipse, qui nos exaudit cũ patre, modũ & ỽba petitionũ necessariarũ, utilium, & quas conuenit a deo rogare, nobis præscripsit. Vt maxime certum sit, si secundum eas rogauerimus deum, nos exaudiri.

Per mediatorẽ gratiæ Christũ exaudimur

SEQVITVR Enarratio Dominicæ orationis:

HAEC hactenus libuit pręmittere, tanq̃ pręparamẽta inuocatiõis: iã breuẽ quandã enarrationẽ dñicæ orationis dabimus. Id ergo mox ab initio summe nos cõsoletur, ꝙ aliqd rogaturi a deo, iussi sumus ab ipso met Domino Christo Iesu, in hunc modum exordiri. CAP. VII.

PATER noster, qui es in cœlis.

Nam hac præfaciuncula admonet nos Christus qua fide oporteat uenire ad inuocationem, & testatur, quod deus sit nobis placatus, quod respiciat nos: & quod curæ ei simus. Eoque & exaudiat inuocantes:

qui uidelicet ueniāt in fide adoptionis, quæ facta est per Christum. Et sic exaudiat, ut a quibuslibet aduersarijs malis liberet, & saluos faciat.

In summa, duplex argumentum est: Deum uelle nobis adesse & uelle nos iuuare, quoniam pater est. Tum posse nos saluare, cum nō sit excellentior, quam est DOMINVS cœli et terræ, cui omnes creaturæ seruiunt & omnia potestati eius sunt subiecta.

Reuocat itaq; Christus his uerbis nobis fidem adoptionis in memoriā: & requirit, ut per fiduciā nominis sui in illa consistamus. Qua certū sit, deum nobis esse patrē, misereri nostrū & ignoscere nobis. Qui qm̄ optimus est, ideo summe misericors est & placabilis pater: ultra, quā optare possumus. Ergo recipit peccatores, & saluat eos, qui ex fide paternæ beneuolentiæ eius ipsum accedunt. Sicut docemur in quadam parabola Lu. xv. de filio prodigo: quem fiducia paternæ beneuolentiæ retraxerat ex perditione, ac patri restituit, cui nihil optatius potuit contingere.

SANCTIFICETVR NOMEN TVVM.

IN omnibus, quæ instituimus, operamur & agimus, honori & gloriæ diuini nominis primas debemus: nec possumus aliter bene agere hic corporaliter in terris, aut saluari a peccato & a morte, et in futura uita beati esse, nisi illius gloriam omnibus præferamus: ideo in peticiōibus nostris docuit nos Christus ordiri a sanctificatione noīs Dei. Est aūt sanctificare nomen DOMINI, Deum ipsum celebrare & glorificare, recta confessione, prædicatione, inuocatione, laude & gratiarū actione: de quibus omnibus & in superiore parte huius libri dictum est, & nunc dicimus. Sed & facit ad glorificationem nominis Dei, huius uitæ nostræ emendatio: & in moribus uera atq; perfecta conuersio ad Deum.

Quod ergo præcipuum est, in hac peticiōe omniū primo rogamus, pro uera, recta, & firma noticia dei. Nā sine hac nec celebrari a nobis sua & debita laude posset Deus: nec nos ad DEVM conuerti. Sita est autem recta noticia Dei non solum in essentiæ diuinę cognitione, quatenus reuelata est testimonio scripturarum: uerumetiam in pręcipuis illis, quę sunt fidei, creationis omnium & redemptionis generis humani. Ergo nominis appellatione hæc omnia intelligere oportet: quæ uidelicet innotuerunt nobis de Deo, & quibus uult apud nos & a nobis celebrari. Quæ dum oramus sanctificari, nihil aliud petimus, nisi ut per ueram notitiam seu reuelationem cognita hic in terris, ab omnibus glorificentur in omnibus uitæ casibus.

Hac igitur prima petitione rogamus, ut confirmata in nobis noticia Dei, Deus ipse, ut oportet, glorificetur a nobis, id est, ut confiteamur ipsum, trinum, unum, omnipotentem, æternum, conditorem cœli & terræ, gubernatorem & cōseruatorem omnium: Item redemptorem humani generis, per filium Christum. Ideo & inuocemus eum in qualibet necessitate, & gratias in omnibus agamus. Non murmuremus contra

Deum in aduersis: sed patientiam seruemus & exerceamus. Et sicut dignum est Deo, ita in his terris filij Dei, per sanctam uitę conuersationem, honoremus ipsum. Proinde his rationibus sanctificatur nomen Domini: in quibus cum nihil possit humana infirmitas dignum deo præstare, ideo gratiam & auxilium diuinum implorare docemur, ut ea nobis contingant, per quæ Deus a nobis glorificetur: maxime, ut paternitatis nomen in nobis confirmetur. Et ne quid discrepet in nobis, a nominis honore: siue, quo nomen patris in filijs polluatur, dicto, moribus, aut factis. Ideo et quaslibet blasphemias in Deum hac petitione recte deprecamur: & offensiones ac scandala, quibus auertimur a gloriæ Dei studio. In summa, Nomen ipsum, quod in se uenerabile est & sanctum, petimus, ut usu nostro ita tractetur, ut Deo dignum est: & nobis, per gratiam filijs Dei, caussa pietatis in Deũ, & iusticiæ & æternæ uitæ, efficiatur. Ergo nomen, quod in se sanctum est, sanctificatur apud nos, nosmet ipsos sanctificando. Quapropter non petimus, ut nomen ipsum Dei sanctius efficiat, ut quod in se est absolutissime sanctum: sed ut sua uirtute dignam sanctificationem in nobis operetur, qua Deum glorificemus, & perpetuo beati simus.

Adueniat regnum tuum.

Hoc est, Tu nos guberna regno gratiæ tuæ, cum ut fiducia paternitatis tuæ confirmemur: tum ut pleno imperio spiritus & a peccatis retrahamur, & nouitati uitæ studeamus. Hæc sunt enim, quæ prædicari fecit nobis regno gratiæ suæ, per filium Christum: nempe, fides & pœnitencia. Sine quibus, ut nemo glorificare Dominum potest: ita nec regni cœlestis, seu uitæ æternæ, hæres fieri. Itaq; huius petitionis caussa præcessit in prima petitione. Nã ideo necesse habemus precari a Deo, ut nos regno gratiæ suæ gubernet, ne si præualeat in nobis regnum & tyrannis Diaboli, deum non glorificemus, & sic neq; a peccato neq; a morte saluemur. Ac gubernat quidem Deus omnia: nos tamen, qui credimus in eum, peculiariter ut dilectos filios, & uitæ æterna hæredes. Et certe principaliter in eum finem, ut a nobis glorificetur.

Vt ergo per Euangelium regni docemur his de rebus, quæ faciunt ad diuini nominis honorem: credita, confessa, & in omni uita adplicata ad usum: nempe, pœnitencia & remissio peccati. Lucæ ult. Ita hic precamur ea nobis: uel ut perfectiora contingant, uel ut confirmentur in nobis, ne aliquando amittamus. Atq; ut destructo in nobis peccati et Diaboli imperio, uirtus Dei occupet nos totos: & iustificatos efficiat consortes æternæ uitæ, & cœlestis hęreditatis. Quia igitur nostris uiribus nullo modo sufficimus ad glorificãdum Deum: & quia regno gratiæ filij Dei, Domini & seruatoris nostri donati sumus, ut Deũ glorificemus, iusti, salui & beati per eius gratiam: ideo rogamus, ut hæc dona perfecte nobis contingant, & ut semper retineamus ea. Id est, ut Deus per fidẽ gratię suę, in nobis regnet, uiuat & operet: & suę gloriæ nos seruire faciat, ne immortalitatis & cœlestis uitæ gloria priuemur.

Nam regnum Dei semper præsto est. Sed ideo docemur precari, ut nobis adueniat, quia opus habemus, ut Deus per speciale gratię effectum regnet in nobis: nosq; peccato & morti eripiat. Dixi aũt, quomodo hoc faciat, per promissionis euangelĳ fidem, & poenitentiã, quæ ex illa fluit. Et hanc regni Dei rationem in nobis, ita exponit Paulus, Tit. ĳ. Adparuit enim gratia Dei, & seruatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos: ut abnegantes impietatem & mundana desideria, modeste, iuste & pie uiuamus in præsenti seculo. Expectantes, beatam spem, & adparitionem gloriæ magni Dei, et saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarẽ, sectatorẽ bonorũ operũ.

Fiat uoluntas tua: ut in cœlo, sic etiam in terra.

Id est, perfice in nobis, quicquid uelis: uis aũt sanctificationem nostri. Ergo destrue in nobis corpus peccati: & fac nos peccatores uere humiliari, atq; ad te conuerti & uoluntati tuæ uiuere. Relicti enim nostræ uoluntati quæ est carnalis & praua, non possumus nisi perniciosa affectare & quærere: & quæ sunt dedecori nomini tuo glorioso, & uoluntati sanctę tuę aduersantur. Ideo rogamus, ut in omnibus tua uirtute nos corrobores ac munias: & auxilium spiritus tui administres, quo perficiatur in nobis tua uoluntas, quę sola iubet æqua, bona, recta & sancta. Nec poteris a nobis glorificari, nisi illi uoluntati tuæ prius fuerimus efficaciter per omnia subiecti: eiq;, ut oportet, uiuamus

Fluit igitur etiam hæc petitio ex prima, et coniunctam rationem habet cũ secunda. Nemo enim sanctificat Deum, qui uoluntati eius non uiuit: & ut sanctificatur Deus ab his in quibus per promissionis gratiæ fidem & spiritũ sanctum uiuit ac regnat: ita ab illis qui acti a Deo debitam obedientiam præstant. Maxime, quo ad uitæ poenitenciam, qua per gratiæ fidem conformes uoluntati dei efficiantur. Nec facile est hanc petitionem discernere a priore regni. Nisi quod hac rogamus operis nostri obedientiam: in priore autem, cœlestis gratiæ beneficia & dona, seu uirtutes infusas, quæ nos efficiant mãdata Dei facere & Deum glorificare.

Sic ergo est mirabilis ordo & dispositio in his tribus petitionibus: pro rerum natura ita coniunctis & cohærentibus, ut diuelli nequeant. Nemo eñ poterit sanctificare Deum, in quo ille non regnat: Deo autem regnante in nobis, necesse est uoluntates nostras, id est, desideria illa carnalia, per se impura, praua & noxia, mortificari & interire. Cum ergo accingimur ad precationem, pro sanctificatione nominis Dei, simul opus habemus rogare pro gratiæ regno: atq; ut illo regno uoluntas Dei in nobis perficiatur. Ne quid pugnans cum uolũtate Dei, & diuino nomini indignũ, quo signati sumus, nempe, filĳ Dei, admittamus.

Itaq; rogamus hac petitione, ut uoluntati dei per omnia respondeamus, & obtẽperemus ei: ut sicut in electis, iã glorificatis in cœlo, est conformitas

&

& unitas uoluntatis eorum ad uoluntatem Dei: ita & in nobis, qui adhuc militamus in terris, contra regnum peccati & mortis, eadem perficiatur & compleatur. De qua Petrus in hunc mundũ scribit. i Pet. iiij. Christo igitur passo pro nobis in carne, & uos eadem cogitatione armamini. Quia qui passus est in carne desijt a peccatis: ut non iam desiderijs hominum, sed uoluntati Dei, quod reliquũ est temporis in carne, uiuat. Sufficit enim præteritum tempus ad uoluntatem gentium traduxisse: ac ambulasse in lasciuia, concupiscentijs, uinolentia, commessationibus, potationibus, & nephario idolorum cultu.

Hanc ergo uoluntatem, quam rogamus perfici, definiunt nobis mandata Dei omnia: de quibus in superiore huius libri parte scripsimus. Itaq; cum dicimus, fiat uoluntas tua, non quidem rogamus uoluntatem illam, qua uult Deus fieri: quia illa est ęterna, & secundum eam semper operatur Deus. Sed eam petimus, qua per effectum gratiæ operatur in nobis. Vt sit sententia: perficiatur in nobis quicquid iubes: & præsta ea omnia, quæ uis fieri a nobis, pro impletione preceptæ sanctificationis. Deniq; effice, ut patientiam in afflictione & cruce prestemus: & mortificationẽ nostri sine murmure, aut blasphemis querimonijs, toleremus.

Panem nostrum quottidianum,
da nobis hodie.

Hactenus spiritualium & æternarũ rerum petitiones nostra expositione tractauimus: quibus cũ adiungat Christus petitionem, qua rogemus nobis panem quottidianum, simul docet nos, quo in corporalium & temporalium omnium rerum necessitatibus confugere oporteat: nempe, ad Deũ, & ab illo omnia quorũ usu opus habemus, in hac uita, ut a clementissimo patre, cui uidelicet curæ sumus, rogare. Nam cũ nobis & in corporalibus prouideat, & largiatur unus ea omĩa quę sunt huic uitæ necessaria, sicut prolixe docuit Christus, Matth. vi. debemus certe & in corporalibus necessitatibus, per inuocationẽ & petitionem illarum, nomen Dei patris nostri honorare. Ne qua re utamur sine sanctificatione: & sine glorificatione Dei. Nam etiamsi Deus incredulis, & prophanis Gentibus quoq;, largiatur corporales substãtias & reliqua huius uitæ: tamen illi rebus omnibus abutuntur, per hoc ꝙ dona dei non agnoscunt, nec rogant pro eis, & pro acceptis nullas gratias agunt. Ideo & noxia sunt eis omnia: & cooperant̃ in malũ. Igitur adpellatione panis, intelligas omĩa, quæ sunt huic uitę necessaria. Omnia em̃ hæc Deus largitur nobis: cui propterea hũc nominis honorẽ debemus, & reddere per inuocationẽ iubemur. Quod uidelicet, nos alat, regat & ab interitus iniuria conseruet: quodq; suppeditet nobis abunde omĩa ad fruendũ, quorũ in hac uita indgiemus. Et quoniã docuit nos Christus rogare panẽ quottidianum, recte admonet, ut si cõtigerit ille nobis a Deo, contẽti simus: nec plura affectemus, ac ne simus curiosi in crastinũ. Sicut etiã Paulus scribit. i Timoth. v. Habẽtes em̃ alimenta, & quibus tegamur, his contẽti simus. Igitur & cupiditatibus auari

cię, & curis huius uitæ, noxijs scilicet, imperemus: Tū benefici et liberales in pauperes esse discamus. Sicut idē Apostolus, loco pręcitato admonet, dicēs, Nam qui uolunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueū, & desideria multa uesana & noxia, quæ mergunt homines in interitū & perditionē. Radix enim omnium malorum est auaricia: quā quidam adpetentes aberrauerunt a fide, & implicuerunt se doloribus multis. Et ibidem: Diuitibus huius seculi pręcipe, ne superbiant: nec sperēt in incerto diuitiarum, sed in deo uiuo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendū. Sed benefici sint & ditescant bonis operibus: facile tribuendo, communicādo, thesaurizando sibi fundamentum bonum, in futurum, ut adprehendant æternam uitam.

Sic igitur agant, qui opibus abundant: et exerceant fidem donorum Dei: ac uelint esse boni dispensatores illorum. Luc. xvi. Nec sibi solis uiuere: sed necessitatibus proximorū pro uoluntate dei seruire. Qui enim habuerit opes & substantias huius mundi, & uiderit fratrem suum egere, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? i Ioan. iij. Itaq hæc petitio exercet creationis fidem: id est, curæ & prouidentiæ Dei pro omnibus nobis, in hac corporali uita. Et admonet ut impijs cupiditatibus plus habendi imperemus: quottidianis necessitatibus contenti. Item, si opes nobis affluant, nō possideamus illas sine usu, sed pauperū necessitati per eas seruiamus. Est autē creationis fides, ut obiter & hoc dicam, non speculatiua imaginatione, sed firmiter & uere statuere in corde, q Deus adsit nobis, in omnibus necessitatibus huius uitæ nostræ præsentissimus opitulator: & iuuet nos atq alat, protegat & defendat a quibuslibet malis. Det escam esurienti, & sitienti potū, nudo indumentum: & his similia, quorū usu in hac uita indigemus. Veluti eruditionem, artes, amicos, opes, familiā priuatim & Magistratus publice officium suū facientes. Item pacem horū temporū, bonam ualetudinē, & honestæ famæ conseruationē: In summa, defensionem omnium corporalium rerum.

In his ergo talibus exercitijs fidei explora cor tuū, num uere sentiat, & sine dubitatione statuat, illa quæ dixi omnia, te accipere a Deo: siue potius, an cogitet eas res unicuiq casu contingere, aut humana industria parari. Tunc em̄ uere ac certe intelliges, quantū intersit, inter humanas cogitationes de deo & operatiōibus Dei, ac ueram fidē: ac scies profundam esse impietatē cordis humani. Item, rem esse fidem, prorsus supra omnes uires rationis & cogitationū humanarū: qua si careas, frustra sit & inutile precationes fundere. Quin etiā pniciosum: nēpe, sacra uerba ore uersare, si cor promissis repugnet. Hoc enim cū fit, est Deū irridere & cōtemnere. Quod qui admittunt in corporalibus: quid in alijs sublimioribus faciāt, aut quō ulla in re glorificabunt Deū?

Et remitte nobis debita nostra sicut & nos remittimus debitoribus nostris.

Nihil restat oīm bonorū, quæ nobis optare prudenter aut pie possumus, ultra ea quæ in pręcdictis petitiōibus flagitare didicimus a deo. Ideo deinceps subijciuntur quædā deprecationes: quibus uidelicet aut ignoscentiā peccati rogamus,

rogamus, & quottidianorum delictorum: aut amotionem periculosarũ tentationũ. Aut denique in genere, quorumlibet malorũ: quibus possumus adobrui, damnũ pati uel in corporalibus rebus, aut salutis animæ iacturã facere.

Hæc igitur debita, quorũ remissionem rogamus, sunt pctã partim hgrentia in natura: quibus fit, ut a perfectione debitæ & præceptę obedientię nunquam non deficiamus. Partim externæ transgressiones, in quas forte labimur, præoccupati tentatione, & a Diabolo superati. Igitur hęc petitio testatur, remissionem pcti semper durare in ecclesia: contra Nouatianos, ueteres ac nouos. Nec obtineri eã, nisi per gratuitæ gratię fidẽ: quæ nulla est, nisi per propiciatorem Christũ habeatur in Deũ. Igitur & imperfecti & lapsi habent, quo se per quottidianam inuocationẽ consolentur: contra pctm̃ & terrores in conscientia, et ne qua tentatione absorbeãtur. Quapropter hęc petitio egregie exercet ac munit fidem nostrã: quæ est redemptionis nostræ, & remissi peccati per Christũ. Neque enim ullis unquam aliqua pctã remittuntur, quam per fidem in Christũ: Iuxta illud, I Ioan. ij. Hęc scribo uobis, ne peccetis. Sed & si quis peccauerit, aduocatũ habemus apud patrem, Iesum Christũ iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Hic ergo & præsumptio damnatur, eorum qui se existimant uiuere posse sine pctõ, & iusticiam per opera legis mereri: & desperatio, eorum quibus reuelata sunt sua peccata, & immundicies cordiũ suorum. Qui remissionẽ peccati quidem a gratia per inuocationem requirere debuerunt. Ac liquet ex his omnibus, quod etiã hic opus est nobis præcipua quadam diligentia & cura, qua corda nostra exploremus, nũ uere sentiant ac credant pctã sibi a Deo remitti: ne aut frustra petitiones nostras mittamus, aut cũ peccato grauiore illas faciamus. Cum aũt difficillimum sit credere, quod Deus peccato & erratis nostris ignoscat, cũ pręsertim quottidie labimur, & in multis omnes deficimus: Itẽ, rationi nostræ nunquam non contrariũ uideatur, ideo adiecta est adpendix huic petitioni, quæ nos firmiter doceat, de remissione peccati nostri corã deo: si uidelicet proximis nostris, sua errata & delicta quibus nos offenderunt, fiducia gratiæ, remiserimus & ignoscamus. Hęc enim nostra ignoscentia etiãsi remissionem peccati corã Deo nulli mereatur, tñ clare nos docet, id est, certo & infallibili signo, de facta remissione peccati nostri corã deo: & de uera illius fide in nobis, qua non possunt nõ remitti peccata nostra nobis corã Deo. Hæc igitur ualẽt ad exclusionẽ pusillanimitatis, & diffidentiæ ac dubitationis, quibus torquetur cor hominis, in quæstione de remissione pctõrum: quę Deus testatur se nobis remittere, remittẽtibus alijs, per gratię fidẽ, et cõdonare si quando cõdonauerimus alijs, pro nomine Iesu Christi honore.

Et ne nos inducas, in tentationem.

Id est, ne nos permittas uinci, aut superari tẽtatione: undecunque oriatur, seu a carne & pctõ, seu a mũdo, seu denique a Diabolo. His enim tribus modis periculose pulsamur, quod tñ per se nulli noxiũ est: sed cedere tentationi, uinci ac superari ab illa. Cũ aũt nemo resistere Christiane ulli tentationi possit, nõ adiutus a Deo, siue desertus a gratia, ideo iubemur petere a deo, ne nos in tenta-

tionem inducat, id est, ne sinat nos frangi tentatione & euerti fidem nostram, & eo ruere, ubi indigna Deo, nobis damnosa, admittamus. Cum igit iubeat Christus, ut Deū rogemus, ne nos inducat in tentationē, non obscure significat, quod Deus puniat aliquando nostra pctā alijs peccatis: nō quod impulsiue hoc faciat, tanq̃ caussa peccati, sed quia induci ac superari nos permittit: aut certe, quia nō impedit, ne inducamur, & per subtractionē auxilij sinit nos labi, errare, indigna Deo & pugnantia cum salute nostra, admittere. In quo ipse quidem opus iudicij & iræ suæ facit: quod etiā oīm horribilissimū est in pœnis peccati, maximeq́ꝫ metuendū. Et cū tale quid, per impœnitentiā frequenter mereamur, hoc diligentius precari cōuenit, ne in hanc diuinę ultionis seueritatē incidamus. Adest nobis domesticus hostis caro nostra, & desideria eius: quibus quo adigamur sæpe & perueniamus, discere potes ex illo Gal. v. Manifesta sunt opera carnis, quę sunt adulteriū, fornicatio, immūdicia, lasciuia, idolorū seruitus, ueneficia, inimicitię, cōtentio, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiōes, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, cōmessationes, & his similia, de quibus prædico uobis, sicut & prædixi, quod qui talia agūt, regnū Dei non cōsequētur. Foris aūt impugnāt nos mundus & Diabolus. Et mundus quidē uarijs blasphemiarū scandalis, & improborū exemplis, sollicitat nos ad fidei defectionē: Item, persecutionibus corporalibus, quibus tētat ui opprimere gloriā Christi, & ecclesiā perdere. Diabolus aūt, pręsumptione & desperatione alios & alios inpugnat. Et in hoc toto tentationū genere nemo fœliciter dimicabit, sine auxilio gratię, & destitutus uirtute spiritus sancti. Quare liquet hoc esse induci in tentationes periculosas, tētationibus permitti, & uacuū auxilio gratię deseri. Nā Deus nulli est caussa tentationū, seu ruinę in pctm̄: tametsi nō omnes iuuet, aut uictores faciat in tentatione. Cum aūt indignissimum sit ea admittere, per quæ Deus & nomen eius gloriosum dehonestatur, maxime filijs Dei: ut ne dicā, quā aduersetur saluti nostræ, in tantis peccatis esse: ideo imprimis cōuenit precari sollicite, ne auxilio gratiæ Dei & uirtute spiritus Christi destituamur. Hoc em̄ si fiat, nulli tentationi poterimus satis resistere: nec unq̃ saluari a peccato & a morte. Ac merebatur quidē ingratitudo nostra sæpe talē ultionem: sed bonus est Dominus, & inuocantibus in fide, per spiritū gratiæ nunq̃ nō adest. Quamq̃ & electos sinat aliqñ ruere in grauia pctā: sed ut humilient̄, & restituti cautius agant.

Sed libera nos à malo.

Id est, libera nos a qualibet noxia aduersitate: tam afflictionū & calamitatū corporalium, quam earum quæ impediunt salutem animæ nostræ. Maxime autem liberes nos ab insidiatore & tentatore Diabolo: qui nobis omnium malorum caussa principalis existit. Non peccati solum, sed & calamitatū, quę peccatoribus in pœnam infliguntur. Quamq̃ autem non omnes corporales calamitates ita noxię sunt, ut auertāt nos ab animę salute: tñ quia faciūt, ut minus cōmode in hac uita agamus, licet eas deprecari. Iuxta ea quæ dicta sunt in

quarta

quarta petitione: de corporaliũ necessitate. Sed & quia plerisq; corripimur, licet pro mitigatione correptionis precari. Quae etiã per poenitentiam iustorum, cuius est pars inuocatio, auertuntur. AMEN.

Acclamatio est hebraica, & significat uerum est, siue fiat. Adiecta in fine dominicae precationis, ut nos admoneat firmitatis promissionis, & exauditae inuocationis apud Deum, si in fide fuerimus precati.

De laudando & glorificando Deum: itemq; de gratiarum actione.

CAP.VIII.

Reliqua est laus & gratiarũ actio, ex illis operibus, quae in secundo mandato precipiuntur, pro sanctificãdo nomine Dei. Est aũt cõfessioni maxime affine laudare Deũ: & gratias ei agere. In illis eñ omnibus laudamus deũ & gratias agimus, quae cõfitenti materiam praebent: seu praedicanti opera & magnificentiam Dei. Et elucent praecipue in his quae sunt creationis oĩm: & redẽptionis humani generis. De quibus in superioribus aliquo mõ dictũ: est tñ pro dignitate explicari a nemine possunt. Sed differt tñ laus seu glorificatio a cõfessione: quia Deũ laudamus glorificantes, quatenus illi ferimus accepta quaelibet bñficia, corporalia, aut spiritualia regni gratiae, cũ gratiarũ actione. Confitemur aũt in acie & pugna, cõtra aduersarios Christi: qui laudi & gloriae Dei detrahunt, & auferunt quod tribuãt iusticijs carnis. Aut certe, cũ obortas a sensu peccati in cõscientia perturbationes sedamus. Nã eo quoq; ualere confessionẽ fidei, apud se factã, qualis cõtinetur in symbolo illo apostolico, supra enarrato, in cõfesso est, & a nemine potest negari. Quãta igitur insint, & q̃ praeclara fidei exercitia, huic glorificationi Dei, seu laudi, & supra aliquo mõ explicata sunt, parte prima cap. vij. de laude & gratiarũ actione & ex his omnibus, quae docui esse cõfessionis & praedicationis, intelligi possunt. Siquidẽ uere pij hoĩes, & in aduersis glorificant Deum, aeque ut in prosperis. Et pro alienis bonis nõ minus, q̃ pro priuatis suis: atq; adeo pro foelicitate aduersariorũ. Non intuentur eñ, nisi in opera & facta dei: q̃ nunquã nõ possunt adprobare, & pro sapiẽtissimis, iustissimis, aequissimis & sanctissimis habere. Ideo in omĩbus glorificãt Deũ & gratias agunt. Cõtra homines increduli frigide laudant Deũ: & nunq̃ serio gratias agunt. Sed ut ille inquit, celebrabit te, cũ ei bene feceris. psal. xxxxviij. Verũ hoc non est laudare deũ, sed sua desideria in deo, puersa cupiditate. Caeterũ exẽpla laudis & gratiarũ actionis, si q̃s requirat, peti possunt ex Mose, psalmis & oĩbus prophetis: nusq̃ eñ, uersanti in scripturis, nõ occurrent. Et in literis euangelij nõnulla habẽtur: ut Luc. i. duo preclara cãtica laudis & gratiarũ actionis. Alterum Ioannis baptistę, & alterũ uirginis matris Dñi. Itẽ Luc. ij. pulcherrimũ aliud iusti Simeonis. Quamq̃ in tota euãgelij historia, quid est nisi perpetua quaedam laus Dei & redemptoris Iesu Christi: atq; adeo in omnibus scriptis Apostolorũ: Quã si intelligerent iusticiarij Papistae, hypocritae, & amarent, nunq̃ pro glorijs carnis, ambitiosi et auari, tam seditiose rixarentur, ut faciunt hoc tempore.

Exẽpla laudis & gratiarũ actionis.

Sed & Christi exempla habemus, quę docent nos laudationē debere deo, & pro corporalibus bnficijs: ut sunt illa, in quibus refertur pauisse plura hominum milia paucis panibus, & pro beneficio gratias egisse Deo. Et pro spiritualibus & æternis. Vt in dominicę cœnę institutione. Nã & in illa gratias egit, sui memoriã commendare nobis uolens, & euangelij beneficia, æterna illa, ueluti inscribens in sacramentũ illud corporis & sanguinis sui, quod tũc instituit: quo nobis fidem redemptionis nostræ prædicat diligentissime, & cõmendat & uicissim exigit a nobis, confessionē, laudē et gratiarũ actionem.

Pro exaudita precatione gratias agit, Ioan. xi. Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Quo uidelicet docemur non solũ, ꝙ Deus respiciat ad preces inuocantiũ ipsum: sed etiã, quid debeant omnes pro exauditis precationibus: nimirũ, laudem & gratiarum actionem. Nã credentium preces semꝑ exaudiuntur: ut maxime rationis captui hoc probari non possit. Esto enim, ut sæpe nõ tribuat nobis Dominus quod uolumus, tñ exaudit nos: & tribuit quod mallemus, aut est conducibilius, siue quod cõuenit alio loco aut tempore dare. Hęc dico ut nunꝙ dubitemus de exauditis precationibus nostris: & ut Deũ semper cũ gratiarum actione glorificemus. Nã et Paulus ter precatus est remoueri stimulum: quod licet impetrare nõ posset, tñ melius quiddam diuinæ consolationis audiuit, nempe, sufficit tibi gratia mea. &c.

Paulus pro iustificatione Gentiũ frequenter gratias egit: ut ij. Thess. ij. Nos aũt debemus gratias agere Deo semper pro uobis fratres dilecti a Dño: quod elegerit uos ab initio ad salutē, per sanctificationē spiritus, & per fidem ueritatis: ad quod & uocauit uos, per euangelium nostrũ, in acquisitionem gloriosam Dñi nostri Iesu Christi. Nã eo exēplo pulchre docemur, pro quibus omnibus rebus deceat nos semper laudare Deũ & gratias agere: tũ quantum absint a Christianismo, qui nunꝙ inducunt in animũ pro aliquo beneficio gratias agere Deo, seu priuato, seu alieno & publico. Deniꝗ in hoc genere numerari debet Laus iudiciorum dei in pœnis reproborum: qui aut non credunt ueritati & illi contradicunt, aut sine pœnitentia manent. Quale exemplum refertur laudis factæ a Christo: Matth. xi. Gratias ago tibi pater, Domine cœli & terræ, quia abscondisti hæc a sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Ita pater: quoniã sic placitum fuit ante te. Sed exemplorũ iam satis est, quæ poterit quisꝗ meliore cum fructu, suis quælibet locis addiscere. Iam deniꝗ omnis iustificatorum uita est quædam laus, & glorificatio Dei. Nam opera & facta sua omnia, illi non debent, quam ad glorificandum Deum referre: & ut bono uitæ exemplo alijs præluceant, in gloriã Dei. Iuxta illud CHRISTI: Sic luceat lux uestra coram hominibus, ut uideant opera uestra bona, & glorificent patrē uestrũ ꝗ in cœlis est. Hinc ipsi quoꝗ Apostoli, iusticias credentiũ adpellãt hostias, sacrificia et oblationes, acceptas Deo, per Iesum Christũ, ut doceãt esse cõfessiones, laudatiões et gratitudines, per fidē iustificatorũ nõ merita saluatiõis per opera iustificandorũ

Vt

Vt Rom. xij. Paulus: Obsecro uos fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiã uiuentem, sanctam, Deo placentẽ, rationale obsequium uestrũ, &c. Item Petrus, i Pet. ij. Sacerdotiũ sanctum, offerentes spirituales hostias, acceptas deo per Iesum Christũ. Et Hebr. xiij. Per ipsum ergo offeramus hostiã laudis semper Deo: id est, fructũ labiorũ confitentiũ nomini eius. Caeterum iusticiae incredulorum, sunt grauissimae blasphemiae coram Deo: propter superbam arrogantiam operis operati, quae est in illa: eorum praesertim qui remissionem peccati & uitã per eas quaerunt. Quia detrahunt honori diuini nominis: id est, misericordiae gratuitae Dei, & beneficijs redemptoris Iesu Christi. Ideo si intelligere possent isti iusticiarij, qui hoc faciunt, in quantis sunt immundicijs & peccatis, adeoq; q̃ impie errent his opinionibus iusticias suas facientes, attẽtius sane discerent bene operari & Deũ glorificare. Nec ita fraudarent illum sui nominis honore: quem retinet tñ, uel inuitis omnibus aduersarijs suis, ac puniens istos aeterna morte.

DE CAERIMONARVM REVERENTIA ET VSV: *& in genere, quid sentiendum sit, de ecclesiasticis constitutionibus.*

VVlgare est, doctrinis mandatorũ hominũ, opponere illud dictũ, q̃d Christus ex Esaia citat, Matth. xv. Frustra colunt me, docentes doctrinas mandata hoĩm. Sed haec scripturae sententia prudenter intelligenda est: ne abutamur ea, cõtra utiles & pias caerimonias, ab hoĩbus ordinatas. Nõ pugnat eñ, nisi cũ impijs hoĩm doctrinis: quas oportet clare definire, ne bonas ordinationes simul cũ istis reijciamus. Proinde sunt quaedã ecclesiasticae constitutiones piae & utiles in ecclesia: id quod supra in enarratione tertij praecepti de sabbathorũ religione nonnihil docui. Nec pigebit ea de re, q̃nquidem occasio est, hic quoq; aliquid attingere: ne in hac secunda tractatione Decalogi prorsus nihil in tertiũ praeceptũ dicam. Maxime tñ propter illã caussam, quia uidelicet hoc tẽpore, quaelibet ordinationes ecclesiasticae ab imperitis sine iudicio damnant̃, & bonae cũ malis opprimũtur. Quod ipsum quoq; uergit ad ecclesiarũ uastationẽ: ut si quis uerbũ dei abijciat atq; cõtẽnat. Et certe autoritas Dei contẽnitur, si quis pias & utiles ordinationes reijciat, quantũuis ab hoĩbus cõstitutas. Cõsiderari aũt debet finis ordinationũ, in dijudicandis ac discernẽdis bonis a malis. Illa igit̃ praecepta hoĩm habẽt impios & pharisaicos fines, quorũ opera & facta dicũtur esse cultus dei: meritorius ex opere operato gratiae, remissionis pc̃ti & aeternae uitae. Huiusmodi traditiones oportet improbare propter impios fines: etiã in factis p̃ se nõ malis. Vt si hypocritae fingãt, Deũ coli certo genere uestitus & cibi, ac similiũ: & illũ cultum a Deo adprobari. Ita enim pronunciatur de multis talibus hoc tempore, in ecclesijs Papistarum: ex peruersis opinionibus, impie sentientium de religione & rebus pietatis: neq; quicquam intelligentium, de gratia Dei, & beneficijs Iesu Christi. De quibus intelligere oportet proprie illud Christi: Vane colunt me, mandatis hominum. Sunt etiam quaedam traditiones & doctrinae hominum, per se impiae & malae: etiamsi absq; his impijs finibus

præciperentur. Vt est traditio de cœlibatu: quia præcipitur cõtra uerbũ dei. Hic igitur omnibus necesse est repugnare: quia sunt laquei conscientiarum, reuera dæmoniorum doctrinæ, & fallaciæ spirituum impostorũ. Sicut Paulus clare docet. i Timoth. iiij. Verũ ut de hoc toto genere utilium, & rursus impiarũ constitutionum certius iudiciũ fieri possit, sciendum est, quasdã hominum traditiones esse rerum mediarum & indifferentiũ: ut quibus & bene & male uti possumus. Quod etiam in utranq; partẽ fieri, & in deteriorem magis q̃ in meliorẽ, per multas constitutionũ humanarũ obseruationes, hoc tempore in ecclesia, notissimum est. Sunt rursus quædã aliæ constitutiones, rerum ut dictum est per se impiarum: ut cũ præcipitur fieri aliquid quod aperte aduersatur mandatis Dei, aut quod sine peccato non potest præstari. Quales constitutiones semper pro irritis haberi debent. Nam autoritate diuina uiolantur: & nullum nisi pernitiosum, blasphemũ & damnabilẽ usum habere possunt. Dicamus itaq; de singulis istorũ ordine hoc loco paucula quædam: & de priore genere prius. Illius uidelicet, quod est mediorum & indifferentium, rationes explicaturi: quomodo in licito & pio usu retineatur, & quomodo in abusum cadat. Postea per quædam exempla de palam impijs constitutionibus scribamus. Media itaq;, quorum usus est indifferens, sunt constitutiones de ferijs, ieiunijs, cantilenis, cibis, & uestitu. Habent autem licitũ usum, si ordinentur, ut seruiant disciplinæ & ordini in ecclesia. Non ut sint cultus, qui ex opere operato ualeat, per se honori Deo, meritorius gratię, &c. & in quo summam pietatis constituamus. Ita ergo licitum est, quin etiam pium & utile, ordinare ferias, ut sciat populus, quo tempore conuenire debeat, certo loco, uerbum Dei discere, & sacramentis uti. Sic certæ lectiones & cantilenæ ordinari utiliter in ecclesia possunt: non quasi ista tali cęrimonia homines iustificentur, sed ut uerbum Dei imperiti melius discant. In hunc modũ & certa ieiunia ordinari in ecclesia, & præscribi uulgo utiliter possent: nempe ut populus ad certas supplicationes maiore reuerentia conueniret, aut certe ad doctrinã uerbi dei & sacramentorũ usum. Et ab his exẽplis satis poterit de usu licito & pio constitutionũ humanarũ iudicari. Cæterum, iusticiã, cultũ, & pctm̃, in cærimonijs & constitutionibus hoĩm ponere, est impietas & abusus taliũ ordinationũ. Hypocritæ enĩ ignari ueræ pietatis, ueri cultus & uerę fidei in Deũ, cærimoniarũ obseruationes, ab hominibus ordinatas iudicãt necessarias esse: & ideo meliores per eas affirmant homines fieri, eos a quibus obseruantur. Nã ita ponũt iusticiã in illis, & fingunt esse cultũ meritoriũ gratiæ, remissionis peccati, iusticiæ & uitæ ætern æ. Sed iste finis traditionũ simpliciter pharisaicus est et blasphemus et impius: et tribuit pręceptis hoĩm, q̃d ne quidẽ p̃ceptis dei tribui potest. Rursus deteriores esse dicũt q cærimonias ab hoĩbus cõstitutas nõ obseruãt: nõ q̃a ordinẽ turbẽt, omittẽtes rẽ mediã, bene constitutã: sed q̃ opus p se bonũ, utile ad impetrãdũ gratiã et saluationẽ, omittãt. Atq; ita ponũt pctm̃ in hoĩm p̃ceptis: prorsus ad similitudinem necessariorum

Traditionum triũ genera.

Mediorum licitus usus.

De abusu in medijs.

cessariorum operum a Deo præceptorum. Quod est doctrinas hominũ mãdatis dei æquare, non sine summa blasphemia: & conscientiis laqueos ponere, imperitos fallere, peccata & transgressiones augere, oĩm minime ferendum in ecclesia. Ita sunt ergo impii & blasphemi fines in constitutionibus feriarũ: quando ordinantur, non ad prędictos pios fines, sed ut sint cultus, qui ualeant ex opere operato, quibus cũ Deo seruiatur, tũ ipsis quoq; sanctis. In qua postrema uanitate, præterq̃ quod est abusus cærimonię, admittit̃ præterea insignis alia idolatria. Soli em̃ Deo nostro cultum & seruitutem in ecclesia debemus: iuxta illud, Deu. vi. Dominum Deũ tuũ timebis, & illi soli seruies. Nec est necesse diuos, siue sanctos illos homines, qui ex hac uita decesserunt, aliter colere, quam imitatione exempli, seu bonę uitæ, qua nobis per obseruationem mandatorum Dei præluxerunt. Sic est impietas in immodicis cantionibus, passim institutis in ecclesia: ut sint iustificationes & cultus. Hic em̃ gratia negatur, & Christi honos transfertur in nostra facta: & quidẽ, de quibus Deus nihil præcepit, & nullã penitus utilitatem aliis adferũt. Similis uanitas est hoc tempore in pharisaico isto delectu ciborũ, de quo præcipitur a Papistis, in constitutionibus ieiuniorũ. Quid habent em̃ Papistica ieiunia præter arrogantẽ & uanã ostentationẽ, in delectu ciborũ: non ieiuniũ seu uerã abstinentiam? Et cũ ista ostẽtatione, quid, nisi coniunctã summã impietatẽ: qua iste pharisaicus ciborũ delectus dicitur esse cultus, per se honore afficiens Deũ, & homines iustificans? Tale est cũ certum genus uestitus deligunt Monachi: & dicunt illo genere indumenti se honorare Deũ, tum istum cultum a Deo adprobari: quo quid uanius somniari, uel ab ebrio posset?

Isti igitur sunt impii fines in cærimoniis & rebus per se mediis & licitis. Nẽpe, qñ ordinationes humanę, dicũtur iustus & necessarius cultus dei esse: item: esse precia & satisfactiones pro peccatis. Itẽ, tales ordinatiões, sine pctõ non posse mutari, siue omitti. Quapropter improbari debent: & in contemptum pharisaicarum constitutionum, abiici & mutari. Ac melius esset, nullas prorsus cærimonias extare in ecclesia, q̃ ab hominibus cõstitutas, cũ his impiis opinionibus retinere. Huc pertinet doctrina satisfactionũ, per opera indebita, apud scholasticos theologos. Nã impie de illa, & ridicule prę́cipiũt, ut alio loco dixi. Ignorantes illarum usum, qui tolerabilis apud ueteres fuit.

Porro penitus impiæ & per se damnabiles constitutiones sunt, cum iubet aliq̃d fieri humana traditio, quod Deus improbat ac uetat: siue, quod absq; peccato non potest præstari. Vt cum mandatis Dei pugnant, uota illa monastica, continentię singularis, simulatę paupertatis, & obedientiæ non pręceptę. Quia Deus præcipit coniugia, illis qui dono continentiæ non sunt prędi ti. Nam uera continentia ideo non potest uoueri, quia dono dei cõtingit, illis, quibus uult eã Deus prę́stare. Aliis aũt prę́ceptæ sunt nuptiæ & coniugia, qui senciunt quod continenter uiuere non possunt. Iam & præcipit Deus ut laboremus & nostrum panem manducemus: ac damnat mendicitatem.

Exempla constitutionum per se impiarum.

quæ est in simulata paupertate Monachorum. Denique obedientiam erga parentes & ciuiles Magistratus requirit Deus: cum utraque autem pugnant constitutiones de obedientia, quam Monachi apud suos præstandam deligunt. Si quis ergo talium constitutionum obseruationem requirat, quas Deus damnat, & mandatis eius aduersantur, is contemni debet, si præfractus est & pertinaciter præcipiat de impijs obseruationibus: ac debet coram ecclesia hæc ratio reddi, quam Apostoli in hęc uerba tradiderunt, Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Sic est audax, impia & blasphema constitutio, qua pontifices Romani sacerdotibus in genere prohibēt coniugiorum usum: qui est à Deo creatus & ordinatus. Pugnat itaque cum uoluntate, ordinatione & mandatis Dei: & opprimit libertatem, ac multiplicat peccata. Nec potest sine peccato, & immundicijs infandis peccati obseruari: quia generaliter a continentibus & incontinentibus exigitur. Nec possunt ipsimet Papistæ suas impietates probare: quas prætextu simulatę continentiæ & pharisaici cælibatus admittunt. Sic est impium, pharisaicum, tyrannicum & uiolentum, prohibere certos cibos prætextu religionis: quos Deus creauit ad percipiendum, cũ gratiarum actione. Similiter enim opprimit libertatem, & creaturas Dei bonas infamat, & impias opiniones ingenerat imperitis, de Deo & rerum per se indifferentium usu. Ideo sine peccato his tyrannicis & pharisaicis constitutionibus omnibus obediri non potest: quia oportet professionem libertatis extare in ecclesia: & peccata, quæ talia pronunciat Deus, fugi ac derelinqui. Denique huc pertinet, cum res sacræ, in manifestum abusum corrumpuntur. Vt cum Laicis interdicitur alterius speciei usus in dominica cœna. Item, cũ Missa priuata, sacrificuli sacerdotis, fingitur esse oblatio & sacrificium pro peccatis uiuorum & mortuorum. Istæ igitur & similes impietates, ac grauissima scandala fugi debent, & tolli ab ecclesia: quia ordinationi diuinæ aduersantur & pugnant. Reuertor nunc ad ceremoniarum decentem, iustum, ac pium usum: qui est, si constituantur, ut ordini seruiant in ecclesia, & administrationi uerbi Dei. Nam propter uerbi dei necessarium usum, ipsę quoque cærimoniæ moderatæ aliquam necessitatem habent. Vt illæ, quibus constituitur quo tempore, aut quo loco, & quibus docentium & administrantium personis confluatur ad uerbi dei prædicationem, & ad sacramentorum usum. Non possunt enim satis cõmode doceri ecclesiæ sine his ordinationibus. Ideo reuerenter de talibus & sentire & pronunciare debemus: ac sciendum est grauissime peccare, eos qui ordinem in ecclesia turbant: & qui cærimonias bene institutas, & quorum rectus ac debitus usus retinetur, uiolant.

De piarum cærimoniarum necessitate.

Religiose præcipitur, ut doctrina uerbi Dei conseruetur in ecclesia: quod ut melius fiat, recte facit ecclesia, si ordinet certas ferias, tempora & horas, in quibus populus de euangelio & uoluntate Dei doceatur. Item, si certa loca deligat, ubi doceatur: atque adeo certos & idoneos ministros, peritos docendi & ad alia officia aptos, quæ Paulus in episcopo requirit. Istę sunt maxime urgentes

gentes caussę certarũ constitutionũ in Ecclesia, de quibus sentiendũ est loqui Paulũ, ubi dicit, omnia decenter & ordine fiant in Ecclesia. Idẽ quocp iubet, ut in his ritibus ędificatio ecclesię quęratur, q̃d mandatũ spectari & obseruari in omnibus constitutionibus Ecclesiasticis debet. Huc facit, quod alicubi præcipit de moderatis & pijs cantionibus in Ecclesia, nẽpe, Col. iij. Verbũ Christi habitet inter uos abundanter in oĩ sapientia &c. Et in actis aposto. legimus quędã ieiunia supplicationis caussa, ab Apostolis & ecclesia fuisse suscepta, ad q̃rum imitationem, etiã nunc q̃dam suscipi ab ecclesia possent, nõ ut necessarij cultus, sed uel supplicationis caussa, uel ut uerbi reuerentiã augerẽt. Nec opus foret in talibus ieiunijs certo ciborum delectu, sed uera abstinẽtia cibi & potus usq ad tẽpus. Nec si ciborũ delectus ille, qui seruatur in papisticis ieiunijs, restitueretur, posset nõ obscurari gloria Christi, retineri germanus ceremoniarũ usus, & homines in ueterem hypocriseos uanitatẽ & impietatẽ non retrudi. Hæc hactenus de ceremoniarũ reuerentia & usu, occasione tertij pręcepti: Item, de abusibus, qui in ceremonijs & cõstitutiõibus hoĩm obrepere solẽt. Ac nosse oportet, quos ritus humanitus pręceptos deus probet ac improbet, ut illi seruẽt, hi fugiantur. Etiãsi conscietię hominũ nullis ceremõiarum legibus grauari debẽt. Libertas eñ in ceremoniarũ usu regnare debet, & ille finis spectari, ut ordini & ædificationi seruiant in ecclesia.

De implectione Bonorum Operum, posterioris tabulæ.

CAP. XI.

SVpra recepi, si quid in doctrina de pręceptis operibus bonis prętermiserim, id me hac in parte posterioris enarrationis decalogi aliq̃ modo cõpleturũ. Hoc ergo ut cepi, ita pro mediocritate mea conabor prosequi & ad finẽ præstare. Sed prius in genere pauca q̃dam repetam, ex illis q̃ supra dixi, de impletione bonorũ operũ, de quibus Deus pręcipit. Sæpe eñ dicendum est, cur & q̃modo iustitię nostrę placeãt deo, cũ sint imperfectę, & legi nõ satisfaciãt.

Vt ergo paucis hac de re me expediam, q̃nquidẽ supra copiose explicata est, cauendũ est ne de uiribus nostris pręsumamus. Nã conatus iste, impius est, & infœlix, uidelicet, præceptę operũ iustitię uelle per se satisfacere. Et qui hac mẽte & his opinionibus agitant, p̃ter q̃ nihil efficiũt Deo dignũ, necesse est ut sint in impia hæresi Pharisęorũ, qui derogãt gratię & beneficia Christi negant. Nullę ergo iustitię nostrę per se satisfaciũt legi, & nullę sunt acceptę Deo, nisi quæ ex fide in Christũ pręstantur. Illa autem uetat primo, ne per opera nostra iustitiã & salutẽ q̃ramus, deinde monet ne illas pręstemus, nisi glorificãdi Deum studio, tanq̃ cõfessiones & exercitia fidei, gratitudines, & sacrificia laudis, accepta Deo, per Iesum Christũ. Odit eñ ac detestat̃ Deus istos conatus, quib. homines præsumunt per sua opera & facta satisfacere pro peccato & morte. Quod sæpe quidẽ docui, & prope ad tedium lectoris. Sed nos ideo oportet hac doctrina omnes chartas replere, quia ne sic quidem qui escunt impostores & pharisaici spiritus, nomini Iesu Christi contumeliã facere. Qui etiã si nos non audiãt, tamẽ frequẽter reprehensi, & cõuicti erroris & impietatis, ab imperitioribus melius caueri possunt.

Nũc illa tractabimus, quæ supra reliqua fecimus in quarto pręcepto, de ipsis per se operibus bonis a Deo pręceptis. Nec multa restant, q̃ hic auctarij uice adijci possint. De pręcepta em̃ obediẽtia antea abũde satis dictũ est, q̃ utinã a singulis pręstaret. Illi igitur has pręcipuas partes hoc loco cõiungã, quibus docendũ, primo, quid parẽtes his suis quos genuerunt debeãt, pro sobria, iusta & decenti educatione. Deinde, q̃d nam sit ciuilis magistratus officiũ, pro cura & paternitate subditis ab ipsis pręstãda. Eas igit̃ partes cũ absoluero, dicam postea in genere quædã de dilectione, & postremũ, de concupiscẽtia frenanda. Debent ergo liberi suis parẽtibus honorẽ, obedientiã & gratitudinẽ, ita ut supra explicatũ est. Sed huius pręcepti honoris ratio uicissim obligat parẽtes, & debitores facit rectę educatiõis & institutiõis, erga liberos. De qua sic pręcipit Pau. Ephesi. vi. Et uos patres nolite ad iracundiã prouocare filios uestros &c. Tam disciplinã, q̃ correptionẽ iubet referre ad honorẽ domini, ut pietatis prapagondę ratio pręcipua in illa educatione & institutiõe habeatur. Sed interim uetat, ne correptiõe supra modũ seuera & inhumana utamur. Hac fit em̃, ut odiũ disciplinę & institutionis prius cõcipiãt pueri & desperẽt, q̃ amplecti illã malint, & sic oĩs spes & labor parẽtũ pereat & annihilet̃. Ideo ait, nolite ad iracũdiam prouocare filios uestros. Quẽadmodũ et Col. iij. scribit. Proinde disciplinã adpellat puerilẽ institutionem, ad quã adhibere iubet moderatã correptionẽ. Igitur disciplinã intelligamus institutionẽ & doctrinã, qua pueriles animi formãtur & reguntur, aut pręceptis morũ, aut fidei doctrina, aut disciplinis liberaliũ artium, aut deniq; alijs utilibus disciplinis. Primũ igitur ex lege, quæ est motuũ carnaliũ castigatrix, de uolũtate dñi doceant̃, qua de rebus agẽdis et fugiẽdis admoneant̃. Cui deinde adiũgi debet fidei doctrina in dñm Iesum, ut institutio et doctrina sit Christiana, & nõ abeat, per neglectã fidei doctrinã, in prophanã quãdã gentilitatẽ. Q̃ si ceperint contẽnere institutionẽ, ut fere fit, tunc debet adhiberi moderata correptio, in qua cauẽdũ ne nimis seuera utamur, ut dictũ est, sed fideli magis, q̃ acerba. Et de hac præcipit Pro. xxij. Item. xxiij. Hæc igit̃ officia præstẽt parẽtes liberis, ne honor q̃ ipsis debetur, ociosis et indignis habeat̃. Nã q̃rundã parentũ sic est negligẽs institutio in liberorꝝ educatiõe, ut ad nulla honesta, aut pia studia, uel utiles artes, animos eorꝝ formẽt, tũ pręterea prębeant ansam suis, se cõtemnẽdi. Quod q̃ sit graue peccatũ corã deo, et q̃ seuerit̃ puniat̃, docet historia Eli et filiorꝝ eius. i. Reg. iij.

De educatione liberorũ.

De officio ciuilis Magistratus.

Vt parẽtes priuati liberis, ita magistratus ciuiles publice obligati sunt subditis. Sed Magistratus docere, q̃bus legibus subditos regere, et regna gubernare possint aut debeãt, nõ est meũ. Q̃uoq; adhortari eos licet, nec licet solũ, uerũ etiã ex officio est Christiani doctoris, ut q̃niã sunt Christiani prĩcipes, sub q̃rum potestate tũc agimus, uelint officiũ suũ diligenter et Christiane facere. Nõ ad ociũ, siue ad sectandas uoluptates, a dispẽsandis rebus publicis necessarijs, sese cõferre, Sed arbitrari hæc regna & imperia sibi a Deo commissa esse, ut subditorum suorum bono imperent. Ac sciant, sibi aliquando reddendam esse rationem suæ dispensationis coram Deo.

Velint igitur uigilanter & pie officia sua prestare. Nã & Paulus Ro. xiij. insigniter ꝑdicat Magistratus officia: & adpellat ordinationẽ dei. Magnũ uero oĩo est in re tanta officio satisfacere: & inculpabilem se prestare corã deo. Quo maior diligẽtia a Magistratibus adhiberi debet, ut in officio delegato q̃ ad fieri potest dignissime seruiãt deo: & non cõmittãt, quo neglecti officij uideant̃ iure posse accusari. Sic ergo existimabũt secũ pij principes, se esse publicos quosdã ministros: & se in officio delegato sibi a deo seruire. Quapropter uigilãtius & religiosius ministrẽt: nimirũ tanq̃ patrię patres. Intelligãt se debere subditis curã, fidelitatẽ, gubernationẽ, defensionẽ, & pacis cõseruationẽ. Nõ licere sibi tyrãnice imperare: multo minus uim iniustã ulli hoĩ inferre. Curabũt igit̃ pacẽ tueri & retinere, bella & latrocinia arcere, & quãlibet uim iniustã a subditis depellere. Et in summa, bonos & innoxios defendere: tũ bñ meritos in republica certis pręmijs & honoribus afficere: uindictã aũt in malos exercere. Necq̃ quicq̃ prius habeãt, in Imperijs ac regnis suis, q̃ ut instituant̃ hoĩes ad pietatẽ, & agnitionẽ dei & dñi nostri Iesu Christi. Et hac causa, iuuentutis peculiarẽ quãdã curã habeãt: & cõseruatiõis scholarũ.

Hæc pro meo officio, in hoc libro, suffecerint dicta, ad ciuiles Magistratus. Nec plura alijs debeo, qui in officijs publicis ministrãt, q̃ adhortationẽ, uidelicet, ne uelint officijs suis deesse: sed queadmodũ bonos ac pios decet, prudẽter ac fideliter ministrare, q̃d utinam facerẽt ubicq̃ ecclesiarũ Iesu Christi rectores. Nec eñ neglectũ officiũ in alijs magis noxiũ est. De officijs aũt doctorum ecclesię, satis luculẽter & copiose scribit Paulus in epistolis ad Timotheum & Titum.

Generalia, de operibus dilectionis.

NVnc dicendũ est in genere de operibus dilectiõis, magis ut intelligat̃, quõ ad impletionẽ ꝑceptæ dilectionis perueniat̃, q̃ ut opa ipsa dilectionis denuo ꝑscribantur. Loquor eñ de proximi dilectione: de qua supra copiose scripsimus, in quattuor illis ꝑceptis, Nõ occides, nõ mœchaberis, non furtũ facies, & nõ loqueris falsum testimoniũ. Quãq̃ obiter & illorũ mentionẽ aliquã, ꝑ occasionẽ, faciemus: præsertim ubi uideri possit, de quibusdam nõdũ satis dictũ esse. Igit̃ Lex dilectionẽ requirit, ut Leui. xix. Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Et dilectio est legis plenitudo: q eñ proximũ diligit legẽ implet. Ro. xiij. Gal. v. Luc. x. &c. Sed nõ ideo habemus dilectionẽ qa ꝑcipitur: aut qa dilectio prestat ea oĩa q̃ sunt legis. Lex eñ, etsi ꝑcipiat nobis absolutã quandã iusticiã, nõ ideo cõfert nobis uires, q̃bus impleri illa, seu ꝑstari a nobis possit. Sed debitũ iusticię exigit, cui satisfieri a nemine potest. & redarguit nos esse pctõres, dignos supplicio, & cruciatibus æternę mortis. CAP. XI.

Rursus tñ oportet in nobis inchoari aliquã obedientiã erga legẽ: scilicet, nõ qua lex pharisaice solũ, aut ciuiliter ꝑstetur a nobis: sed Christiane & per dilectionẽ. Iuxta illud Christi, Matth. v. Nisi abũdauerit iusticia uestra. Proinde docendi sumus quõ ad præcepram dilectionem perueniatur, qua opus legis absoluamus: & qua iusticiæ nostræ placeant Deo, & habeatur corã illo

pro legis impletione. Igiť de caussa & fontibus dilectiōis hoc loco rursus dicēda sunt quędā: hoc est, de fide, qua sola iusti sumus & beati corā Deo: & qua oēs iusticię nostrę efficiūtur bonę et acceptę. Deniq3 & p quā solā accipimus spiritū dilectiōis: tū modeste, iuste & pie uiuimus. Quapropter ad inchoandā illā obedientiā in nobis, necesse est cōiūgere ad legis doctrinā, Euāgeliū de gratia, pcti remissiōe & uita æterna, per Christū. Nō possumus em̄ diligere Deū & proximū, q̄ diu ignoramus deo nos recōciliatos esse: ac reos esse intelligimus ac dānatos. Sed cū audimus ac discimus, proposita nobis euāgelij cōsolatione, pctis nostris ignosci, & promitti nobis atq3 offerri æternā uitā, & qdē gratis, sine oībus iusticijs nostris, propter filiū dei Christū, q dedit semetipsum preciū & satisfactionē pro nostris pctis, & pro æterna morte, in ea cōsolatione erigimur & respiramus, cōcipientes spē iusticiæ & æternę uitę, p filiū dei Christū, antea redacti in desperationē iusticię & salutis: atq3 ita incipimus redamare Deū, & proximū propť Deū, q prior dilexit nos, cū adhuc blasphemi essemus, & tradidit unigenitū filiū suū pro nobis. Ad hūc itaq3 modū puenitur ad dilectionē. Nā cū agnoscimus misericordiā dei, p̄stitā nobis, p ipsius filiū unigenitū, Christū, dnm & seruatorē nostrū, qua ad recōciliationis fidē uocamur, & ad uitæ æternæ hæreditatē possidēdā, tūc credētes incipimus deū uere amare: cui antea occulto odio infensi reuera irascebamur, etiāsi hypocritis aliud uideať. Quoniā uero deū diligimus, ipsius q̊q3 legē incipimus amare, & proximū propť deū. Nō tn̄ est pfecta dilectio in hac inchoata obediētia. Impedit em̄ magnitudo pcti, in hac carnali natura, ne perfecti in dilectiōe simus. Ro. vij. Ga. v. Sed illa inchoata dilectio, seu obediētia q̄ p̄statur p qualēcūq3 dilectionē, placet deo: qa p fidē facti sumus filij dei, q bus etsi adsit quædā imperfectio & impuritas, ea nō imputať eis, ꝑpter Christū. Tū qa ex fide in gloriā gratiæ dei & redēptoris Christi, pctō repugnāt & resistūt, ne in ipsis regnet. Præcipiūt aūt & scholastici theologi scilicet multa de dilectione: sed inutiliť & ociose: nec sicut decet Christianos doctores. Quia nihil docēt, de uera p Christū fide in Deū: & tn̄ iubēt diligere deū. Deinde qa opera dilectiōis nostra, fingūt esse precia & satisfactiones ꝓ pctō & morte. Et hæc impietas dogmatū scholasticorꝝ theologorꝝ in papistarꝝ ecclesijs regnat: siue tyrānizat potius & grassať, ecclesias Christi uastās, opprimens, dissipās ac perdēs. Nā quid attinet tāta ubiq3 p̄cipere de dilectione, & nusq̄ explicare, quō aut p quid ad dilectionē pueniať: Imo fingere, ꝙ per iusticias carnis doneť: q̄ cōtingit per solā in Iesum Christū fidē: Deniq3, operibus dilectionis tribuere, q̊d his mereamur nobis pcti remissionē & uitā æternā: Hoc em̄ an nō est bn̄ficia gratiæ negare, & Christū loco unici seruatoris excludere: Itē tot seruatores fingere, q̊t sunt qui iusticias rōnis quōcunq3 pręstāt: Isti igiť Theologi nō possunt explicare, neq3 quō ad dilectionē perueniatur, neq3 per qd imperfecta operis nostri obediētia placeat deo, & reputeť p iusticia & legis impletione. Quaꝑpter relinquēdi sunt, & saniora e scripturę fontibus discēda. Nos igitur sicut debemus, illa de fide frequenter inculcamus:

Impietas dogmatum Scholasticorum Theologorū.

mus: primũ, ne salutem animę aliũde quam a gratia per Christũ quęramus. Deinde, ut per fidẽ in amorẽ legis & dei paulatim pertrahamur: discentes uidelicet, deum tã esse clementem, bonũ, propicium & placatũ nobis, ut filiorum loco habeat nos, redemptos per crucẽ unigeniti filij sui. Postremũ, ne cõfidamus ullas iusticias nostras deo placere, quam ꝑ fidẽ in Christũ. Habent em̃ perpetuã quandam imperfectionem & defectũ, sed reputantur pro legis impletione, propter iustificatorem Christũ. Ita em̃ finis legis est Christus, ad iusticiã omni qui credit. Roman. x. Nã Christus ipse, quantus est, cum oĩ iusticia sua, & cum oĩbus donis, quę habet, est eorũ qui credunt in ipsum. Factus uidelicet nobis sapientia a deo & iusticia & sanctificatio, & redemptio: ut qui gloriatur, in Dño glorietur, non in iusticijs carnis. c. Nũquam igiẽ uere iusti corã deo sumus quam per fidẽ gratię & remissiõis peccati, propter Christum: nec iusticiæ nostræ aliter reputãtur pro bonis, seu impletione legis, nisi ex fide recõciliationis, per Christũ præstitæ. Deniq̃ non possumus q̃ per fidem ad amorem dei & legis ꝑuenire. Quatenus ergo credimus in Christũ, iusti sumus: habentes remissionem pc̃tĩ uidelicet. Tũ etiam ignoscitur nobis, si quid immundiciarꝫ & imperfectionis est in nostris iusticijs & obedientia erga legem. Hæret em̃ concupiscentia in carne, quæ polluit omnia opa nostra. Sed & per fidẽ accenduntur animi nostri, ut alacriter seruiãt deo: nẽpe, amore legis & proximi. Nõ respicientes nostra q̃modo uidelicet nobis saluationẽ mereamur, cũ ita mereri nihil opus habeamus: sed nude ad solius dei p̃ceptam uoluntatẽ. Ita ergo cũ iusticię pręstanẽ uere ꝑficiunt dei uoluntatem: & sunt impletio legis. Idq; est q̃d Paulus scribit. Rom. iij. Legẽ ergo destruimus per fidẽ? (id est, tollimus ne et rejcimus p̃ceptam bonorꝫ operum iusticiã, ꝑ prędicatam promissiõis euãgelij fidẽ?) Absit. Sed legẽ stabilimus, id est, legẽ facimus impleri, quatenus fidem euãgelij p̃dicamus. Nõ igitur fieri lex potest, nisi fides remissiõis pc̃ti prius erigatin nobis. Hanc igitur, fidẽ inquã, quia tacẽt Scholastici Theologi, imo q̃a plurimis falsis dogmatibus opprimũt, quę opa bona possent p̃dicare? quas nõ uanitates & hypocrises operꝫ ac pharisaicos cultus? Nõ docent em̃ nisi ratiõis iusticias: & liberi arbitrij opa, id ẽ, iusticias pharisaicas, quales ac quantę possunt ab hoĩe præstari, iusticię gratiæ & spũs penitus ignari. Quãq̃ ipsum quoq; spiritũ sanctum fingant dari merito iusticiarꝫ rationis, hoc est, merito creaturę, nempe hoĩs, qui totus est immũdus, sub imperio pc̃ti & diaboli. Cum ille spũs non detẽ, nisi per unigenitũ filiũ dei, deum & hoĩem, Christũ Iesum, humani gñis saluatorẽ. Retineamus ergo, nos iustos esse & accipere remissionẽ pc̃ti, fide per Christũ. Item, opa nostra placere, quatenus ex hac fide pręstenẽ. Similiter et spũs sancti nos participes fieri, ꝑ eandem fidẽ in Christum: & illo spũ creari in nobis amorẽ legis dei & ꝓximi. Tũ eundẽ spm̃ efficere, ut uolũtati dei pure seruiamus, sine pharisaicis opinionibus merendi iustificatiõem & salutem, quas Sophistę prędicant tñ & docẽt. Interroga em̃ alumnos Scholasticę Theologiæ Monachos, pri-

marios istos quosdam hypocritas & pharisæos, cur faciāt suas iusticias, & præcepta operū legis. (Nihil em̄ hic dicā de obseruationibus inanibus traditionū humanarū.) num gratis seruiant deo: aut nū se aliquid efficere putent, quo ad meritū remissionis peccati & uitę æternæ. Et disces ipsis testibus, se quęrere iusticiā sibi & ęternam salutē, per opera sua. Nō igit̄ seruiūt deo: nec libere operant̄, sed sibi seruiūt, quanq̄ inaniter et frustra. Iusticia p̄terea seruili, simulata, coactitia & falsa, similes istis, de qbus ad Roman. ix. scribit Paulus: Israel sectando legē iusticiæ, in legem iusticię nō peruenit. Propter qd? Quia nō ex fide: sed quasi ex opibus. (scilicet quęrebat saluari.) Impegerunt enim in lapidē offensionis. c̄. Atq; ita accidit perpetuo oībus hypocritis, incredulis euāgelio, nec nisi pharisaice iustis. Quāquā isti ita cæci sint, ut Shcolastici in sua Theologia. Fingūt em̄ se deū et legem eximie amare: Itē mereri spiritum, cum sint plusq̄ inanes & uacui spiritus: saltem spiritus gratiæ & Iesu Christi. Hæc præmisimus necessario, scripturi in hoc capite generalia quędam de operibus dilectiōis. Quę quia omittunt Scholastici Theologi, aut pharisaicis doctrinis opprimūt, nullo fructu prædicant opera legis: imo non sine graui scandalo & dissipatione ecclesiarum. Non quod malum sit legē prædicare, a quibuscunq; hoc fiat, etiam ab Ethnicis, qui non agnouerunt deum: sed quod isti blasphemis opinionibus prædicent nos mereri peccati remissionem & æternā uitam, per opera legis. Quod est gratiā abijcere: et iustificatoris Christi gloriam trāsferre in miseras atq; immundas carnis iusticias. Quare sunt noxij & pernitiosi ecclesijs doctores: & nullo modo ferendi. Si igitur quæras, quō opera præcepta bona, quinti pręcepti, fiant: & placeant deo, tanq̄ perfecta obediētia & uerus dei cultus: respondere oportebit. Primū, personam placere deo per fidem p̄pter Christū: deinde opera illius personę grata atq; accepta esse, per eandem fidem. Denicq;, quia qui euāgelio crediderunt, non possunt nō amare deum, nec in operādo pharisaicis opinionibus aberrare. Sed quia diligūt deum & redemptorē Christum, omnia opera sua non faciūt alio fine, quā ut uoluntati dei obediant, & gloriam Christi ornent. Timēt igitur deum, & nolunt eum offendere: ideo imperant iracundiæ, reprimūt odia, & a quauis iniusta uiolentia abstinent. Sed & officia dilectionis pręstant quibuslibet proximis suis, ingratis & inimicis æque, ut amicis: misericordes, benigni, mansueti, clementes, placabiles & humani.

De impletione quinti præcepti.

Sic de alijs præceptis operibus bonis pronunciandum est: uidelicet, illa placere deo, reputari pro iusticia & perfecta obedientia erga legem, esseq; dei cultum, quatenus fide statuimus deum ignoscere nostris pc̄tis: item, nos & opera nostra deo placere propter Christum, iustificatorem nostri, & æternū propiciatorem. Itē quando ex illa fide incipimus obedire deo, & præcepta eius facere: timere, ne quo opere per se malo offendamus ipsum. Denicq; & immūdicias naturales deprecari: eisq; repugnare. Vt in sexto, non

moe

mœchaberis, agnoſcimus et fatemur inſuperabiles immūdicias noſtras, ſed fide ſtatuimus, Deum ignoſcere nobis & fauere propter Chriſtū. Ideo uiciſſim uoluntati Dei ſubijcimus nos, repugnamus immundis affectibus, abſtinemus ab adulterijs, ſcortatione & quibuslibet infandis libidinibus & impudicitijs. Item abſtinemus a crapula & ebrietate, a commertijs impudicorū, & ſimilibus, quibus animi ad libidinem ſolent incendi. Ad hæc utimur coniugio in fide, cum gratiarum actione, intelligentes, quod Deus adprobat coniugia & coniugalem conſuetudinem. Vt ſunt hac de re clara teſtimonia, Matth. xix. i. Cor. vij. & in Epiſtolis ad Timotheum & Titum. *Impletio ſeptimi.*

Eadem ratio & in reliquis, ut dictum eſt, ualere debet. Vt in ſeptimo pręcepto, Non furtum facies, agnoſcimus noſtrā impietatem, qua infinita quadam habendi cupiditate aliorum opes nobis affectamus, & per curas huius uitæ, proni ſumus, quomodocunq; parare nobis opes, etiam cum iniuſticia & damnis aliorum. Sed & confidimus quod DEVS ignoſcat nobis per Chriſtum, propter quem & honori nominis eius ſtudemus. Ideoq; & per timorē eius reſiſtimus his improbis cupiditatibus, abſtinemus a cōtractibus parum honeſtis, ab uſuris, & qualibuſcunq; non iuſtis modis res & facultates parādi. Item, priuata fortuna & facultatibus contenti ſumus, ſine murmure & querela contra dominum. Ex promiſſionis fide uictum, & reliquas corporis neceſſitates, a Deo expectamus, tum iuxta mādatum Dei laboramus, honeſtis & iuſtis contractibus utimur, & iuſte partis fruimur cum gratiarū actiōe. Item damus de noſtro neceſſarijs uſibus aliorum: ueluti pauperibus & euāgelij miniſtris. Pręſtamus Eleemoſynam, damus mutuum, & reliqua officia facimus, per quæ aliorum opes priuatas iuuamus. Seorſim aūt principes & ciuiles Magiſtratus iuuandis rebus publicis ſtudēt, & illa omnia officia ſui quilibet referunt ad diuini nominis honorem. Deniq; in octauo precepto, nō loqueris falſum teſtimonium, attendimus quam ſumus proni & proclines ad mentiendum, fallendum, & calumniandum, quod deploramus, habētes fiduciam ad Deum, q̄ peccatis noſtris ignoſcat, propter Chriſtum. Ideo ex illa fide repugnamus his morbis in natura, et abſtinemus a mēdacio, impoſturis, maledicentia, delatiōibus, proditionibus, calumnioſis et falſis accuſationibus in Iudicio. Rurſus etiam pręſtamus ueritatem, in omnibus dictis & factis noſtris, maxime in iudicijs, in pactis & contractibus. Aliorum errata tegimus, aut certe excuſamus fraterne, ſi tegi nō poſſint. Sed & peccantes cum aliorum offenſione & ſuo malo, corripimus manſuete, & in ſumma omnium infirmitatibus, officio linguę, ſtudemus amāter mederi. *Impletio octaui.*

Hæc igitur omnia officia dilectionis, & ſi quæ reliqua ſunt, quando pręſtātur ex fide, & illo fine, ut uolūtati & honori diuini nominis ſeruiamus, ſunt Chriſtianę uirtutes, & placēt deo, & pro obedientia perfecta erga legem habentur, & ſunt cultus Dei. *Rurſus ſeorſim & in genere de operibus dilectionis.*

Igitur legem pręſtare, & uere bona opera operari, & colere DEVM,

nulli possunt, nisi qui uera in Deum fide prēditi sunt, per seruatorē Christū Iesum. Non enim aliꝫ amare deū et honori nominis eius seruire possunt: siue ex aīo prēstare q̄ sunt prēcepta. Aut sine impijs opinionibus, opera legis facere. Semper em̄ hēret in incredulis hēc pharisaica opinio, ꝙ opibus externis ꝑ se satisfaciāt legi: tū, quod illis operibus sint iusti. Et semꝑ regnat in talibus iste seruilis affectus, q̄ nihil aliud, q̄ suas laudes & suas cōmoditates, ꝑ iustitias legis quærunt. Et tn̄ fingunt se amare Deū & proximū: cum nō diligant nisi semetipsos tm̄, carnali et impio amore, ut supra in exemplo de Monachis dixi. Vera dilectio est, deū ꝑpter se amare: Itē legē & uoluntatem dei, qa sunt res ꝑ se bonē. Adhæc proximū amare, propter Deū: & illi seruire, propter nōis Christi honorē. Nihil in diligēdo, aut faciēdo opera dilectiōis, ad suas cōmoditates referre: nisi quatenus licet ꝑ gloriā dei. Qui hoc quoq; credere iubet, ut si per nōis eius honorē operemur, nō q̄rentes iustificari ex lege, sed uolūtati diuinē obedire, q̄a bona est, expectemus prēmia corporalia & spiritualia hic in terris, & ēterna in cœlis. Qui ergo hac fide seruiūt Deo, nō possunt dici sua q̄rere: quia in promissiōe intuent̄ in propitiā uolūtatem dei, & glorificāt illā: Sic affecti, ut etiāsi nulla prēmia esset operantibus proposita, tn̄ deo gratuito obsēqo seruirēt, et mādata eius facerēt, a q̄ sciūt se receptos esse in filios, et hēreditatē ēternā et immarcessibilē expectare in cœlis.

Quanq̄ igit̄ in operādo, humano iudicio persimiles esse uideant̄ pijs impij: cū eadē opera sæpe uitēt ac faciāt, q̄ hōies pij, secūdum præceptā dei uoluntatē, uitare & facere solēt: tn̄ plurimū differunt & fide atq; incredulitate. Itē alijs sanctis et cōtrarijs impuris motibus, discernunt̄ corā Deo: quem cogitationes cordiū nostrorū nō possunt latere. Hēc debui annotare, in doctrina de uera dilectiōe, & operibus placitis corā Deo. Vt discamus nobis cauere ab impijs opinionibus hypocritarū: quibus ōis spes salutis perit, et omnis operē & laboris fructus in nihilū cadit. Non est em̄ cur prēmia cœlestia pro operibus suis sibi promittāt: tametsi ex fide operātibus sua q̄dā prēmia et merces ōpis atq; laboris a deo cōtingat. De cuius ratiōe alio loco copiose scripsi.

De quibusdam operibus dilectionis, in superiore legis exegesi nondum plane explicatis.

CAP. XII. Reliqua sunt autem quēdam opera dilectionis, de quibus quia in superiore legis enarratione peculiariter nihil dictum est, libet hoc loco seorsim paucula quēdam annotare: ut de eleemosyna, mutuatione, contractibus, zelo seu iusta ēmulatiōe, & similibus. Proinde de Eleemosyna & mutuatione, Matth. v. sic breuiter admonemur a Christo: Petenti abs te, dato: & cupientem mutuū accipere, ne auerseris. Vbi notandum, quod ad eleemosynam attinet, ille petens debet probabilem rationem petendi habere. Nam mendicitas, quæ non habet iustam & necessariam caussam, est impia & iniqua: planeq; furti & rapinæ species quædam. Idcirco & reprehenditur a Paulo, ij. Thes. iij. Cum essemus apud uos hēc prēcipiebamus uobis, quod

si

si quis non uult operari nec manducet. Audiuimus enim inter uos quosdã ambulare inordinate, nihil operantes sed curiose agentes. His autẽ qui tales sunt præcipimus, & obsecramus per Dominum Iesum Christũ, ut cum quiete operantes suum panem manducent.

Non ergo exigitur, ut quibuslibet petacibus scurris, & impudẽtibus exactoribus, nostra beneficentia & largitionibus expositi simus: sed si quos inter nos habemus uere paupes, id est, aut aduersa ualetudine, morbis & ægritudinibus, laborantes, aut ętate ac senio confectos, siue quomodocũq; alijs incommoditatibus oneratos & obrutos, ut sine aliorum beneficentia sustentari nequeant, ueluti quorum opes & substantię incendio perierunt, &c. eos pro modo facultatum nostrarum iuuemus. Illos enim commẽdat nobis Deus: ut Esa. lviij. Frange esurienti panem tuum, &c. Item Matth. xxv. Venite bñdicti patris mei, &c. Et i. Ioã. iij. Qui habuerit substãtias huius mũdi &c

Porro, modum largiendi Paulus in posteriori ad Corin. cap. viij. ita explicat: si uoluntas prompta est, secundum id quod habet accepta est, nõ secũdum id quod nõ habet. Non enim ut alijs sit remissio, uobis autem tribulatio. &c. Loquitur de uoluntaria largitione: nec pręcipit prodigaliter ꝓfundere opes in quoslibet. Sed requirit, ut ueris necessitatibus aliorũ succurramus: & inopiam eorum nostra liberalitate subleuemus. Non prędicat ergo aliam æqualitatẽ, nisi qua ut quisquam est opulẽtior, magis abundans his corporalibus facultatibus, eo largius distribuat sua in egenos. Quemadmodum & i. Timoth. vi. requirit a diuitibus, ut sint benefici, facile tribuendo & communicando. Ergo in illa ęqualitate hoc quoq; requirit, ne inopes aliqua beneficentia abutantur: id est, ne uelint locupletari, cum aliorum detrimento ac damnis: sed pro necessitate aliquantulum adiuuari, & illo necessario contenti esse. Ac debet præterea in dando quidam delectus personarum tribuentibus adhiberi. Nam etiamsi dilectio faciat nos quibuslibet egenis debitores: tñ in distribuendo est quidam ordo retinendus. Nam primo habenda est ratio cognatorum: ut parentum, fratrum, liberorum, &c. Iuxta illud Pauli, i. Timoth. v. ad uiduas. Discant primũ domum suam regere: et mutuã uicem reddere parentibus. Item, si quis aũt suorũ, & maxime domesticorum curam nõ habet, fidẽ negauit, & est infideli deterior. Postea aũt & alienos pro facultatũ modo iuuare debemus: & eos ꝑsertim, qui nobiscum uiuũt. Quos & lex ante alios Iudæis pręcipuo commendauit. Deu. xv.

Habet autẽ hæc pręcepta beneficentia non solum plurimas graues cõminationes: uerũ etiã ꝓclaras & cõsolantissimas ꝓmissiones. Nouit eñ Deus tarditatẽ nostrã in tribuẽdo: et ingratitudinẽ ꝓ tot summis erga nos bñficijs eius. Ideo uult illã his tanq̃ stimulis excitare & impellere ad obediẽdũ: maximeq; cõfirmare in pijs, ut q̃d uolũtarie, prõptis atq; gratis animis cœperũt, subinde promptius & melius ꝑficiant. Huc igitur facit illud, Lu. vi. Date, & dabitur uobis. Mensurã bonã, et confertã, & coagitatã, et supfluentẽ dabũt

in sinũ uestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetieť uobis. Item illud uulgatissimũ, Matth. xxv: Venite benedicti possidete paratũ regnum a constitutione mundi. Esuriui eñi & dedistis mihi manducare &c. Et quod ibidem sequitur. Discedite a me maledicti in ignem æternum.

Vides ergo hanc beneficentiã pertinere ad gratitudinem, qua qui crediderunt exercent fidem suam in Deum per Christum. Ac certo confidũt illa pręstita se tam placere Deo & redemptori Christo Iesu, q̃ si ipsimet Deo patri et Christo hęc officia exhibuissent. Quia, inquit, mihi dedistis mãducare: & quicquid feceritis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Arguit itaq; incredulos et ingratos hic locus, eos qui nulla pauperibus misericordię beneficia pręstant, propter Christum, quin etiam significat contemptũ beneficiorum Christi in eis regnare. Sicut etiã testantur illa uerba Christi: esuriui, & non dedistis mihi quod ederem. Item, quicquid nõ fecistis uni de his minimis, nec mihi fecistis. Quasi dicat, me spreuistis, quod beneficia mortis meę, quam pro uobis sustinui, nõ tantum apud uos ualuerunt, ut pauperi & mendico dedissetis aliquid ad manducandum, ad gratificandum mihi.

Sed pergam prædictis paucułas adhuc quasdam alias comminationes & promissiones adijcere, ut quę non possunt ociose nobis loqui, & in credentibus fructum pietatis operãtur & perficiunt. Veluti illę Prouer. xix. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, et uicissitudinem suam reddet ei. Ibidem. xi. Alij diuidunt propria & ditiores fiunt, alij rapiunt non sua, & semper in egestate sunt. Et. xxij. Qui pronus est ad misericordiã, benedicetur, de panibus enim suis dedit pauperi. Itẽ. xxi. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudieť. Et. xxviij. Qui dat pauperi non indigebit, qui despicit deprecantem sustinebit penuriam. Sed hæc hactenus de ea beneficẽtia, quam uocãt Eleemosynam, id est, misericordię beneficium, pauperi & egeno pręstitum, pro gloria nominis Christi. Nũc de alijs quibusdam speciebus eius dicam, ut de beneficentia & gratitudine, qua euangelij ministris uictus & necessarij sumptus suppeditatur. Quanquam hęc est debita merces, pro labore & opere difficillimo, in quo seruiunt Ecclesię, etiã cũ depositione animarũ suarũ. De illa igiť beneficẽtię redditiõe, præcipiẽs Christus, inq̃t: Dignus est operarius mercede sua. Et Paulus. i. Cor. xi. Ita & dominus ordinauit, ut hi qui euangelium annunciant, de euangelio uiuant. Item, quis militat suis stipẽdijs unq̃? & plura in hanc sententiam ibidẽ. Vbi tandem & hęc leguntur, Si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos carnalia uestra metamus? Et ad Gal. Cap. vi. Communicet autem doctori in omnibus bonis, is qui docetur uerbum. Nolite errare. Deus nõ irridetur. Quę enim seminauerit homo, hęc et metet. Deniq; .i. Timoth. v. Qui bene pręsunt presbyteri, duplici honore digni habeanť, maxime qui laborant in uerbo & doctrina. Dicit enim scriptura: Nõ alligabis os boui trituranti. Et, dignus est operarius mercede sua.

De beneficentia et gratitudine in euangelij ministros.

Nec frustra est, cur hæc tanta diligentia & sedulitate inculcet scriptura,

Christus, & Apostolus eius Paulus. Nam hac beneficentia opus est, pro ministerij ecclesiastici conseruatiōe: quod etiam opprimitur, ubi uictus & corporales illi necessarij sumptus ecclesiæ doctoribus non ministrantur. In quo q̃ sit graue peccatum, & Dei cōtemptus, ad eoq; beneficiorū gratię, quæ prestitit nobis Deus per unigenitum filiū suum, quid attinet exaggerare, aut dicere? Res ipsa clamat, nihil neq; de deo neq; de Christo credere, qui ministrorū uerbi dei nullam rationē habent: quod attinet ad necessarij uictus administratiōem. Quāto magis, si suis rebus, et opibus ab ecclesia olim collatis, in eum usum, ut ministri uerbi dei inde alerent, spolientur: ut nūc fere fit, & quidem a nobilitate, nō paulo plus crudeliter, quam a promiscuo uulgo. Quæ est quidē diaboli operatio & structura, in istis oībus: qua pronus tendit ad uastationē oīm ecclesiarū. At metuo ob id breui futurum, ut frustra ploremus impietatem nostrā & ingratitudinem: & frustra uerbi dei doctores quæramus. Sed hoīes pij, in quibus est timor dei, & aliqua fides in deū, caueant ne huius criminis, cum improbis & sceleratis, reos sese faciāt: unde tanta calamitas imminet ecclesiæ. Ideo conferāt de suis facultatibus, quo deinde uerbi doctores alant, et ne sint ingrati redēptori Christo. Quin etiā sciant se multo minus in corporalibus rebus necessarijs egere posse, si has uolūtarias collationes, pro ministerij ecclesiastici cōseruatione faciant, quam si nihil prorsus in eū usum conferrent: iuxta illas oēs cōminationes et promissiōes, quas paulo ante retuli de eleemosynę beneficētia. Vt ne dicam, quanta pręmia spiritualium & cœlestiū rerum illis peculiariter ꝓponātur: Iuxta illud Christi. Matth. x. Qui recipit uos, me recipit: & q me recipit, recipit eum qui me misit. Qui recipit prophetam in noīe prophetæ, mercedē ꝓphetę accipiet: & qui recipit iustū, in noīe iusti, mercedē iusti accipiet. Et qcunq; potū dederit uni ex minimis istis, calicē aquę frigidæ, tm̄ in nomine discipuli, Amen dico uobis, non perdet mercedem suam.

Hic numerari debet ea beneficentia, quę confertur ad studiorum Scholasticorum conseruationem: sine quibus nec euangelij ministratio conseruari posset, nec respublicę corporalium rerum fœliciter promoueri, & in bono statu permanere.

Reliqua est mutuatio, et ipsa species quædā eleemosynę, id est, operis misericordiæ, quo in distribuendo de facultatibus nostris alienæ miseriæ succurrimus, & eam subleuamus. Sed differt tamen ab ea beneficētia, quām usitate eleemosynam appellamus: quia in illa quicquid conferimus ad aliorum usum, de nostris facultatibus, id totum illis donamus, sine pacto recipiendæ sortis: in mutuatione autem pactum de restituenda sorte intercedit. Hoc em̄ quicquid est, quod mutuo alijs damus, id expectamus nos aliquādo iterum recepturos: uel idem, aut simile in specie, quantitate, numero & mensura. Pro datis mutuo decem aureis, totidem aureos: pro modio tritici, alium modium, atq; ita de similibus. De mutuatione.

Quam

Quanq̃ igitur est eximia & Christiana beneficentia, ubi Christiane exercetur mutuatio: tñ lõge est infra eleemosynę beneficentiã. Creditori ẽm in mutuatiõe nihil de suo decedit, sed tm̃ ad tẽpus aliquod certũ, cõcedit suarũ rerũ usum, proxĩo, sine suo dãno, & sine detrimento rerũ suarũ, etiamsi cum proximi cõmoditate. Quo etiam noĩe fit Christiana beneficẽtia, si in fide exerceatur, cum proximi dilectione. De qua & in lege sępe p̃cipitur: ut Deut. xv. & in euãgelio a Christo: ut Matth. v. loco quẽ supra citaui. Lu. vi. c̃. Ac dicta ẽ mutuatio, q̃ iterũ recipias, quę pro necessitatibus aliorum, ad usus ipsorũ dedisti. Obseruandũ est aũt, ut ille qui mutuũ petit habeat probabilem & necessariã causam sue petitiõis: nõ minus, q̃ ille, qui petit eleemosynã. Deĩde ut uelit crediti summã suo creditori aliqñ restituere. Nã mutuũ recipere & nõ soluere, res est & facinus iniquissimorũ nebulonũ & raptorũ: de quibus loquitur illud psal. Mutuat̃ impius & nõ soluit. Sicut & de beneficẽtia piorũ q̃d protinus sequitur: Iustus aũt miseretur & dat. Neq; facile dici potest, q̃ sint noxij isti, & efficiant ne hęc beneficentia exerceat̃, sicut decuit ab hoĩbus: nisi fortassis ethnice, ut pręstat̃ ab infidelibus. Quod si sunt tã pauperes, ut quod mutuo acceperũt nequeãt reddere, non debent mutuũ rogare, sed eleemosynę p̃stationẽ. Nõ ẽm licet fraudare alios, aut pactorũ ueritatẽ nõ p̃stare. Quod tñ quia sępius fit, eorũ benignitas, q̃ dant mutuũ exhaurit̃ & debilitatur, ne uere pauperibus & pijs, q̃bus maxĩe opus erat dare, illa p̃stetur. Nec aliter isti noxij sunt, q̃ mutuũ petunt, nõ ad necessarios usus, sed ad luxũ & sumptus nõ necessarios, uestimentorũ, crapulę, ebrietatis, cũ tñ mentiãtur se nihil postulare nisi p̃ necessarijs usibus suis, liberorũ, uxoris, fratrũ, & similiũ. Ita uero cũ sæpius fallant creditorũ fidẽ, & non soluant, claudunt eorũ benignitatẽ, ne benefici sint in ipsos q̃q; uere pauperes & egenos, q̃d quã sit impiũ corã deo, uidelicet, alijs quasi obstare, ne in bene opãdo p̃gant, & multas grauissimas calamitates secum trahat, corpales, spũales & ęternas, facile iudicari potest, ex ijs oĩbus, quę ubiq;, in quorũcũque uiciorũ & scelerũ autores dicunt̃. Diuites uero, qui opibus & facultatibus corpalibus abundãt, & naturali quadã ἀστοργίᾳ, inclementia & immisericordia, nullis egenis dãt mutuũ, nisi ubi paria se sperant recepturos, grauissime peccãt. Nã & Deut. xv. sic pręcipit̃: si unus de fratribus tuis ad paupertatẽ deuenerit, nõ obdurabis cor tuũ, neq; contrahes manũ, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuũ, quo eũ indigere perspexeris. Cęterũ q̃ sic dãt mutuum, ut ultra sortẽ aliquid recipiant, fœnus exercent. Nihil ẽm uendũt, & tñ recipiũt plusq̃ dederũt, ideo recipiunt usuras: tũc dãnabiles & impij questus, cũ illas recipiunt cũ proximi dãno, & contra eius uolũtatem: q̃cquid illud est, q̃d ultra sortẽ istis redditur. Hæc igitur uitia in cõmodatione fugiẽda sunt: ac uidendũ est pręterea, ut Christiane exerceatur hęc uirtus, Ne uidelicet hominum more, uelimus in amicos & gratos hanc beneficẽtiã exerce

ercere: sed more filiorum Dei in quoslibet, quo ad possumus, inimicos & ingratos ęque, ut in amicos atq; gratos. A qbus uidelicet nō speremus paria beneficia: aut qui nolint grati esse, Vt in mutui datiōe principaliter spectemus ad pręceptā dei uoluntatē: & deinde ad necessitatē ꝓximi, ꝓpter deū. Sic em̄ et Christus p̄cipit de mutuatiōe. Lu. vi. Diligite inimicos uestros, bn̄facite his quos oderūt. Et si diligitis eos, q̄ uos diligūt, q̄ uobis est gratia? Nā & pctōres diligētes se diligūt. Et si bn̄feceritis his, q̄ uobis bn̄faciūt, q̄ uobis est gratia? Siqdē & pctōres hoc faciūt. Et si mutuū dederitis a qbus speratis recipe, q̄ gratia est uobis? Nā & pctōres pctōribus dāt mutuū, ut recipiāt paria (seu mutui, seu aliā gratitudinis bn̄ficentiā). Verūtn̄ diligite inimicos uestros, bn̄facite et mutuū date, nihil inde sperātes. (uidelicet, similiū bn̄ficiorꝝ.) Et erit merces uestra multa: & eritis filij altissimi. Quia ipse benignus est, erga ingratos ac malos. Porro de cōtractibus emptionis & uēditionis nō multa hoc loco scribā. Sufficit em̄ annotare licitos esse, atq; adeo necessarios: ne dū a Christianis tractari posse. Sed & q̄ illos dānāt, etiā cū lege naturæ pugnāt: q̄ iubet huiusmodi cōmutationes fieri, quales exercent int̄ emētes & uēdentes. Deinde satis habeo admonere, ut q̄ se probare deo uolūt, Christiani, cōtractibus honestis & probatis utātur: & sequātur formulā legis naturæ in emēdo & uendēdo. De qua & Christus p̄cipit, Lu. vi. Et ꝓut uultis, ut uobis faciant homines &c. In summa, cōtractibus utamur in fide et cū timore Dn̄i. Nihil ꝑ auariciā, et nihil cū spe nō honesti et improbati q̄stus conādo. Nā ille principalis cōtractuū finis retineri atq; spectari a nobis debet, ne quid cōtra necessitatē uel utilitatē proximi conemur: idq; ꝑ timorē & reuerētiā mādatorꝝ dei. Cogitemus nos nō uiuere sine legibus: multo minus aliqd licere nobis cōtra leges. Sed p̄ceptę et p̄standę uoluntatis Dei debitores esse: id est, retinēdæ dilectiōis erga proximū. Solēt aūt multa q̄ri occasione istorꝝ cōtractuū: ut de licitis lucris, eorꝝ q̄ uilius emūt, ut carius uendāt. De dilationibus solutionū. Sæpe em̄ carius iusto uēdūt, propter dilatā solutionē: et uilius emūt, q̄a statim soluūt. Quod totū q̄a pugnat cū dilectiōe, et suspectū esse debet: et tanq̄ usurariū, ac minus Christianū, uitari. Sed et de spōsionibus hic agitur: quas etiāsi penitus improbare nō possumus, quamq̄ ꝑnitiosas et exitiales multis: tn̄ admoneri debemus, ne pro ullis spōdeamus, nisi nostris facultatibus possimus soluere, et uelimus soluere: ubi ille, pro q̄ spopondimus fefellerit nostrā fidē. Alioqui q̄t contentionū, rixarꝝ et blasphemiarꝝ causæ fiunt spōsiones? Sed qui ductū legis naturæ sequi uolent, scient se pulchre in his oībus rebus gerere: tum ne quid cōtra dilectionē faciāt, tū etiā ne desint proximo ꝑ neglectam dilectionē. Quamq̄ et de licitis lucris cōmuni cōsuetudine aut certe ciuilibus legibus, doceantur.

De contractibus.

In quinto p̄cepto dānat̄ ira: sed illa quæ uult proximo malū, nulla caussa nisi eius odio: aut q̄a uoluptatibus nostris seu cōmoditatibus resistit̄ ab illo. Hæc igit̄ pctm̄ est: q̄a cōmune p̄ceptum de diligēdo proximo requirit, ut ip-

Duplex ira

sos quoq; aduersarios & inimicos diligamus: beneprecemur & benefaciamus ipsis. Multo magis priuatã uindictã ꝓhibet & iracũdiæ motus. Est aũt q̃dam alia ira, quæ est licita, est excellẽs quędã uirtus: q̃ uocat ęmulatio in scripturis, siue zelus, quã scripturę ipsi q̃q; Christo tribuũt: Iuxta illud de Christo, ex psal. lxviij. apud Ioannẽ cap. viij. Zelus domus tuę comedit me. Nõ dissimiliter aũt & Prophetis tribuitur: ut Elię, Elizeo & alijs. Et Dauid sæpe prędicat illo raptu, æmulationis & irę, se cõmotũ, odisse inimicos suos. Est aũt zelus iste, & iusta iracũdia, gloriæ dei studio, cõtra eius oppressores cõmoueri & incitari: ut cũ Christus expulit e tẽplo eius ꝓphanatores. Itẽ amore iusticiæ & odio turpitudinis quõcunq; improbis & sceleratis hoibus irasci: sicut scriptura proponit exẽpla de iusto zelo Phinees, Iehu, & similiũ. Hęc igitur æmulatio seu ira, nihil odit in proximo, nisi impietatẽ, & studia aduersantia uolũtati dei. Obiurgat grauiter, impie & sua culpa errãtes: qa prodesse amat. Sicut liquet ex illo Christi, Lu. xxiiij. O stulti &c. Itẽ ex illo Pau. Gal. iij. O amẽtes Galatę qs uos fascinauit, nõ obedire ueritati? Quin etiã maledicit his qui repugnãt glorię dei: ut extãt plurima exẽpla in psalmis. Deniq; huius est ipsos q̃q; suos parẽtes odisse, & uxorẽ & liberos, & alios ex cognatis & amicissimis, si quid uelint aut iubeãt, p se turpe & malũ, & uolũtati dei aduersariũ ac pugnãs. Habet aũt & sinistrã æmulã quandã: uidelicet zelũ, seu æmulationẽ, nõ secundũ scientiã. Quę est impia & perniciosa: & illa tñ ipse q̃q; Paulus exarsit, sed nõdũ cõuersus ad Christũ. Deuastabat eñ ecclesias dei: ratus ea re obsequiũ & cultũ sese deo p̃stare. Et talẽ idẽ Apostolus, ipsis Iudęis tribuit: persequẽtibus euangeliũ, & Christianos. Rom. x. Testimonium perhibeo illis, &c. Ita in genere pronunciãdũ est, impio furore rapi & incitari, eos oẽs q Christi & euangelij gloriã, & ministros Euãgelij quęrũt opprimere: quãq̃ p ignorantiã et errorẽ hoc faciãt. Huc facit ergo illud Christi: Ioan. xv. Venet hora, ut oĩs qui interficit uos, &c. Quãq̃ igit̃ affectanda est ira seu æmulatio, glorię dei studio, amore pietatis et odio turpitudinis: tñ prudenter uidendũ est, ne q̃ errore decepti, illa cõtra gloriã dei abutamur.

Dissimulatio et officiosum mendacium.

In octauo p̃cepto de dissimulatione quadã et officioso mendatio disputatur. Multi eñ casus se offerũt, in quibus, q̃d res est, non oportet cõtinuo apud oẽs loqui: sed licet, qui etiã dilectionis est, quædã celare. Mendacia eñ earep̃hendũtur et dãnant̃ lege, q̃ uel ex ingenij uanitate, et stulta atq; inani iactãtia dicũtur: siue cũ adulatione, et nocẽdi uolũtate. Itẽ dissimulatio, q̃ nihil utilitatis habet: uel noxia est proximo. Alioqui certe et officiosæ dilectionis est ac debitæ proximo et p̃standæ, q̃dã eius uicia et errata, dissimulare, nolle uidere, tegere, et excusare. Et Christus ipse dissimulat quædã q̃ abscõdita ad tẽpus, et postea reuelata, faciebãt illustrius ad dei gloriã. Vt Lazarũ figurato sermone dixit dormire, significans mortuũ esse. Et de puella quadã mortua similiter locutus est: ut etiã derideretur. Matt. ix. Sed postea prodidit mortẽ ita in manu se habere, & tollere eã posse, ut alius dormiẽtẽ e somno excitare. Ac debemus in genere uetũ tacere, si qñ aliqua in re, possumus aliorũ saluti

consulere,

cõsulere, sine alteruus et reipub. dãno. Rahab. autẽ mendacio defendit exploratores, cũ ea occultatio plurimis noxia esset. Sed qa habebat manifestã significationẽ uolũtatis dei, qua Israelitas defendebat in gẽtibus, et promissa sua ipsis prẹstabat. Sed si fidei in deũ et dilectiõis erga proximũ regulã nobis proponamus, tũ spiritui dei cõmiserimus nos, nihil in ullo casu poterit tã ambigũ se offerre, in quo nõ sciemus, quid nos oporteat sequi, prẹstare, aut fugere. Hæc uolui in genere hoc capite, de certis quibusdã operibus dilectionis, annotare, de qbus antea fere nihil attactũ esset. Ac potest quilibet plura taliũ exemplorꝝ, in oĩbus legibus, pro ut necesse est aliquas exceptiones quãdoq; illis addere, sibi deligere. Dicã igiť post hac de cõcupiscẽtia, q̃modo a iustificatis debeat frenari & coherceri.

De frenanda & uincenda Concupiscentia carnis.

CAP. XIIII.

NOn est aliud remediũ, aut alia uictoria cõtra cõcupiscentiã, qua illa tandẽ penitus extirpeť, & cõsopiať, quã mors ipsa, et incineratio huius carnalis naturẹ. Prius igiť nõ speremus perfectã carnis renouationẽ, ãte cõpletã resurrectionẽ mortuorꝝ, quã expectamus ꝑ uirtutẽ et potẽtiã resurrectionis Iesu Christi. Interim sciamus, nõ esse noxiã cõcupiscentiã illis, q in Christũ Iesum credũt et studio glorificãdi deũ mortificare illã et cohercere, sese exercẽt, Aliis autẽ, q nõ credũt in Christũ, est caussa dãnationis et æternẹ mortis, ut maxime q̃libet prẹcepta legis opera prẹstitissent. Nõ esse autẽ noxiã cõcupiscentiã, iis q in Christũ Iesum credũt, et uirtute spiritus Christi illi repugnãt, probat illud Pauli. Rom. viij. Nulla cõdẽnatio. &c. Nec potest fœliciter illi resisti, nisi uirtute spũs sancti, quẽ soli habẽt, qui in Christũ Iesum uere credũt. Nemo adeo, qui per opera et iusticias suas quẹrit saluari, potest aliquid, deo et uirtute Christiana dignũ, cõtra cõcupiscentiã prẹstare. Pietatẽ simulare potest, et hypocrita esse, pharisaice iustus. Vere pius autẽ, et Christiane iustus esse nõ potest. Esse igitur debitores frenandẹ et cohibẽdẹ cõcupiscẽtiẹ, eos q fide iustificati sunt, et ex proximo testimonio liq̃t, q̃d attuli ex Paulo, et ex infinitis aliis. Imo hẹc est pars altera prẹdicatiõis euãgelij, qua uidelicet docemur pœnitere propť pc̃tm̃, itẽ odisse pc̃tm̃, & relinq̃re illud, ac uere ad deũ cõuerti. Hinc est illud Pau, Rom. viij. Debitores sumus, nõ carni &c. qua ꝓpter cõcupiscẽtiẹ carnis uiuere, et illi indulgere, ac desideria eius facere, res noxia est, et dãnat hoĩem, de quo lege plura Gal. v. i. Cor. vi. Eph. v. &c. Quãtũuis ꝑ opa et facta sua nemo possit saluari, sunt eñ iusticie carnis, immũdẹ atq; imperfectẹ. Quamq̃ autẽ et iustificatorũ opa et facta sint impfecta, nõ tamẽ sunt immũda opa, et rep̃hensibiles iusticiẹ. Placẽt eñ deo, quia facti sumus filij dei, fide per misericordiã, et credimus propť Christũ, peccato et infirmitatibus nostris ignosci. Ideo et si quid p̃stamus ex hac gratiẹ fide, id reputať nobis in perfectã obediẽtiã, et perfectã satis factionẽ erga legem. Nõ eñ exigitur illa perfectio & plenitudo operis iusticiẹ, quæ præcipitur in lege Mosi, ab illis qui in Christum Iesum credunt, sed hoc solum, ne sinant cõcupiscentiam regnare in se, & opera carnis perficere. Certum est enim, neminem sanctorum, penitus abesse, a cõcupiscentia & immundiciis interioribus carnis posse. Sicut Paulus docet, Rom. vij.

Itaq; magna gloria est, eorũ qui in Christum Iesum credũt, uidelicet peccatum concupiscentię quod habẽt, non imputari ipsis, sed misericorditer remitti ac condonari. Sicut testat̃ & illa sententia Pauli, Rom. vij. Infoelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis huius? Gratias ago Deo, per Iesum Christũ dominũ nostrũ. Porro deum efficaciter in nobis operari, qui credimus uere in Christũ, & sedare atq; comprimere, carnales cõcupiscentiæ motus, Paulus locuplete docet Rom. vi. Vbi inter cętera dicit, peccatũ em̃ uobis nõ dominabitur. Non em̃ estis sub lege, sed sub gratia. Significat em̃ spiritu sancto gubernari, eos qui per euangeliũ uere in Christũ Iesum crediderunt, eoq; & desiderijs peccati illos foeliciter resistere. Nam sub gratia esse est habere remissionẽ peccati, & regi a spiritu, & illius uirtute desideria peccati uincere. Ideo & pręsentię spiritus sancti in nobis certa testimonia sunt, tentatiõibus peccati uiriliter repugnare, sicut qui tentatiõibus eius facile cedunt, arguunt nihil neq; fidei in Christũ, neq; spiritus Christi, in se regnare. Id obseruẽt qui carnaliter & sine poenitẽtia uiuũt, ne ipsi se fallãt carnali securitate & decipiant. Nam & prius docui, nos frenãdę cõcupiscẽtię debitores esse, & iusticię in operibus bonis. Quamq; per opera sua bona nemo saluus fiat a pctõ, aut a morte, facit tamẽ operꝝ iusticia ad confirmationẽ fidei, & pręstita a credentibus glorificat deũ, & accipit multa pręmia a Deo, ut alio loco docui. Ideo & Apostoli frequenter adhortãtur nos, ut in ea iusticia, sicut decet ambulemus. Eph. iiij. Hæc hactenus dicta sint a me, duplici enarratione in decalogi mãdata, quorꝝ est triplex usus: in primo et infimo gradu politicus quidam et ciuilis, quẽ & philosophi prædicãt et ciuiles magistratus in suis cõstitutionibus præcipiũt. Quamq; autẽ illo legis usu nõ iustificemur, sicut nec ullo alio, tamẽ eius obediẽtiã deo debemus, ac magna gratia habẽda est omnibus, qui hãc obediẽtiã honorifice p̃dicãt, et magistratibus qui illã cõseruãt. Nec cauendũ est in illius p̃dicatiõe, nisi ne pharisaicis opinionibus nobis imponamus, et ciuili disciplina aliter utamur q̃ oportet. Ita ut faciunt, qui per legis opera mereri peccati remissionẽ et iustificationẽ scelerate q̃runt. Alius legũ diuinarꝝ usus est spiritualis, & ille duplex. Prior, quo doctrina operis perfectissime boni seruit ad ostensionẽ & accusationẽ nostri pctĩ. Posterior autẽ, qua eadẽ doctrina admonet quibus operibus amet deus coli atq; glorificari a iustificatis & receptis in gratiã filiorꝝ dei. Oportet em̃ nos regi certo uerbo dei, ne ambigamus, quid placeat aut displiceat Deo. Et de his posterioribus usibus legum diuinarum, nos in illarum enarratione scripsimus. Nam in Christianæ poenitentiæ prædicatione alio non habemus opus.

Legẽ igitur habemus retegentẽ nostra peccata, & accusantẽ ea, tũ peccatores æternarũ maledictionũ reos conuincentẽ. Non tyrannice quasi Deus in perditionibus nostris delectetur, sed quia necesse est, nos per uerã ostensionẽ pctĩ nostri, & promeritæ poenæ, uidelicet æternæ mortis, uere humiliari corã Deo. Nec enim beneficia euãgelii aliter intelligere possemus, multo minus amplecti ea, aut recipere per fidẽ, & per uerã conuersionem nostri a peccato, deũ glorificare. Deniq; nec saluari a peccato & a morte. Has igitur maximas cõmoditates accipimus ex lege, spiritualiter prædicata. Ducimur ad perfectã noticiã nostri peccati, & uere humiliamur: ne de iusticiis nostris pharisaice & inaniter superbiamus. Et ad recipiendas fide Euãgelii promissiones ueluti impellimur, deniq; credẽtes in deũ per Christũ, docemur, qua bonorũ operũ iusticia deus delectetur & ab electis sanctis suis uelit glorificari. De qua pro mediocritate nostra, in hoc tertio libro, cõmentariorũ nostrorũ de poenitentiã, scripsimus. Gloria autem sit Deo patri nostro, & redemptori Christo Iesu, æterna. Amen.

LIBRI TERTII PARS TERTIA DE SACRAMENTIS.

ELENCHVS capitum tertię partis, quæ est de Sacramentis.

De Sacramentis in genere: CAP. I.

HOrrendum est considerare, quàm inepta, prodigiosa, falsa & impia sint in scriptis Scholasticorum Theologorum de Sacramentis. Non eo nomine solum, quòd plura fingūt quàm sunt, uerumetiam quòd illis tribuunt, quæ tribui neq; debent neq; possunt. Nam cōfirmatio & extrema unctio sunt ritus ab hominibus, sine autoritate Verbi Dei, introducti, qui etiam si probabiles essent, tamen in Sacramentorum numero haberi non deberent. Sacramenta enim adpellamus signa & testimonia uoluntatis & gratiæ erga nos Dei: qualia ab hominibus non possunt institui. Ideo ab his diuinis signis, ritus humanitus inuenti diligētissime discerni debent. Ordo autem plane non est quàm uocatio ad ministeriū Verbi Dei, Euangelii & Sacramentorum: & ordinari est eligi & uocari ad horum administrationē. Non tamen opus est isto ungendi ritu pro ordinandis ministris, qui nunc in usu est: & nunquam non fallet Ecclesiam, si retineatur, in electione & uocatione ministrorum. nec ordo ipse rectus, aliter aut noue facit sacerdotes, quàm prius sunt oēs Christiani, propter Christū. Res enim noua est, & ficta ab Hypocritis, aut certe ignaris scripturarum sanctarum, Sacerdotiū sacrificulorum Papisticorum: & tantā habet abominationē coram Deo, propter missæ, hoc est, dominicæ cœnæ prophanationē & abusum, ut grauior & horribilior admitti non posset nec alia magis noxia esse Ecclesiæ. *Quæ in Sacramentorum numero haberi non debēt.*

Cæterum Pœnitentia significat nostrā nouitatē, terrores in conscientia, odiū, detestationē & fugā non Pharisaicā peccati: in summa, propositum melioris uitæ. Et nihil habet cū ratione signorum, quæ sunt a Deo instituta, sēsibiles ac uisibiles notæ, ut nos admoneant uoluntatis & gratiæ Dei. Recte autem Pœnitentiā agentibus, signa propitiæ uoluntatis, & gratiæ Dei, sunt, tum baptismus, tum etiā ipsa cœna. Vere enim pœnitentibus & lugentibus sua peccata, eaq; relinquentibus debetur Euangelii consolatio, seu absolutio: qua prounciantur iusti, peccati remissione, & uitæ æternæ hæredes, propter Christum, quatenus credunt in eum. Et Euangelii quidē adpendices atq; signa testantia de uoluntate & gratia Dei erga Pœnitentes, sunt baptismus & dominica cœna.

Deniq; Matrimoniū pertinet ad hanc corporalem uitā, tam abest, ut signū gratiæ in regno Christi, quod totum est spirituale, esse possit. Ac nemo magis efficitur Christianus, qui uenit in consuetudinē uitæ matrimonialis: nec minus Christianus est quisquis celibem uitam ducit, modo sit casta. At Sacramēta, talia sunt, ut suo ac debito usu, efficiant Christianos, eosq; subinde meliores: & neglecta relinquāt deteriores. Nam minus Christiani sunt, qui neglentius utuntur Sacramētis: siue

qui illa prorsus relinquunt, quasi non habeant opus consolatione, quæ est per Sacraméta. Ita ut minus Christiani sunt, á quibus Euangelii prædicatio negligentius auditur ac discitur, aut qui sine omni pœnitentia uiuunt. Nihil uero huiusmodi potest de Matrimonio dici, idcirco sunt delyræ cogitationes facientium ex matrimonio noui testamenti Sacramentum.

Quæ Sacramentis tribui non debent.

Porro Sacramentis noui testamenti flagitiose tribuitur à scholasticis Theologis, q̃ non ponenti obicem, hoc est, illi qui non habet propositū mortalis delicti, conferant gratiam, ex opere operato, sine bono motu alioqui utentis. hoc est, sine fide. Hæc enim Pharisaica opinio, usum rectum Sacramentorum penitus euertit atq; corrūpit. Sacramenta enim nullis unq̃ prodesse potuerunt, nisi per fidem, quẽ admodum uerbum, cui adiecta sunt, nisi creditū, etiā iudicat ac dānat suos auditores. Ac loquor hic de ea fide, quæ statuit q̃ Deus nos respiciat per misericordiā & sal uos faciat à peccato & æterna morte, beneficio redemptoris Christi, quam exercet, erudit, fulcit ac munit atq; confirmat Sacramentalibus signis.

Neq; uero detrahi Sacramentis ueteris testamenti debet ac dici, quod nō fuerint ex æquo efficacia, ut noui testamenti Sacramenta, uidelicet suscepta, & in usu habita, per promissæ gratiæ in Christo fidem. Nam idem Christus regnauit in electis suis á condito mundo, & eadem fides in Christū, prædicata patribus, qui claruerunt sub ueteri testamento, efficax fuit, usq; ad hæc tempora. & prædicabitur eadẽ, uirtute Dei potens, usq; ad mundi huius finem. Cæterum eiusdem Christi, & fidei in ipsum alia & alia signa fuerunt, quæ nos Sacramenta gratiæ adpellamus. Non ergo existimandū est, caussā mutationis Sacramentorum ueteris testamẽti, in illa noui testamẽti Sacramenta, quæ nunc durant, fuisse, ut hæc gratiam conferrent, quam priora dare non potuissent. sed sola uoluntas Dei. Sic enim uisum est Deo, eādem in Christum fidem, pro temporū diuersitate, prioris, nondū exhibiti in carne, & huius in quo nunc sumus, exhibiti & glorificati à mortuis Christi, aliis atq; aliis signis exercere, fulcire & confirmare.

Sed non ideo dicimus efficacia Sacramenta, eo modo quo scholastici theologi: qui censent, q̃ gratiam conferant, uirtutes augeant, & iustificent ex opere operato: maxime, illa noui, uel potius sola. Hæc enim impia & Pharisaica opinio fidẽ in Christum abolet & extinguit: nec potest docere, qui sit usus promissionū gratiæ & signorum. Sed illo modo efficatia dicimus, ut uerbū Dei creditū, est efficax in sanctis: quod Paulus illi tribuit, Rom. 1. Non erubesco Euangeliū Christi. Virtus enim Dei est, in salutẽ, omni credenti. Et. 1. Cor. 1. Verbū crucis, pereūtibus quidẽ stultitia est: nobis autẽ, qui salutem consequimur, Dei uirtus est. Ita ergo & Sacramenta affirmamus efficatia esse, in illis á quibus suscipiūtur per fidem. Sunt enĩ monitoria promissionis: & signa, promissionis gratiā ad eos pertinere, testificantia, qui promissioni credūt: & Sacramẽtis, ut confirmatoriis signaculis donatæ gratiæ utūtur.

Sacramenta quomodo sint efficacia gratiæ signa.

Proinde, in usu Sacramẽtorū necesse est fidem accedere, quæ credat promissionibus, quarū nos admonẽt Sacraméta: & accipiat res promissas, quæ in Sacramẽto offerūtur, ut in signo & testimonio gratiæ. Efficacia igitur erunt Sacramẽta, non ex opere operato, aut quia suscipiuntur, quod a quibuslibet impiis fieri posset: sicut dubitari non potest, multos impios illa recipere, quibus penitus non debentur, atq; adeo sunt perniciosa, propter incredulitatẽ ipsorum. Sed efficaciter prosunt, recepta, per promissionis fidem. Constat enim, quod Deus, & uerbo promissionis, & signis, ex æquo uult efficax esse in nobis: iustificare & saluare, quatenus credimus promittenti. Hac ergo uirtute abluit baptismus peccata, eorum qui per

Euangeli-

Euangelium in Christum Iesum credunt. Sic cœna corporis & sanguinis Christi, testatur perpetuo firmũ esse hoc donum remissionis peccati, quod illis contingit, qui retinent fidem in Christum,

Sic ergo solis piis, qui Euangelio credunt, prosunt Sacramenta: ad gratiã remissionis peccati & uitæ æternæ. Sed Scholastici theologi cum de suo obice nugantur, item de fiducia operis operati, tribuunt quibuslibet impiis & incredulis, fructum & utilitatem Sacramentorum. Quamquàm uidentur quidem in usu discernere pios ab impiis illo cõmento, quo fingunt in aliis non esse propositum mortalis delicti, quod aliis sit adiunctum: uerum hoc totum Pharisaice faciunt. Quia per opera & qualitates priuatarum uirtutum in hominibus, discernunt pios ab impiis, quos per promissionis gratiæ fidem discernere ab his debuerunt: ut quæ nulla est in impiis. Qui tamen opera in speciẽ bona, similia piorum operibus, habere possunt & plerumque habent. Quemadmodum etiam fingunt se habere propositũ melioris uitæ: quod est nullum uerax, aut firmum

Qui igitur discernere ab impiis pios uolunt, illos quibus debentur & sunt utilia Sacramenta, id faciant per promissæ gratiæ fidem: quæ impiis nulla penitus contingit, quod alio loco euidentissime docui & demõstraui. Nec Deus aliter pios bonos, iustos, sanctos & uitæ æternæ hæredes facit, quàm per suæ graciæ fidem: nec alia caussa, nisi per gratuitam misericordiam, & propter redemptorem Christum. Opinio itaq; operis operati, usum Sacramentorũ corrumpit. Non sunt enim Sacramenta, signa quibus nulla gratiæ promissio adiuncta est: cum uero signa adhibẽtur promissioni, tunc efficiuntur Sacramenta: hoc est, signa promissionis, utilia credẽtibus, incredulis autẽ nõ modo inutilia, uerumetiam perniciosa. Promissio enim inutilis est, nisi fide adprehendatur: imo damnat incredulos. Quapropter & in Sacramẽti usu debet accedere fides: qua homo signo & testimonio erga se gratiæ Dei religiose & cum fiducia gratiæ utatur: quod nisi fiat, non potest non damnosum esse, uenienti ad usum Sacramentorum.

Liquet ex his, noui testamenti Sacramenta non magis efficacia esse, quã illa ueteris fuerunt. Quin etiam nulla unquam Sacramenta hominibus gratiam uirtute operis operati contulisse: sed utilia demum fuisse, his qui per fidem ad Sacramentorum usum uenerunt. Hac enim sola recipimus graciam, promissione & signis oblatam: & excitatur quidem promissione fides, quam Sacramenti usus confirmat. Neq; aliter hoc accidit usu Sacramentorum in beatorum patrumfide, qui in uenturum Christum crediderunt, quàm in illa nostra, qui credimus in Christũ, incarnatum, passum & glorificatum, regno cœlorum, immortali atq; æterna gloria. Sicut Paulus testatur, Rom. 4. adpellans circumcisionem, non simpliciter signum, quod cauillari possent, qui negant Sacramenta esse uoluntatis Dei erga nos testimonia, & fingunt tantum notas professionis inter homines esse, Sed etiam signaculum iusticiæ fidei: hoc est, ita signum ut testetur iustos esse, qui promissioni credunt. Iustos autem, peccati remissione, ut uitam æternam possideant. Iam idem est baptismi usus, quantum ad signum ac testimonium gratiæ attinet, qui fuit circumcisionis, successit enim in locũ circumcisionis baptismus. Porro, ut baptismi est nos cõmonere promissionis Euangelii, & testari nostram esse illius gratiã, qui baptizamur, si tamen credimus in Christum. Ita idem prorsus officium & usus est dominicæ cœnæ. Nec enim potest prodesse, nisi credentibus, & utentibus illa cum gratiarum actione.

Hoc uerum est quidem, Sacramenta noui testamenti, quantum ad usum

Penes quid differant Sacramẽta noui test. ab illis ueteris: & in quo peculiarẽ gratiam habeant.

signorum in externis attinet, non parum præcellere illa ueteris: & plane gratiosiora esse. Imo uero, uetera cum nouis collata, non modo difficiliora fuerunt, uerum etiam onerosa, cum hæc nihil prorsus oneris habeant. Sic disponente omnia mirabiliter Deo, ut gratia tandem per Christum exhibita & prædicata toto orbe terrarũ omnibus magis arrideret, proniusq; quibuslibet gentibus sese insinuaret. Quid enũ nõ asperum est & horridum in una circumcisione? nulla autẽ difficultas est, in baptismo aquula aspergi & ablui. Ideo difficilimum fuisset, si gentes sub iugum unius circumcisionis pertrahi debuissent, quæ in Abraham & paucis cum eo ceperat. Nec mirũ fuit, illam postea in una iudæorũ gente retineri potuisse. Sic autem & de aliis oneribus Iudaicarum ceremoniarũ, longe difficilimis, sencienđũ & iudicandũ esse censeo. Sed hoc est discernere inter duplicia Sacramenta penes usum signorũ in externis: non penes effectum, aut efficaciã quæ interius lateat, & Sacramentis tribui non debet. In usu quidem exteriore signorũ, est aliquod peculiaris gratiæ beneficium, quo præcellãt noua ueteribus. Deus enim, post exhibitum Christum, nullo onere uoluit premere Ecclesiam: Ideo circũcisio mutata est in baptismum, regenerationis lauacrum: oblationes autem & sacrificia in Sacramentum dominicæ cœnæ. In qua est perpetuum testimoniũ & pignus oblationis Iesu Christi, semel factæ, p traditionem eius in mortem, pro nostris peccatis. Quã una iustificamur à peccato credentes, & absoluimur ab æterna morte. Et utentes cœna, etiam in signo adprehendimus eius gratiæ & beneficii testimonium ac pignus.

Cæterum Sacramenta ueteris testamenti, rei quam allegorica significatione spectabãt maxime accomodam figurã habuerunt, quemadmodũ illa noui à re quã significant, in signo non abludunt. Significabat enim circũcisio promissũ semẽ, in quo omnes benedici debuerunt, idq; proditurũ testabatur ex Abraæ posteritate. Sicut oblationes & sacrificia, maxime propitiatoria illa, significationem habuerũt oblationis Ihesu Christi, in mortem crucis, pro more innocentis uictimæ, qua unã Deus placari nobis potuit & recõciliari, remittere peccata, & seruare à morte. Ideo sicut circumcisio non debuit durare, post incarnatum, passum, glorificatũ & regnantem Christum, sed in aliud mutari. (mutata est enim in baptismũ, quod & Paulus testatur. Col. 2.) Ita sacrificia illa legis deinceps non debuerũt retineri, ne credentes Euangelio, ullius iniuria in periculum dubitationis retruderentur. Quantas enim dubitationes obsecro cum circumcisio, tũ sacrificia legis peperissent, si usq; ad hæc tẽpora in Ecclesia Dei per manerent? Sunt igitur abrogata illa ueteris testamenti Sacramenta. primũ, ne noxia essent in Ecclesia magis quã utilia. Non quia per se sint mortifera, si qui forte illis uterẽtur post glorificatũ Christum, sicut Apostoli fecerũt, quo melius consulerent infirmis & imbecillibus conscientiis. Sed quia cogitare homines potuissent, Christum promissum nondum exhibitum fuisse, si uidelicet Ecclesia circũcisionem necessario retinuisset, aut si sacrificiis legalibus adhuc uteretur. Dant itaq; maxime claram significationem abrogata exhibiti & regnantis Christi. Quia nisi exhibitus esset atq; regnaret uerus Christus, nunquã abrogari potuissent. Nam impossibile fuisset Deo resistere, qui illa ordinarat atq; constituerat, duratura usq; ad tempora Christi.

De necessitate abrogationis Sacramentorum uet. testamenti.

Deinde sunt abrogata, non ut penitus nulla Sacramenta in Ecclesia, post glorificatum Christum haberentur, sed ut in noua alia mutata, durarent noua significatione. Hoc est, ut ipsa noui testamenti Sacramenta, usum & fructum Christi maxime perspicue & claris signis nos docerent. Clarissime enim testatur baptismus, remitti & ablui peccata, omniũ qui per fidem nominis Ihesu Christi illum suscipiũt.

Sicut

Sicut docet illud Ananiæ, act. 22. ad Paulum. Exurge & baptizare, & ablue peccata tua. Porro, ipsum cœnæ Sacramentũ, cuius debuit esse quotidianus usus, ut uerbi Euangelii, aut certe non rarus, maxime claram significationẽ habet incarnationis filii Dei, & traditionis eius pro peccatis nostris in mortẽ, qua nobis adoptionis gratia illa, quæ in baptismo per fidẽ glorificati Christi confertur, impetrata est. Ipsum autem cœnæ Sacramentum, etiam testatur eam adoptionem nostri non posse euacuari, siue irritam fieri, modo fidem retineamus.

Fuit itaq; circumcisio iusticiæ fidei signaculũ & pignus apud Iudæos, ut nunc est baptismus, in omnibus gentibus, Ecclesia Christi sparsa, & regno eius dilatato, toto terrarũ orbe. Nec debuit abrogari circumcisio, donec incidisset in eum, cuius unius sanguinis innoxii effusione, purificamur à peccato, & liberamur ab æterna morte, nempe, in Christum. Idcirco pauculas istas & miseras reliquias iudaicæ gentis, quæ retinet circumcisionem, etiam testatur adhuc esse sub peccato, atq; æternis maledictionibus legis, eo quod seruatorem Christum, cuius beneficio circumcisi sumus, dono gratiæ, per spiritualem circumcisionẽ, Col. 2. incredulitatis perfidia abnegãt. Quanquam autem & sacrificia illa legis, offerentes nunquã potuerunt iustos facere, ita ut iustificabat effectiue Christi oblatio cum iam facta esset in Ara crucis, atq; perpetuo iustificat, omnes qui credũt in eum. Sicut pulcherrime & sanctissime docetur in Epistola ad Hebræos. Tamẽ profuerunt, his qui in gratiæ promissionẽ credidissent. Profuerũt autem, ut gratiæ signa & testimonia, exercentia, confirmantia, & subinde melius erudientia atq; consummãtia fidem, nõ ex opere operato. Nam signa eiusdem efficaciæ sunt, cuius est uerbum promissionis, cui sunt adiũcta. Constat enim Dei operari in nobis, per suæ gratiæ promissionem & signa illius, uirtute spiritus sancti, & perficere æternam salutem. Nec aliter prosunt Sacramenta noui testamẽti nisi ut signa & testimonia gratiæ, erudientia & confirmantia fidem. Quia uero sacrificia legis præcipuam significationem habuerunt oblationis Christi, ideo post traditum, oblatum & glorificatum Christũ, retineri non debuerunt. Itaq; hostia pro peccato nunquã dici potuisset oblatio legis, nisi significatiue, in qua uidelicet testimonium fuit, de beneuolentia & gratia Dei erga populum suum, propter promissum illi Christum, qui iustificat effectiue, uirtute sanguinis sui, omnes qui in eum credũt.

Sed hæc de necessitate abrogatiõis Sacramentorum ueteris testamenti hactenus. Placuit autem Deo, etiã hac ratione suo populo in quo nasciturus erat Christus, futurus sacrificium & hostia pro omniũ peccatis, præcipere de oblationibus & sacrificiis: ut paulatim erudiens assuefaceret illum eo, ne existimaret peccatũ & trãsgressiones remitti corã Deo posse, ullius carnalis iusticiæ merito. (Quanquã multi hypocritæ semp opinati sunt aliud, quales hoc quoq; seculũ innumeros, cæcos & deploratos habet, sed p alicuius innoxii sanguinis effusiõẽ.) quẽ necesse fuit Dei filium esse, & hominem sine omni contagione & macula peccati. Quia alii omnes nascimur cũ peccato, & sumus propter peccatum natura filii iræ. Erat autem facillimũ docere, peccata non posse remitti, nec emundationẽ nostri fieri, sanguine taurorũ, hircorũ & similium oblationũ legis, Ideoq; necessariã fuisse Christi mortem, nempe, p quem & in quo promissa erat omnibus iusticia & æterna salus, benedictio gratiæ & uitæ. Id quod postea apud Iudæos omnium clarissime docuit Esaias propheta, Cap. 53. Profecto languores nostros ipse portauit & dolores nostros in se recepit, & tamẽ nos reputauimus eum tanquam plaga percussum à deo, & infirmatũ. Reputauimus eum, tanquam percussum à Deo. Verum propter iniquitates nostras est uulneratus, & propter peccata nostra percussus. &c.

Igitur hæc omnia satis testantur, sacrificiis legis effectum iustificationis nunquã debuisse tribui, quemadmodũ nullis aliis operibus obedientiæ nostræ erga legem ille effectus tribui iure potest. Cæterum sacrificia legis habuerunt uim Sacramentorum, quæ qualis sit, iam antea copiose explicatũ est, & deinceps multo copiosius explicabitur, in doctrina de Sacramentis noui testamenti. Hypocritæ autem Iudæi, qui illis tribuerunt uim iustificandi, ex opere operato, à sanctis Prophetis damnati sunt. Cuius habes testimoniũ ps. 49. præcipue de hac ratione. Item Hie. 7. non sum locutus cum patribus uestris, & non præcepi eis de uerbo holocaustomatũ & uictimarum. &c. Quo certe propheta, non uoluit nisi abusum ceremoniarum in oblationibus damnare. At ille alius & grauior non potuit esse, quàm est p pharisaicam opinionem, meriti operis operati, in iusticia nostra. Hac enim & gratiæ detrahitur, & fides in Christum euertitur, quod hypocritæ isti, non credentes uerbo gratiæ, & arrogãter de iusticia operum & factorum suorũ præsumẽtes, perpetuo fecerũt & faciũt.

Missa Hic quoq; dicendum erat de missæ abusu, quo fingitur, esse sacrificium, pro peccatis uiuorum & mortuorum. Sed extant clarissimorũ uirorum scripta, D. Martini Lutheri, & Philippi Melanthonis, contra eam abominationis impietatem, quibus illa satis refellitur. Sane autem, differentia dati & accepti, plane expedit eam controuersiam & pugnam opinionum de missa, in quibus disceptatur, num pro sacrificio, quod nos offeramus Deo, possit haberi. In cœna enim Domini (ex qua fabricauerunt Missam impostores, adplicatilem istam ad quemuis usum, ut etiam cupiditatibus auarorum seruiat & bellantium insanis furoribus, & his similibus aliis negotiis prophanis & impiis.) nihil prorsus est, quod nos Deo offeramus de nostris donatiis, sed quod Deus ipse nobis sũma liberalitate misericordiæ suæ offert ac donat, Nempe corpus & sanguinem unigeniti filii sui, & cum hoc remissionem peccati, atq; æternam uitam. Si tamen credimus in eum, quem dedit uidelicet preciũ & redẽptionem pro nostris peccatis, & per Sacramentum exhibet nobis in signũ & pignus, illius pro nobis uere incarnati & traditi in mortem, cum aliter redimi à peccato & morte non possemus. Ideo & fidem & gratiarum actionem, tantorum gratiæ beneficiorum, in cœnæ usu à nobis requirit, ut per quæ sola contingit nobis reconciliatio cum Deo, peccati remissio, iusticia uita atq; æterna salus. At uero sacrificii ratio est, aliquid de nostris rebus Deo offerre, non de gratuitis donis, quibus prior occupat nos Deus, ut etiam oblationibus pro peccato nihil sit opus. Quare ualde cæci sunt, ne dicam mali & impii, qui admoniti de errore, adhuc opinantur & contendũt missam pro sacrificio retinendam esse.

DE SACRAMENTIS
Noui Testamenti seorsim.

SEd nunc seorsim scribemus, de natura, proprietate & usu Sacramentorũ noui testamenti, sine consideratione illorum, quæ fuerunt ueteris testamẽti. Sunt ergo adpendices Euangelii Sacramenta, baptismus & dominica cœna, in hoc à Deo instituta, ut nobis promissionis Euangelii memoriã conseruent, eiusq; admoneant frequenter, & fidem illius excitent in nobis, planeq; confirment credentes, de

CAP. II. placato ipsis Deo, & donata uitæ & salutis æternitate, per Christum Iesum. Huius enim respectu, recte uocantur gratiæ signa, recte item ea sententia dici possent, inuisibilis gratiæ, uisibiles & sensu perceptibiles res & formæ. Non ut scholastici theologi signa gratiæ adpellant, per quæ donum gratiæ & uirtutes in hominis cor efficaciter, usu Sacramenti, infundantur, etiam si nulla promissionis Euangelii fide prædicti. Hoc est enim Theologis istis, efficacia esse Sacramenta, ex opere operato, in ho-

mine non ponente obicem mortalis peccati,& agente tamen sine bono motu interiore cordis,& sine fide in Deum. Cum incredulum esse, & ignatum promissiōis gratiæ,sit crassissimus obex: qui plane ac prorsus indignum efficit hominē dono gratiæ,remissione peccati,usu Sacramenti & æterna salute.

Proinde contra istos Pharisaicos errores notandum est,duo inspicienda esse in Sacramentis,& illorum usu:promissionem uidelicet,& signum promissionis.Promissionis autem nomine intelligamus ea omnia,quæ in Euangelio sunt prædicata,de uerbi æterni incarnatione,& traditione eius pro peccatis nostris in mortem, necessaria ad nostram salutem:sine qua,nec intelligi signi usus posset, nec signum esse Sacramentum.Concurrente uero ad promissionē signo, siue promissione adhibita ad signum,efficitur Sacramētum: quod eatenus utile est sumenti, quatenus ille fidem adfert ad promissionem,& ad signum,promissiōis testimoniū ac pignus. *Duo esse in Sacramentis, Promissionē & signa.*

Sicut enim per promissionem docemur,de uoluntate & gratia erga nos Dei:Ita signum,promissioni annexum & adhibitū,est pignus ac nota,quæ testetur promissionis gratiam ad illos pertinere, qui sacramento debite ac pie utuntur.Igitur fide opus est homini,in usu Sacramenti:ut sine qua non posset non pernitiosus esse. Sicut enim in promissione adprehendimus Deum, Christum, iusticiam & æternam uitam,quatenus promittenti credimus: Ita usu signi promissionis, cum fides accedit.Sine fide enim,signi usus etiam noxius esset, quemadmodum uerbi promissiōis auditus,non adiunctus cum fide.

Omnia autem certius ac firmius discimus atq; colligimus ad nos pertinere usu Sacramenti,quæ sunt propitiæ & bonæ uoluntatis erga nos Dei, quam seorsim solius uerbi prædicatione fieri posset. Nec enim frustra adhibet Deus promissioni signa,nec potior aut melior est signorum usus,quàm in confirmatione consciētiarū, de ueritate promissionum, fidelitate ac dono in nos gratiæ Dei. Sacramēta igitur utrumq; complectuntur,ut melius nos doceant,& solidius confirment, promissionem & illius signum.Et signum quidem est externa nota,significans nobis conferri,quæ in promissione credentibus offeruntur.Sicut in baptismo aquula,qua abluimur nomine patris & filii & spiritus sancti, in remissionem peccatorum. In Dominica cœna,Panis & Vinum,monitoria incarnati uerbi,& traditi pro nobis in mortem,adeoq; præsentiæ corporis & sanguinis Christi, in quo dono & gratiæ beneficio,cibum habemus & potum æternæ uitæ,quatenus illa cœna utimur p fidem.

Igitur illæ tales notæ sensibus & oculis obiectæ,adhibentur promissioni,ut cum se homines applicant ad usum Sacramenti,confirmentur,promissionem gratiæ,remissionis peccati,iustificationis,& uitæ, salutisq; æternæ ad se pertinere, sibiq; conferri ac tradi seu donari, modo fidem adferant ad usum huius tàm sanæ rei. Quibus tunc signum gratiæ non inaniter res est, præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem uenire. Reuocat enim nobis in memoriam Euangelii promissionē, & admonet nos factæ reconciliationis, quæ nostra est cum Deo,per Christū, quantumuis peccatores simus. Deniq; testatur singulos usu Sacramenti,aut recipi in gratiam,quod fit baptismo,aut gratiam amittere non posse,qui semel recepti in illam fuerūt,si fidem retineant.Idcirco enim & lapsi,in enormia uicia & peccata, ueniunt ad Eucharistiæ usum,ut ibi cū laude & graciarū actiōe confirment fidem,& resurgant à peccato,& fortius contra illud deinceps pugnent.

Ita ergo hæc duo, nempe promissio & signum eius, nō negligenter in quolibet Sacramento spectari atq; aminaduerti debent. Est autem promissio fauere Deum, & placatum esse, omnibus illis, qui in Christum Iesum credunt, Ideoq; recipi eos,

& adprobari coram Deo, & haberi loco filiorum Dei, quibus & peccata remittātur & uita æterna donetur. Signi autē hoc proprium est & perpetuū, reuocare nobis in memoriam hanc ipsam promissionem, de qua loquor, & significare atq; testari eā ad illos pertinere, qui promissionis fide ueniant ad Sacramentum.

His rationibus certe, Sacramenta efficacissime consolantur territas peccato conscientias, nisi nulla uis sit promissionum Euangelii, & signorum promissionum, ad consolandū peccatores. Sed omnino firmum est consolationem nobis per Sacramenta afferri, primum, quia magnum est audire, cognoscereq; gratiæ promissionē, cui qui credunt, quomodo non acciperent pacē in corde? Deinde, quia maius est signo sacro cum adiuncta promissione priuatim confirmari, de donato gratiæ regno, rei per se communissimæ. Nempe, oīm qui credunt promissioni & ueniunt ad Sacramenta. Sic enim a singulis adplicantur ad usum, atq; priuatam possessionem. Itaq; recte dicitur, Sacramenta esse instituta, ut erigant & consolentur pauidos animos, tristes atq; consternatas conscientias, quas peccatum, lex, ita Dei & metus inferni terruit. Quod uero non omnes consolationem reportant usu & memoria Sacramenti, id fit quia nondum uere crediderunt in Christum Iesum, sed speculatiuis cogitationibus solum cognouerunt illum. Siue etiam ne sic quidem cognouerūt. Viderint ergo cum quo pugnent, qui negant, quod signa gratiæ, quæ nūc appellamus imitatione ueterum Sacramenta, fidem nostram fulciant, augeant, & confirment. Væ derisoribus istis.

Consolatio efficax peti ex Sacramentis potest.

Cingliani.

Negari non potest, in Sacramento esse Euangelii promissionem, quæ profecto saluationis fidem semper requirit a nobis. Ergo credentem in gratiæ promissiōem consolatur, & pacificat eius conscientiam, oblato remissionis peccati dono & uitæ æternæ. Maxime autē munit talem contra quascunq; tentationes peccati mortis & diaboli, promissionis signum & pignus Sacramentum, in quo uidelicet, est testimonium partæ nobis & donatæ per Christum æternæ salutis. Atq; ut idem per uerbū promissionis testetur Deus, tamen confirmatius hæc agit, uerbo & signis, dū imbecillitatem fidei nostræ erigat, fulciat & confirmet. Aut quis est, qui docere possit, Deum Sacramenta non ita ordinasse ad nostram salutem, ut uerbum gratiæ? Deinde, non esse efficacem in nobis usu Sacramenti, quatenus per fiduciam gratiæ illis utimur, cum sit efficax in illis, qui promissioni gratiæ credunt? Nemo, qui sanæ mētis est, hoc poterit affirmare, uidelicet, nullis prodesse ad salutem Sacramenta, cum utilis sit & necessaria gratiæ promissio. Quia nulla in re alia est, aut diuersa, gratiæ promissio, seu Euangeli per Christum, a promissione cuius admonemur in Sacramentis, & quarum fide ad usum Sacramenti uenire debemus. Imo una est atq; eadem illa Euangelii, cum hac Sacramentorum, quia Sacramenta non sunt nisi adpendices Euangelii, & adplicāt ad nos eius usum, illūq; priuatum ac propriū nobis efficiūt.

Teneamus ergo, non esse Sacramenta, hoc est, gratiæ signa, nisi quæ uoluntate & iussu Dei adiecta sunt ad Euangelii promissionem. Quare ut uerbo gratiæ suæ efficax est in nobis Deus, ita Sacramentis, creans in nobis fidem spiritu sancto, & perficiens quæ faciant ad consumationem nostræ æternæ salutis. In hunc enim modum erectæ promissis & signo consolationem capiunt & robur conscientiæ nostræ, ne in terroribus peccati, mortis & diaboli desperent. Atq; ut contra uniuersum satellitiū inferorū cōsistere ualeāt in die malo, fraudes uincere, retinere fidē & saluari. Nihil refert enim, quod hunc Sacramentorum fructum non omnes percipiunt, quanquā illis utantur. Quia nō omnes uere credunt in Christū, imo nec norūt dū, quid sit credere in Christū, aut cur Deus uoluerit nos potissimū donare Sacramentis, & gratiæ signis.

Itaq;

Itaq; certum est, Sacramenta ita significationẽ habere iusticiæ fidei, ut sint eius testimonia, in illis qui Euãgelio credunt, adeoq; cõfirmationes & signacula. Quod Paulus de circumcisione dixit, plane indicans, idem de aliis omnibus Sacramentis recipiendum esse. Non enim ad legem mittunt nos Sacramenta, hoc enim esset ad desperationem salutis relegari, sed ad Euangelium, ad gratiæ promissionem, & ad propitiatorem Christum Ihesum. Si enim mitterent nos ad legem, non essent Sacramenta siue gratiæ signa, quia per legem, pacem conscientiarum non operarentur, sed magis desperationem. Vt magis iræ signa essent, quàm Sacramẽta. Nemo etenim qui exactionibus legis possit satisfacere, Ita nemo unquam dignus fieri per legem usu Sacramenti.

Igitur ad Euangelium mittunt nos Sacramenta, & ad iustificatorem Christum, ut nos maxime certos efficiant, atq; securos donatæ saluationis per Christũ. Ideo non possunt non consolari efficaciter, eos omnes qui ad Sacramenta ueniunt, tanquam ad gratiæ signa, moti promissionis Euangelii fide, cui quisquis credit, accipit iusticiæ & æternæ uitæ donationem. Porro, ad iustificatorem Christum mitti, est ei tradi, qui nos sanguine suo lauit a peccato, & potestatẽ habet nos saluare a iudicio æternæ mortis. Quod ille quidẽ pro officio facit, hoc est, purificatos a peccato sanguine suo, saluat a morte omnes quotquot credimus in eum. Et fidem usu Sacramẽtorum munit atq; confirmat. In summa, Sacramentorũ dispensatione adplicantur ad nos omnia quæ sunt regni gratiæ saluantis per Christum. Debet autem ad usum Sacramenti accedere fides, quæ recipiat illa omnia. Videlicet, remissionem peccati, iusticiam & æternam uitam. Matthæi ultimo. Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Sic ergo, ut expositum est, intelligi uolumus, Sacramenta esse gratiæ & salutis efficacia signa, quia sunt promissionis Euangelii signa: prouocantia nostrã fidẽ. Idcirco credentibus utilia, & significãtia in gratiã esse, eos à quibus per fidem recipiuntur. Fauet enim Deus his qui in Christũ Iesum credunt: & remittit eis peccata, donãs salutem. Et Sacramẽtorũ testimonio munit illos, ut firmius credant: quia promissionibus alioqui frustra esset signa addere. Quoniã uero autoritas Sacramentorum necessario est diuina, ideo plura numerari non debent, q̃ instituit Deus. Sicut enim solus potest promissione gratiæ peccatores consolari: Ita solus suæ gratiæ illius & fauoris erga nos signũ instituere. Quorũ utroq;, hoc est, tã uerbo, q̃ signo, munimur cõtra terrores peccati in conscietia: & confirmationẽ accipimus, de æternæ uitæ securitate. Nec aliter intelligi debet, aut potest pie, quod de Sacramentis dicitur: esse uidelicet, efficacia gratiæ signa. Vide.

De discrimine baptismi Ioannis & Apostolorũ.

Restat cõmentũ discriminis baptismi Ioannis & Apostolorũ: ut tractatur à Sophistis, de quo hic nonnihil dicendũ est. Illi enim putant baptisma Ioãnis nõ profuisse ad peccati remissionem: & Ioãnem sola corpora, inani scilicet & pharisaica lotione abluisse. Cum Euangelistæ tam aperte testentur, prædicauisse Ioãnem baptismũ pœnitentiæ, in remissiõem peccatorũ, quæ uidelicet accipi debuit, per fidem iustificatoris Christi, quã non tacuit Ioãnes, indicans populo Christum, ac dicens, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mũdi. Negare igitur, baptisma Ioãnis nõ profuisse ad pecati remissionẽ, est gratiæ Sacramentũ, idem quod hodie durat in Ecclesia, irridere, adeoq; uerbũ Euãgelii, quod docuit, negare utile fuisse ad peccati remissionẽ. Deniq; & pœnitentiã, quã docuit affirmare nõ aliud fuisse, q̃ hypocriseos aut desperationis doctrinã. Sed Ioãnes uere docuit pœnitentiã, ueros terrores incutiẽs peccatoribus, prædicatiõe legis, & peccatores rursus ueraciter cõsolatus est Euangelii promissione, atq; exhibens illis signum gratiæ baptismũ. Deniq; à iustificatis

fide, ueros ac dignos pœnitentiæ fructus requisiuit, cuius prædicationis forma adhuc retineri in Ecclesia debet. Nec aliã secuti sunt Apostoli, nempe, uocantes ad pœnitentiã, quibus baptismũ prædicauerũt. Nec aliis promittebant peccati remissionem, nec propter aliud, quã fidem in iustificatorẽ Christum. Quos postea docuerunt operam dare, ut tanquã filii dilecti Dei, à quo in gratiã salutis recepti essẽt, studio emendatioris uitæ & bonorũ operum præcellerent.

Idem ergo prorsus fuit Ioãnis baptismus, qui est Apostolorũ, quẽ nunc in Ecclesia retinemus. Quemadmodũ doctrinæ ratio, utriusq; eadem fuit, nec uariare ab ea quisquã hoc tempore debet. Quãquã fieri potuit, & procul dubio factum est, ut irrepserit aliquis abusus in baptismũ, quẽ prædicauit Ioãnes, uidelicet, apud eos, qui pharisaica impietate Ioannis baptisma retinuerũt, fidei in Christum ignari, aut repugnantes, sicut hoc tẽpore in baptismũ Apostolorũ. At nos de uero, recto & germano illius usu loquimur, qui non potuit pharisaicæ lotionis esse, sed eiusdem gratiæ, cuius est Apostolorũ. Quod si omnino discrimen quæritur, Ioãnes rationem habuit uenturi post se Christi & glorificandi, in quẽ postq̃ uenit & glorificatus est baptizauerunt Apostoli. Atq; ad hũc modũ durat illud aquæ lauacrum, usq; ad mũdi finẽ, quod ministerio Ioãnis primum cepit promulgari. Discrimen ualde exiguũ est, ut uerbi Euangelii quod docuit Ioãnes, præco atq; præcursor uenturi Christi, cũ eo, quod post glorificatũ Christũ, & iam regnãtem, prædicamus.

Ergo baptismus quidẽ ministerio Ioãnis institutus est, non tamen, sine peculiari mandato Dei. Sicut testatur illud. Luc. 3. Factum est uerbum Domini, super Ioãnem Zachariæ filium in deserto, & uenit in omnem regionẽ Iordanis, prædicans baptismũ pœnitẽtiæ in remissionem peccatorũ. Hoc nomine significat ipse quoq; Christus, baptismũ Ioãnis è cælo fuisse. Math. 21. hoc est, autoritate & uoluntate atq; mandato Dei traditũ. Qui quomodo non potuisset significationẽ & testimoniũ gratiæ habuisse? Aut hypocritarũ ablutio fuisset? Quẽ etiã postea cõfirmauit Christus sua autoritate, exemplo atq; edicto: ut rectũ, et pie ac iure institutũ & prædicatũ á Ioãne. uenit enim, & baptizatus est ab eo, in Iordanis fluente. Ita sanctificans illum nobis, ut iudæis circumcisionẽ, cum ipse circũcideretur. Simul testificans se utriusq; populi seruatorem esse, & credentiũ in circũcisione, & fide baptizatorũ. Postremo diligentissime firmauit illũ, quando Apostolis edixit, ut prædicarent toto terrarum orbe Euangeliũ, & baptizarent omnes gentes, nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, clara nimirũ & certissima significatione propitiæ uoluntatis & gratiæ Dei, in oẽs qui promissionis Euangelii fide baptizantur. Dei inquam, qui est pater, & filius, & spiritus sanctus, Creator omnium, & redemptor mũdi, & sanctificator electorũ.

Sic igitur baptizari, est adoptari in filios gratiæ & hæredes æternæ uitæ, qui sumus natura peccatores & iræ filii & æternæ damnatiõis. Fit autem illa adoptio sine omnibus iusticiis nostris, per solã gratuitam & munificẽtissimã Euangelii promissionem, propter Christũ. Quapropter fides adferri in eam promissionem debet, ab his qui suscipiunt baptismũ, quæ creatur quidem in cordibus nostris uirtute spiritus sãcti. Et sic quidẽ Paulus scribit, nos uidelicet saluari, non ex operibus nostræ iusticiæ sed secundũ misericordiã Dei, per lauacrũ regenerationis, & renouatiõis spũs sancti.

Adoptionis Sacramẽtum.

Porro Sacramẽtum cœnæ est ab ipsomet Christo institutũ. Nec enim quisquã alius potuisset hoc instituere: nisi ipse æternus pontifex & mediator noster, q̃ semet ipsum traditurus erat hostiã & uictimã pro nostris peccatis: & in signũ & pignus huius tantæ beneficentiæ donaturus in Sacramẽto suũ corpus & suũ sanguinem. Est autem ineffabilis temeritas Papistarũ, qui huius Sacramenti usum non reliquerunt

Institutio Eucharistiæ.

liberum

liberũ aut integrũ Ecclesiæ: sed certis edictis compellũt laicos ad eius usum, que in etiã mutilauerunt. Quia laicis iubent tantũ alterã speciem Sacraméti dari: & signãter calicis usum illis adimũt ac rapiũt, contra edictũ & uoluntaté Christi: qui se & omnia sua, omnibus qui credunt in eum offert & donat. Est auté in calicis portiũcula certa significatio necessariæ traditiõis Iesu Christi, pro peccatis nostris in mortem. Nam corporis adpellatio significat ueram incarnationé filii Dei. Qui igitur fraudant Ecclesiã calicis usu, uidentur fructu redemptionis illã uelle fraudare. Nam quorsum prodesset tibi, si incarnatus filius Dei, nunquã traditus esset pro peccatis nostris in mortem? Sed si beneficio redemptionis laicos uti permittũt, cur igitur signo illius redemptionis spoliant atq; priuant illos? Hæc dico, ut intelligas, in hoc facinore Papistarũ, esse nõ obscurã significationé oppressi Euangelii in Ecclesia, per hypocritas & impios tyrãnos, per quos nouissimũ in Ecclesia occidentis Antichristũ.

Hæc sunt horribilia auditu, & tamen in Papistarũ Ecclesia pro recte factis defenduntur. Sed oportuit hæc scandala uenire. & abominationé Antichristi regnare & grassari in Ecclesia, in pœnã incredulitatis, & contemptus Dei, hoim eproborũ, q suas aures à ueritate auertunt. Væ autem istis istorũ scandalorũ autoribus & defensoribus. Det autem Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, ut ab imposturis ipsorum, laqueis, crudelitate & perditionibus, penitus liberemur. Non sunt autem nisi duo Sacraméta, nouo testaméto instituta, quibus Deus uoluit testari, de sua erga nos uoluntate, & promissiones Euangelii nobis conferre, baptismus & dominica cœna. Nam absolutio, est ipsa Euangelii promissio, etiã priuata illa, de qua quid sentiã dixi libro secundo. Quid autem de aliis, quæ Sacramentorũ numero habentur oporteat sentire, dixi capite superiore. Sunt enim ritus humanitus inuenti, confirmatio & extrema unctio. Et ordo, est electio docentium in Ecclesia. Pœnitẽtia auté, est necessariæ obedientiæ & emendationis nostræ uitæ. Matrimonium deniq; pertinet ad hanc corporalem uitã, & nihil habet negotii in regno Christi. Sacramenta autem simul cum uerbo promissionis facere debent ad regnũ Christi ampliandũ. His ergo duobus signis, quæ dixi, uidelicet baptismo & cœna corporis & sanguinis Christi, uoluit Deus singulis nostrũ, ueluti in sinũ, præcipuo gratiæ dono, beneficiũ redẽptiõis & æternæ salutis, deponere. Et baptismus quidé est recõciliatiõis & iustificatiõis signum. Abluit enim pctã & regenerat nos in filios Dei. Fit auté illa adoptio & iustificatio nostri, per gratuitam misericordiã Dei, remissionem peccati & oim delictorũ nostrorũ, propter Christũ, Dei filium, incarnatũ, traditũ & passum pro nostris peccatis. Cuius beneficii, præter baptismũ, alterũ signum & testimoniũ habemus, ipsum uidelicet corporis & sanguinis Christi Sacramẽtum. *Sacramenta duo.*

Nec cassatur, uel euacuatur illa nostri p gratiã adoptio, quæ contingit nobis in baptismo. Ideo neq; opus habemus Christiani iteratiõe baptismi, népe, qui semper admonet nos receptionis in gratiã & significat filios Dei esse. Semel enim reuocati & recepti in gratiã, atq; in filios Dei adoptati, perpetuo manemus quod facti sumus utiq; filii Dei, & uitæ æternæ hæredes, modo fidem retineamus. Cæterũ eucharistiæ Sacramentum iteratur. Habet enim exercitiũ gratiarum actionis in renatis, & fulcit atq; firmat suo usu baptizatos, ne qui forte lapsi sunt post adeptam recõciliationem, (Quod fit sæpe, imo est quotidianũ, in hac tanta imbecillitate nostræ carnis.) existiment illo casu & ruina in pctm̃ irritam factã esse adoptionem, ac desperẽt. Ideo ut durare debuit Euangelii prædicatio in Ecclesia, de Christo incarnato & passo, pro redemptione nostri à peccato & morte. non solum ut eius promissione alii inuitẽtur ad fidem, uerum etiã ut hi qui crediderunt deo in fide retineantur. Ita Deus fre-

quentari a nobis uoluit Sacramentũ corporis & sanguinis filii sui, utrisq; in firmiorẽ consolationem, tam illis qui stant, quam qui lapsi sunt, ut iterũ erigantur.

Baptismus itaq; noster, quo semel abluti sumus & recepti in gratiã, est nobis perpetuũ testimonium & signum factæ reconciliationis, & donatæ salutis æternæ. At uero dominica cœna testatur, illam in nos gratiam, cassari aut in nihilũ redigi, non posse. Sic igitur existimabis, quisquis es baptizatus, te esse filium, neq; posse hanc tantam gratiam ullius rei iniuria amittere, etiam si forte lapsus sis in aliqua uicia & peccata, tu modo fidem retineas, dolens ex animo de admisso, & uere resurgens à peccato, iterumq; hac emendatione tui ad Deum conuertaris. Nunquã enim deseret nos aduocatus noster, & propitiator æternus, Christus Iesus. Ioan. 2. Quod etiã testatur, quotidiana illa donatione sui, quæ fit in eucharistiæ Sacraméto, nec repellit à se, nisi qui semetipsos excludunt, per incredulitatem & desperationem.

In summa. Sacramentorũ est conseruare nobis Euangelii memoriã, & significare atq; testari Promissionem Euangelii nostram esse, pacẽ operari in animis nostris & securitatem æternæ uitæ. Nam quia Sacramenta sunt adpendices Euangelii, ideo necesse est, ut eundem effectum habeant cũ Euangelio. qui est confirmationis animorum nostrorum, ut nihil hæsitante fide recipiamus, nos Dei filios & uitæ æternæ hæredes esse, propter Christũ. Quæ est quidem uis, operatio & effectus spiritus Dei in nobis. sed per Euangelium & Sacraméta. Hinc Paulus Euangelio tribuit, quod sit potentia Dei, quæ saluos faciat credentes. Iam Euangelio addita sunt, non legi, Sacramenta: neq; uero, ut sint tantum professionis notæ, sed simul signa gratiæ & testimonia remissionis peccati & uitæ æternæ, in omnibus qui Euangelio credunt, quod firmissimis probationibus hactenus ostendi. Ideo imbecilles, & territas peccato, & horrore mortis consciẽtias, fulciunt, consolantur ac muniunt, spe remissionis peccati, iusticiæ & æternæ uitæ.

Proinde idem saluationis effectus tribui debet, Euangelio & Sacramentis. Nã Euangelio saluamur, excitata in nobis illius fide, per spiritum sanctum, & confirmata Sacramentis. Hæc sunt enim duo illa, administrationis externæ in Ecclesia, promissio inquam Euangelii & Sacramenta, per quæ illa remittit peccata, iustificat & saluat peccatores, tanquam ministra. Eo namq; ordinata sunt à Deo, ut per quæ ipse efficax est in nobis, suæ gratiæ fidem excitare, & excitatam exercere & confirmare. Hunc autem pium Euangelii & Sacramentorum usum, comitatur simul confessio gratiæ & gloriæ Dei, & redemptoris Iesu Christi. Item, inuocatio, laus & gratiarum actio. A deoq; totius uitæ nostræ nouatio, seu pœnitentiæ studium, de quo egi in hoc toto scripto, quodq; est obsequii nostri, grati & accepti coram Deo, per Christum Iesum, in his qui Euangelio gratiæ credunt.

De Baptismo seorsim.

CAP. III. HActenus in genere scripsi de Sacramentis, quæ cum duo habeant, promissionem uidelicet gratiæ, & eius promissionis signum & pignus, in eos qui Sacramentis pie utuntur, omnino firmum est, quod docui, Sacramẽtis salutem nostram adiuuari & perfici, quæ impetrata est nobis sanguine Christi. Excitant enim & confirmant fidem per promissionem remissionis peccati & uitæ æternæ, quæ in illis est. deinde, per signum promissionis, quod testatur fauere Deum, & habere eos loco filiorum suorum & hæredum æternæ uitæ, qui in Christum Iesum credũt. Etenim promissio Euangelii ideo facta est, ut ea saluemur, requirens fidem, & signis illã exercens atq; confirmans, ne ambigamus seorsim in nos transfundi, ut ita dicã, quæ alioqui per promissionis uerbum in omnes spargantur. Verum hæc quæ dixi in ge

nere de

nere de Sacramentis, libet etiam seorsim intueri & expendere, in baptismi & dominicæ cœnæ rationibus: quo sint magis lucida, & firma oibus, quæ de usu signorum nosse refert.

Paulus igif appellat baptismū regenerationis lauacrū: ad Tit.3. Baptismo eñ adoptamur in filios Dei: quatenus baptizati credimus Euangelio. Iuxta illd', Qui crediderit, et baptizatus fuerit, saluus erit. Sic ergo et iustificatiōis signū est & testimoniū baptismus: quę fit remissiōe peccati, sine oibus iustitijs nostris, si tamē Euāgelio credimus. Nā idcirco adoptamur, ut p remissione peccati, prorsus gratuitā, simus filii Dei iusti, et uitę ęternę hæredes, ppter Christū Dñm, iustificatorē & seruatorē nostrū, antea filii irę et mortis. Quā quam illo lauacro regenerationis loti, etiā opus habeāt renouatione cordiū, quę fit spiritu sancto: q̄d nō modo Paulus testatur, loco quē paulo ante citā ui. Tit.3. uerū etiā Petrus, Act.2. Pœnitentiā agite, et baptizetur unusquisq; uestrū in noie Iesu Christi, in remissionē peccatorū: & accipietis donum spiritus sancti. Pœnitentiā ante oīa requirit: quia Deus nulli potest fauere, cui nō dolet, q̄d impiè, nequiter & scelerate admisit, & q iudicijs Dei nihil terretur: deniq;, qui non totus est, in pposito melioris uitæ. Etiāsi propter aliud salutē faciat peccatorē, nempe, propter Christū, si in ipsum credat. Nō enim aliud nomē est sub cœlo datū hoibus, per q̄d oporteat nos saluos fieri. Idcirco & remissionē peccatorū accipiunt soli qui in noie Iesu Christi baptizantur, quod secundū est in cōcione Petri. Postremū, de donatione spiritus sancti agit Petrus, q uera in Christū fide baptizatis cōtingit, & efficit clamare, certa significatiōe filiatiōis, abba pater, & in studio melioris uitę proficere. Quid baptismus.

Igitur per promissionem Euangelij offertur nobis reconciliatio & æterna salus, quā nos per fidē adprehendere debemus. Quod ut maiore fiducia cordis, & alacritate securitatis faciamus, additus est primū ad promissionē baptismus, regenerationis signū. Nā Deus, cū baptizamur, testaf se nos in gratiā recipere, Euāgelij pmissionem ad nos ptinere, ad pbare fidē nostrā, atq; illud Ecclesiæ factū, q per baptismū in populū ac cœtū filiorū Dei inserimur. In hoc eñ pposuit hoc signū, & prędicari fecit suę gratię Euangeliū in Ecclesia Mar.ul. Prędicate Euangeliū omni creaturę, q crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Hoc enim est remittere pctā Ecclesię facto, iuxta illud Christi, Io.20. Quorū remiseritis pctā remittunf eis. Ecclesia enimaliter nullis potest remittere pctā, quā per prędicationē promissionis Euāgelij, et p Sacramentorū administrationē. Quorū utroq; testaf uidelicet, remitti pctā, his qui in Christū Iesum credunt. Quare firmissimā consolatiōnē adfert, oibus quos absoluit, pmissione remissionis peccati, ppter fidē in Christū, q̄s etiā munit potentissimè p Sacramenta, cōtra quoscūq; terrores pcti, inferorū, et æternę mortis. Vt cū per donū baptismi, testaf Dei filios esse.

Non igif est iustificatio, baptismus, sed iustificatiōis signū et pignus. Neq; cōtingit nobis iustificatio in baptismo, q a aqua eius abluimur, sed q a abluti credimus per pmissionē Euāgelij in Christū. Et q a nulla alia re uenimus ad baptismū, q recōciliationis cū Deo & uitę æternę per Christū, Idcirco ille, qui dicit, Exurge & baptizare & ablue pctā tua, inuocās nomē Dñi, non baptismū simpliciter, sed et fidē in Christū requirit, Ostendens baptismū esse efficacē ad ablutionē delictorū & remissionis pcti, q per fidem in Christū suscipiaf. Neq; enim ritè inuocāt nomen Dñi, nisi q fiducia remissionis pcti, p Christū, dicūt: Deus ppitius esto mihi peccatori. Clare itaq; ex his, quo-

modo baptismus sit regenerationis lauacrũ, q̃a est adoptionis et iustificationis signũ & pignus, his q̃ in Christũ Iesum credũt. Ideo testat̃ filios Dei esse, et uitę æternę heredes. Huc facit illud Pauli Gal. 3. Oẽs enim uos filij Dei estis per fidem, q̃ est p̃ Christũ Iesum. Quicũq; enim per Christũ Iesum baptizati estis, Christũ induistis. Quẽ usum baptismi et Petrus docet, 1. Pe. 3. ubi testat̃ nos saluari baptismo, q̃ nõ sordes carnis deponãtur, sed cõscientia bene respõdeat apud Deũ, per resurrectionẽ Iesu Christi a mortuis, qui est ad dexterã Dei, deglutiẽs mortẽ, ut uitę æternę heredes efficeremur, [illegible] rũ credẽtes in eũ, qui traditus est in mortẽ et glorificatus resurrectiõe, et [illegible]gno ad dextrã dei in cœlis donatus, p̃ saluãdis nobis à pctõ et ęterna morte.

Tantã igitur cõfert gratiã baptismus, illis qui misericordiæ Dei per Christũ Iesum credunt. Eos enim abluit à peccato, atq; ideo efficit, ut conscientię ipsorum bene respondeãt apud Deum, propter fiduciam remissionis peccati, iusticię et æternę uitæ: quæ promeruit nobis Christus, per suam resurrectionem à morte, & tenet regnum in cœlis, quo credentes in eum est glorificaturus. Atq; hæc est conscientię illa bonæ firmitas apud Deum, de qua ad Rom. 5. Paulus scribit. Iustificati igitur ex fide, pacem habemus ad Deũ, per Dominũ nostrũ Iesum Christũ. Per quem & accessum habemus, per fidem in gratiã istã in qua stamus, & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Non igitur inefficax lotio est baptismus. Quî posset enim nõ beatos efficere, eos qui credunt, cũ Dei mandatũ habeat, & gratiæ promissionem, & est uerbũ uitę in illo? Igitur & signũ est, conseruãs nobis promissionis Euangelij memoriã, illamq; propagans ad oẽm Christianorũ posteritatẽ, & pignu[s] cõfirmatæ promissionis, in eos qui illi credũt. Testatur enim liberatos esse à pctõ & à morte æterna: esse item populũ & filios Dei, & uitę æternę hæredes. Nõ tribuimus uim magicã Sacramentis, in morẽ nugaciũ sophistarũ, qui fingunt hoĩes usu Sacramentorũ, in nouo testamento, ex opere operato consequi gratiã, incrementa uirtutũ, remissionem peccati, iusticiam atq; æternã uitã. Sed docemus, promissiones Euãgelij esse certa & infallibilia signa, quę exerceãt nostrã fidẽ, & significent atq; testentur gratię p̃missionẽ ad nos pertinere. Ita enim confirmãt nos, de donata gratia remissionis pcti & uitę æternę per Christũ. Quę doctrina tã est certa, uerax, solida et firma, ut à nemine omniũ aduersariorũ Euangelij & Christi possit conuelli.

Ceterũ mandatũ de baptizãdis Christianis, hoc est, inserendis in Ecclesiã filiorũ Dei, omnium gentiũ populis, baptismo aquę, extat Matt. 28. in hæc uerba. Data est mihi oĩs potestas in cœlo et in terra. Eũtes ergo docete oẽs gẽtes, baptizãtes eos, in noĩe patris et filij et spiũs sancti, docẽtes eos seruare oĩa quęcũq; mãdaui uobis. Hoc eñ mandatũ dedit uictor pcti & mortis, Rex et Deus cœlorũ, ipse Dñs et seruator noster Iesus Christus. Porro doctrina, de qua p̃cepit Christus, et cui annexa sunt Sacramẽta, nõ est q̃ Euãgelij promissio, confirmãs nos de remissione pcti et uita æterna, quatenus credimus in Christũ. Quã gratuitã esse, hoc est, sine cõditione iusticiarũ nostrarũ donari, testãtur oĩm p̃cipue, tàm ueteris quàm noui testamẽti Sacramẽta. Quid enim in Sacramẽto, q̃d nos Deo offeramus? Promissio: at illa testat̃ Deus, se nobis gratis ignoscere, et gratis p̃ populo suo et filijs Dei habere. Signũ p̃missionis: sed quõ signũ aliud testari posset, q̃ de hoc ipso, q̃d per gratuitã promissionẽ offert, et cuius fides exigit̃ à nobis: hoc est, remissi pcti, & donatę nobis uitæ æternæ. Quod ego ad tędiũ usq; & morositatẽ

in hoc

blicos & nocentissimos hostes, non huius nostrę doctrinæ, ut quæ non est priuata, sed publicæ professionis Christianorum & gloriæ Christi. Nam in his libris, per omnia capita, argumenta & apices scripti, doctrinam Euangelij secuti sumus: quę tradit remissionem peccati, aliter nobis non contingere, quàm per gratuitam misericordiam Dei, propter iustificatorem Iesum Christum, quatenus credimus in eum.

Proinde nemo debet, neq; poterit iure, uitio uertere mihi, quòd ueritatis & uictorię palmam, ipse his libris tribuam. Nisi enim constiterit testimonio Sacrarum literarum, uera esse quę docui, merito reprobabor: sin firma erunt & inuiolabilia, huius ueritatis laus & gloria, ipsi Domino & seruatori Christo Iesu, qui est uia, ueritas & uita, reddi debet. Cuius doctrinę nulli Christiani non debent certissimi esse: multo minus ulli Ecclesiæ doctores, aut certe doctores esse omniũ minime debebunt. Non igitur uerbum meũ, intra me natum, locutus sum, aut hominum doctrinas: sed uerbum Dei & Domini Iesu Christi, qui est iudex omnium à Deo constitutus, defendens etiam hæc, quę pro ipsius gloria, & Ecclesiæ salute, publicamus.

Quare eruditionis palmã alijs libenter, & reipsa coactus concedam: sed Euangelij ueritatem, quę in his libris profertur à nemine unquam patiar damnari: quantumuis habeat multos truculentissimos hostes. Neq; enim diffidimus huic caussæ nostræ: nec sic licebit uersari in domo Dei, quæ est sancta Ecclesia, columna & firmamentum ueritatis, ut dubia & incerta loquamur. Sed firma prædicare & docere in illa debemus, quę cõsistere possint, etiam contra uim potestatis inferorum, & totius tyrannidis Diaboli. Nempe, quæ certum est gloriam Dei & Christi & Ecclesiæ recte adserere. Quid miserius Ecclesia, si doctores eius ea tradant, de quibus ipsi in periculum dubitationis, num uerè, rectè, aut piè dicta sint, uenire queant?

Soli Deo nostro honor & gloria, per Iesum Christum Dominum & seruatorem nostrum, Amen.

Esaiæ XL.

Verbum Dei nostri florebit in æternum.

ORDO CHARTARVM.

a b. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.
AA BB CC DD EE FF GG HH II KK LL MM NN OO PP.
Omnes sunt terniones præter NN quaternio.